IOANNIS IONSII HOLSATI DE SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ...

Johannes Jonsius, Johann Christoph Dorn, Burkhard Gotthelf Struve



Ex legato D. [illegible]
Ant. Vincenzi
ad alumnos



IOANNIS IONSII HOLSATI DE SCRIPTORIBVS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ LIBRI IV.

NVNC DENVO RECOGNITI
ATQVE
AD PRÆSENTEM ÆTATEM VSQVE
PERDVCTI
CVRA

IO. CHRISTOPHORI DORNII

CVM PRÆFATIONE
BVRCARDI GOTTHELFII STRUVII.





IENÆ, APVD VIDUAM MEYERIANAM.
MDCCXVI.

MAGNIFICO, SVMME REVERENDO,
ATQVE EXCELLENTISSIMO

VIRO,

IOANNI FRANCISCO BVDDEO,

THEOLOGO ATQVE POLYHISTORI MAGNO, SCIENTIÆ DIVINIORIS DOCTORI, ET IN IENENSI ACADEMIA PROFESSORI EGREGIO, NEC NON SERENISSIMI DVCIS SAXO-HILDBERGHVSANI A CONSILIIS SANCTIORIBVS, CIVIVMQVE LITTERATORVM, QVI IN DVCATV GOTHANO ET ALTENBVRGENSI SVNT NATI, EPHORO LONGE GRAVISSIMO,

DOMINO SVO AC PATRONO MAXIMO,

IONSII HAS ACCESSIONES

DAT, DICAT, DEDICAT

OBSEQVENTISSIMVS AVCTOR.

MAGNIFICE, SVMME REVERENDE ATQVE EXCELLENTISSIME VIR,

DOMINE AC PATRONE SVMME.



Isi tot aliæ mihi & gravissimæ rationes constarent, quare IONSIVM novis a me accessionibus auctum, TVO inprimis nomini, passim in litterato-

rum re publica celebrato, dicarem; ſane, hoc grati piique animi monimentum, pro doctrinis monitisque ſaluberrimis ex ore ante hac TVO eruditiſſimo hauſtis, exſtare debebat. Ex quo tempore, ſicut admiratione TVI & cultu, totum profecto animum meum impleviſti: ita doctorum poſtea inſigniumque virorum aliis in locis, & in Lipſienſi præſertim Athenæo judicia, ſcientiarumque TVARVM ac dotium prorſus inuſitatarum elogia, honorificam de TE opinionem, meæ perpetuo menti inſitam, egregie confirmarunt. Hinc nullum adeo majus vel ornamentum, vel præſidium, libro iſti, quam a TVA Mæcenas!

nas! auctoritate conciliari atque adferri potuerit. Accedit, quod inter præcipuos ſapientiæ atque omnium optimarum litterarum ſtatores, quorum hoc in opere ſcripta & merita juſtis efferuntur laudibus, primum TV, ac potiſſimum locum obtineas; ut adeo iſtæ paginæ jure quodam peculiari & proprio TIBI competere videantur.

Oro igitur TE & obſecro Patronorum Maxime! ut hoc obſervantiæ in TE meæ pignus, ſumma animi a me veneratione traditum, mente benevola & humana accipias; dumque pro incolumitate TVA & glo-

gloria, ac felicitate perenni DEVM ter optimum ſupplex veneror, TVO me, meumque hoc ſpecimen patrocinio tuearis! Dabam Lipſiæ d. I. Maji cIↃ IↃ CCXVI.

MAGNIFICI, SVMME REVERENDI, EXCELLENTISSIMIQVE NOMINIS TVI

cultor demiſſus,

IOANN. CHRISTOPH. DORN.

LE-

LECTORI BENEVOLO

S. D.

BURCARD GOTTHELF STRUVE.



Gregium ſane diſciplinis ſingulis acceſſiſſe adiumentum, poſtquam earum hiſtoria penitius fuiſſet pertractata, nemo forſan dubitabit. Philoſophicæ potiſſimum diſciplinæ de eo teſtantur, quæ quanto maius ex effatis Philoſophorum veterum capiunt fundamentum, tanto certius, tantoque illuſtrius ex Hiſtoria depromunt argumentum & Scriptorum notitia. Ipſi veteres Philoſophi, quantum in eadem ſitum ſit momenti, adgnoſcentes, iamdum in exponendis Philoſophorum placitis præiuerunt. Teſtis eſt Plutarchus, Palladius, Iamblichus, Diogenes Laertius, Eunapius, Heſychius, Philoſtratus, ipſæque Romanæ Eloquentiæ parens, Cicero, qui veterum Sapientum vel vitas, vel dicta ſatis prolixe expoſuerunt, poſteritati facem accendentes clariſſimam. Eandem equidem Scholaſtici reſtinxerunt, ſibi ſaltem ſapientes, nugasque pro veritate venditantes. Exorta vero luce Euangelica, &

horum tenebræ fuerunt disiectæ. Philippus Melanchthon enim, Michael Neander, aliique emunctioris naris viri, circa purgandam a Scholasticorum Næniis Philosophiam solliciti, veros fontes iterum aperuerunt, veterum tradita curatius indagantes. Dum autem tanta sub Reformationis initia studiorum esset barbaries, vt vix Hercules suffecisset Augiæ stabulo repurgando, pauciores erant, qui consummatam primorum Reformatorum doctrinam sequerentur, Aristotelis dogmatibus constricti, extra illum haud sapientes, in solis terminis hærentes. Postquam autem collapsa Aristotelis maiestate, in ipsam veritatem penitius inquireretur, non defuerunt inter eruditos, qui veterum Philosophorum placita, historiam, vitas, scriptaque plenius indagarent, eademque vel renouarent vel illustrarent, & cum nostræ ætatis Philosophorum traditis conferrent. Egerunt illud ex Belgis potissimum Otto Heurnius, Georgius Hornius, Abrahamus Grauius, Io. Meursius, Gerhardus Ioannes Vossius, Gisbertus Voetius, & nostra ætate, Io. Clericus. Ex Italis præsto sunt Paganinus Gaudentius, Franciscus Patritius, Laurentius Pignorius. Ex Anglis Io. Seldenus, & nouiter Thomas Stanleius. Ex Gallis Io. Launoius, Petrus Gassendus, Iacobus Charpenterius, Petrus Syluanus Regius, Petrus Daniel Huetius, Ægidius Menagius, plurimum lucis attulerunt Philosophiæ ex Historiis illustrandæ. Sed, nec inter Germanos defuerunt

runt

runt viri laude dignissimi, quibus plurimum debet Philosophiæ Historia. Prodeant in medium Iacobus Thomasius, Adamus Tribbechouius, Io. VVilhelmus Zieroldus, Christianus Kortholtus, Christianus Thomasius, & quem primo loco nominare debuissem, Io. Franciscus Buddeus, qui multa industria veritates ante parum cognitas detexerunt, origines philosophicas declararunt. Circa Scriptores vero Historiæ Philosophicæ veteres solliciti potissimum fuerunt Io. Ionsius, & nostra ætate Io. Albertus Fabricius. Huius equidem Bibliotheca Græca in hac etiam parte circa Philosophos Græcos vtilitatem præstat egregiam. Ioannes Ionsius vero, ex Holsatiæ vrbe Rendsburgo oriundus, sed Francofurti ad Mœnum Rectoris munus gessit, vir industrius atque doctissimus. Huius de Scriptoribus Historiæ Philosophicæ Libri Quatuor, postquam Francofurti 1659. fuissent editi, per plures nunc annos in tabernis nostris librariis frustra fuerunt quæsiti, & non nisi in Bibliothecis instructissimis reperti. Dignum itaque, eruditisque perutilem laborem suscepit Clarissimus Io. Christophorus Dornius, Liberalium Artium Magister, atque in hoc studiorum genere haut parum versatus, dum meis, aliorumque suasionibus hoc daret, vt hunc Ionsii laborem recognosceret, atque ad nostra vsque tempora continuaret. Industriam suam doctissimus Editor in Libro Tertio & Quarto potissimum demonstrauit, quos tali ratione locupletauit, vt nihil,

hil, vel parum Ionſio relinqueretur. Recentiorum enim circa Philoſophorum ſcripta labores pari cum Ionſio inſtituto inſigni cura recenſuit, vt pro genio temporis noſtri non ſine fructu Lectores ſuos dimittat. In prioribus autem Libris breues ſubinde notas ſubiecit, in quibus ad Scriptores, qui vberius de ſingulis egerunt, remittit. Optandum eſſet, vt reliqua Ionſii ſcripta, ad quæ ipſe prouocat, eadem cura publicarentur. In libro primo enim capite ſeptimo mentionem facit Hiſtoriæ Socraticæ: in capite vigeſimo promittit Hiſtoriam Peripateticam. In capite primo libri Tertii Grammaticos ſuos adlegat. De ſingulis optima quæuis ſperare nos iubet ipſum hoc Opus. Tuo interim fauori B. L. induſtriam Clar. Editoris pro debito commendo. Vale. Scribebam Ienæ X Kal. Maii CIↃ IↃ CCXVI.

Ad

VI

Ad L. B.

EDITOR.



Nicum adhuc est, quod moneam. Incipit CONTINVATIO nostra a CAPITE XX. LIBRI III. Hoc enim Capite Ionsius Librum dictum finiverat, & paucos, imo vix XL. Scriptores e recentioribus recensuerat. Forte tenuitas atque infirmitas valetudinis impedivit, quo minus ultimam operi manum imponere licuerit. Fruere interim hisce laboribus, & exspecta limatiora! Supplenda quæ erunt, ad calcem Indicis adjecta videbis. Sequuntur etiam Ionsii Epistola Dedicatoria, & ejus ad L. verba.

VIRIS MAGNIFICIS, ADMODUM STRENUIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS ATQUE PRUDENTISSIMIS,

DOMINO PRÆTORI, DOMINIS CONSULIBUS, SCABINIS, SYNDICIS AC SENATORIBUS,

Inclytæ Imperialis Rei publicæ Francofurtanæ,

PATRONIS SUIS SUMME COLENDIS.

Hoc minutum maxime devoti animi monimentum consecrat

JOANNES JONSIUS.

VIRI MAGNIFICI, ADMODUM STRENUI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE PRUDENTISSIMI.

GEntiles accepimus, posteaquam regionem & civitatem aliquam peregrinam ingressi erant, ejus loci Genium Tutelarem salutare solitos fuisse, ut ejus favore in isto quidem loco sibi salvis diu esse liceret. Alii idola faciebant, monimenta ei ponebant, aras erigebant, templa dedicabant, supplicabant, sacrificabant; cum cereis accensis honorabant, propitiumque sibi mutuo imprecabantur. Deorum quippe ministros esse Genios credebant custodesque hominum, qui & Deorum voluntatem & mandata hominibus; & hominum preces atque desiderium Diis significarent. Biennium ferme est, cum & ego peregrinam hanc terram Lipsia vocatus ingressus sum, sed qui violata quasi religionis argui posse alicui forte videar ob intermissum hactenus salutationis publicæ & cultus debiti officium, quod Vobis velut Diis Tutelaribus, Præsidibus & Custodibus hujus loci a me præstari & loci Majestas & Vestra merita requirunt. Etenim si viliaribus etiam locis tanta sanctitas inesse Gentilibus visa est, ut eum, quem dixi, honorem Geniis Custodibus exhiberent, quid de hac Francorum Augusta, Civitatum Germaniæ splendore nulli secunda dicendum existimabimus? Hic postbabitis aliis civitatibus superiore anno Imperator noster LEOPOLDUS *Kalendis Augusti Augustus salutari cœpit: locique avita majestate & sanctitate ductus sancti Rom. Imperii habenas capessere maluit. Hanc Civitatem Musæ alumnam suam agnoscunt, & in ejus salute suam quoque sitam esse arbitrantur ob celebratissimum illud Librorum commercium, quo Respublica Litteraria nititur, Bibliotheca cum publica, tum privata instruuntur, & barbaries*

baries Musis inimica profligatur. Atque hæc ad gloriam hujus loci Majorum Vestrorum studio partam & conservatam non sufficere jure arbitramini, nisi Vestra quoque cura atque solicitudine eam augeatis & Musis, quæ alibi locorum habitantes isto librorum commercio sustentatis, ipsi quoque in Gymnasio Illustri, quod erigere meditamini, hospitium præbeatis. Sed plurimum apud me valet Vestrorum erga me meritorum memoria, quorum tanta est magnitudo. ut agnoscere & æstimare ea quidem possim, æquali vero officiorum genere Vobis respondere non item. Quare meum esse duxi rupto tandem silentio meæ in Vos observantiæ debitique cultus monimentum quoddam hic Vobis erigere & hoc opusculum velut laboris mei in his quidem terris primitias offerre atque consecrare. Apionem illud mundi cymbalum gloriari solitum refert Plinius, immortalitate eos a se donari, ad quos aliqua componebat. Vana hæc erat persuasio & a gravitate Viri Doctissimi prorsus aliena: cum edacissimum tempus omnes ejus libros, quorum magna erat copia, neque minor in iisdem eruditio, absorpserit & virorum, quos ille immortalitate dignos judicabat, memoriam aboleverit. Tametsi vero Vestra in me merita potius immortali memoria digna sunt, nihilominus hoc Chartaceum Monumentum interitui licet obnoxium Vobis gratum fore persuasus sum, cum in officiis reddendis non factum, sed animum Prudentes spectare soleant. Igitur læto vultu accipite, quod devoto animo offertur, & uti dudum sponte Vestra cœpistis, mihi favere meaque studia fovere pergite! Neque possum, quin & hoc addam, cum vires meæ prope sint exhaustæ hæmorrhagia per IX. dies & noctes continua, quæ orta ex æstu scorbutico, & fermentatione totius massæ sanguineæ corporis mei omne remedium respuit, ut mortem jam præsentem videam: ut uxoris meæ in his terris peregrinæ curam gerere velitis, & ipsa sentiat benevolentiam Vestram, quam mihi victuro pollicitus eram. Dabam Francofurti ad Mœnum 10. Kal. Aprilis A. M.DC.LIX.

Magnificorum, admodum Strenuorum, Nobilissimorum, Amplissimorum atque Prudentissimorum Nominum Vestrorum,

devotissimus cultor,
JOANNES JONSIUS,
Holsatus, Gymnasii Vestri Protector.

Lector Benevole.

ITa tandem epiſtola mea de Scriptoribus Hiſtoriæ Pythagoricæ triennio abhinc Tibi promiſſa, mira *μεταμορφώσει* in Opuſculum hoc de Scriptoribus Hiſtoriæ Philoſophicæ mutata in publicum prodit, & fidem meam liberavi. Remorata eſt editionem loci mutatio, quam conſilio Medicorum valetudinis cauſſa ſuſcepi: & dum iſta hoc pacto differtur, mutationem variam ſubiit. Haſce mei laboris primitias ſi placere Tibi cognovero, Tuæ potius humanitati quam meo merito id dandum judicabo. Addes tamen ſimul calcar ad ea divulganda, quæ non minus grata Tibi ſint futura, ſi voto meo valetudo reſpondeat!

IOAN-



IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati
DE
SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ.
Liber Primus.

CAPUT I.

1. Historia philosophica duplicem habet significationem: priore notat Historiam rerum in singulis scientiis philosophicis, unde historia Physica, Politica, quotque Philosophiæ, tot sunt historiæ: 2. Posteriore historiam philosophorum designat, unde historia dicitur Pythagorica, Democritica, Peripatetica. 3. Philosophus & sapiens, philosophia & sapientia, re ipsa, significant idem, & de iisdem dicuntur. Philosophiæ quoque triplex est apud antiquos significatio: in prima scientiæ æquipollet, & complectitur omnes scientias contemplativas, activas, effectivas: 4. In altera significatione idem notat quod sapientia, & Theologiam & Physicam continet. 5. Tandem sola Theologia est Philosophia. 6. Nos de Philosophis secundum primam significationem loquimur. Scriptorum etiam alii Philosophorum vitas tantum, alii vitas & dogmata, libros alii, alii successiones & sectas exposuerunt, qui omnes hic enumerandi erunt.

I.



E Historiæ philosophicæ scriptoribus dicturus, necessarium esse duxi, principio ambiguitatem vocis exponere, quotupliciter scilicet Historia Philosophica, de cujus scriptoribus agemus, dicatur, ut quis laboris nostri scopus, & quid de eo sperandum, nemo ignoret. Significat autem historia philosophica vel historiam alicujus scientiæ philosophicæ: vel historiam de philosophorum vitis, libris & sic porro. Priorem significationem quod adtinet, notum est, fundamentum omnis scientiæ esse historiam, observationes, exempla, experientiam, e quibus tanquam singularibus, scientia universales suas propositiones format. Historia dicit, *quod sit:* scientia & philosophia, *cur sit.* illa singularia, hæc universalia considerat. illa sensu, hæc ratione nititur. illa præcedit, hæc sequitur. Recte enim Philosophus noster l. I. Ethic. 2. & 7. *τὸ δὲ ὅτι πρῶτον, καὶ ἀρχὴ*, *quod ita sit, primum est, & initium.* Nimirum in omni cognitione & scientia primo constitutum esse oportet, quod ita res se habeat: & post, ratio eius quærenda est, præeunte nobis Aristotele lib. de incessu anim. c. I. *ὅτι μὲν ὕτω συμβαίνει, δῆλον ἐκ τῆς ἱςορίας τῆς Φυσικῆς· διότι δὲ νῦν σκεπ]έον.* *Quod ita sit, notum est ex historia naturali: Cur autem ita sit, de eo nunc inquirendum.* Quot itaque erunt philosophiæ sive scientiæ, totidem quoque omnino, quibus nituntur, historias esse oportet. Habet Physicus philosophus suam historiam naturalem, sive observationes de cœlo, stellis, cometis, iride, fulmine, mari, ventis, metallis, animalibus, plantis, e quibus cognoscit, quod res naturales ita se habeant: hinc singulis probe consideratis, & inter se collatis, differentias observat, rationem & caussam, cur ita se habeant, investigat & docet: quorum quidem hoc Physici Philosophi munus est proprium, illud Physici Historici. Unde Philosophus lib. VII. Phys. c. 3. *ἐκ τῆς κατὰ μέρυς ἐμπειρίας, τὴν καθόλυ λαμβάνομεν ἐπιςήμην, ex singulorum experientia, universalem nanciscimur scientiam.* Habent & Mathematici suas historias & observationes Geometricas, Astrologicas, Chronologicas, Geographicas: neque iis destituitur philosophia sive scientia politica, quæ in doctrina de moribus, variis justorum, fortium, temperantium hominum exemplis instructa justitiæ, fortitudinis & temperantiæ naturam explicat; in doctrina vero de rebus publicis formas plurium rerum

publi-

publicarum earumque instituta, augmenta & decrementa solicite observat, ut rationem penetrare possit, cur hæc eo modo constituta, ita se habeat, illa aliter: & postea de optimo regiminis modo instituendo, salutaria consilia solidis rationibus innixa aliis dare possit. Quamobrem cum tanta historiæ philosophicæ, in hac quidem significatione, esset necessitas atque utilitas, summa cura atque diligentia observationes, & historiæ variæ a variis fuerunt in gratiam posterorum notatæ atque consignatæ. Laudat Aristoteles eas subinde, qui lib. II. de cœlo c. 11. *ὁμοίως δὲ καὶ περὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας λέγουσιν οἱ πάλαι τετηρηκότες ἐκ πλείστων ἐτῶν Αἰγύπτιοι καὶ Βαβυλώνιοι, παρ' ὧν πολλὰς πίστεις ἔχομεν περὶ ἑκάστου τῶν ἄστρων.* ***Similiter & de cateris stellis dicunt Ægyptii & Babylonii, qui multis abhinc annis ista observarunt, a quibus multa fide digna de singulis stellis accepimus:*** & alibi ad eas provocat, iisdemque nititur: ipse quoque historiam animalium & plantarum scripsit, historiam item variarum rerum publicarum reliquisse creditur. Sed innumeri sunt, qua apud antiquos, qua inter recentiores, historiæ philosophicæ in ea significatione acceptæ scriptores, quos recensere ab instituto nostro alienum esse hic significamus, aliis hanc curam relicturi.

2. Superest enim & altera Historiæ philosophicæ significatio, qua notat historiam de vitis & scriptis philosophorum: unde, ut Historia philosophica in priore significatione dividebatur juxta scientias & philosophias, dicebaturque Historia Theologica, Physica, Astronomica, Geometrica, Geographica, Ethica, Politica, & sic porro; ita hoc loco juxta philosophos, Historia divisa alia est Democritica, alia Pythagorica, alia Aristotelica, alia generatim atque universim loquendo philosophica, quæ de Philosophorum libris, decretis, successionibus, sectis, fortuna, modo docendi & reliquis agit. Non ignoro esse, qui vitam ab historia distinguant. Sic Cornelius Nepos, cum vitam Pelopidæ enarrare incipit. ***Pelopidas,*** inquit, ***Thebanus magis historiis, quam vulgo notus, cujus de virtutibus dubito, quemadmodum exponam: quod vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere.*** Similiter & Plutarchus *Alexandro* discrimen quoddam inter Vitas & Historias innuit. *οὔτε γὰρ*, inquit, *ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους*, ***neque enim historias scribimus, sed vitas.*** Nimirum Historiæ fortissimorum virorum publica potius exponunt, privata vitæ ex Nepotis & Plutarchi sententia, qui vocem Historiæ ita in strictiore significatione capiunt. At nos paullo latius hanc

vocem accipientes, & vitas esse Historias, & scriptores vitarum, in Historicorum numero æquissimo jure haberi judicamus.

3. Ut autem Historia in latiore, sive potius propria significatione hic capitur: ita & hoc dicendum restat, quam late se vox *Philosophus* extendat, ut ne ignoretur, de quorum vitæ scriptoribus dicere constituerimus. Qui ante sapientes dicebantur, post mutato nomine, a Pythagora Philosophi dicebantur, ut Philosophus & sapiens, philosophia & sapientia, re ipsa, idem significent, & de iisdem dici possint. Dicimus autem & artifices sapientes, ut Phydiam, Polycletum, apud Aristot. lib. VI. Ethic. c. 7. Aristoteles philosophiæ triplicem notat differentiam. Primum philosophia & scientia æquipollent, & æqualis sunt latitudinis, totidemque sunt philosophiæ, quot scientiæ. Arist. l. VI. Metaph. c. 1. *Τρεῖς ἂν εἶεν φιλοσοφίαι θεωρητικαὶ· μαθηματικὴ, φυσικὴ, θεολογικὴ, tres sunt philosophiæ Theoreticæ: Mathematica, Physica, Theologica.* Mutat phrasin suam lib. II. Metaph. c. 7. *τρία γένη τῶν θεωρητικῶν ἐπιστημῶν ἐστι· φυσικὴ, μαθηματικὴ, θεωλογικὴ. Tria genera sunt Theoreticarum scientiarum: Physica, Mathemathica, Theologica.* At scientia triplex est Aristoteli & Platoni, contemplativa, activa & effectiva. vide Platonem Politicorum, Aristotelem passim. Uti & idem Aristoteles *νόησιν* facit *θεωρητικὴν, πρακτικὴν, & ποιητικὴν*, lib. I. de anima c. 3. & *διάνοιαν* lib. VI. Metaph. c. 1. similiter dividit. Sunt autem philosophiæ, sive scientiæ contemplativæ: Theologia, quam posteriores Metaphysicam, nomine antiquis ignoto adpellant, Physica & Mathematica. Activæ sunt Oeconomica & Politica, cujus prior pars est, quam Ethicam nuncupamus, quæ principium Politicæ, optimam scilicet vitam, quæ Græcis *τὸ ἄριστον, εὐδαιμονία*, Latinis vero obscuriori nonnihil voce, summum bonum dicitur, explicat, & ita se ad Politicam habet, ut libri octo *περὶ φυσικῆς ἀκρο·* ad Physicam, & libri duo priorum Analyticorum ad ipsam Analyticam & Dialecticam. Politicam autem scientiæ nomine dignatur Philosophus noster lib. VI. Ethic. c. 7. lib. I. Rhetor. c. 5. *περὶ τῶν πολιτικῶν ἔχειν ἐπιστήμην*, inquit Isocrates. *Φιλοσοφία πολιτικὴ* laudatur Dionysio Halic. de characteribus Thucydidis & de antiquis Rhetoribus ad Ammæum. Effectivæ vero scientiæ & philosophiæ sunt Analytica, Dialectica, Rhetorica, quarum illa veris propositionibus scientiam, ista probabilibus opinionem, hæc verisimilibus fidem in animo auditoris efficere & producere intendit. Effectiva quoque scientia est Medicina, juxta Autorem Eudemiorum

miorum lib. 1. c. 5. Poetica item, Grammatica, Statuaria, Pictoria. Isocrates quoque *Panegyrico*, Rhetoricam appellat, τὴν περὶ τȣ̀ς λόγȣς φιλοσοφίαν. Suidas γραμματικὴν φιλοσοφίαν a Prometheo inventam esse, tradit voce προμ. eamque lectionem frustra vellicat Wovverius. Hæ disciplinæ quatenus rationem, & caussam suarum operationum exponere possunt, scientiæ sunt: quatenus principia artis suæ simul intelligunt, sapientiæ sunt & Philosophiæ. Intellectus enim principia, sive præmissas propositiones syllogismi demonstrativi, scientia conclusiones, sapientia & principia & conclusiones respicit. Scientiam autem nominant *Medicinam*, Aristoteles lib. II. priorum. c. 17. Auctor Magnorum Moralium lib. II. c. 3. Auctor Eudemiorum lib. I. c. 5. *Grammaticam* Aristot. Topicorum lib. IV. c. 3. Auctor libri de Categoriis, quicunque Platonicorum, vel Pythagoricorum, is demum fuerit c. 1. & 8. Quatenus vero Medicina in universali, rationem & caussam operationum suarum novit & exponit, scientia dicitur: sed quatenus in singularibus ea, quæ in universali novit, cum ratione exercet, ars est. Quo modo & Analytica, Dialectica, Rhetorica, Poetica, Grammatica, Statuaria & reliquæ scientiæ sunt effectivæ, & artes in propria significatione, sed diverso respectu. Atque hæc est ex antiquorum sententia, vocis *Philosophia* una significatio.

4. Deinde philosophia idem notat quod sapientia, quæ principiorum intellectum & scientiam continet. Quoniam vero substantia reliquis Categoriis prior est, earumque quasi principium; hinc tot saltem erunt Philosophiæ & sapientiæ, quot substantiæ. τοσαῦτα μέρη φιλοσοφίας ἐστὶν, ὅσαι περ αἱ ȣ̓σίαι inquit Philosophus, lib. V. Metaph. c. 2. At substantiæ tres sunt, una immobilis & incorruptibilis, ut Deus: altera mobilis & incorruptibilis, ut cœlum: tertia mobilis & corruptibilis, ut sublunaria, vide Aristotelem Metaph. lib. XII. c. 1. & 6. prima ad Theologiam pertinet: duæ posteriores ad Physicam, quæ gemina propterea est sapientia, Astrologia & Physica sublunaris. Duæ itaque erunt Philosophiæ, Theologia & Physica. Unde Theologia, sive (ut vulgarem appellationem servem) Metaphysica Aristoteli dicitur ἡ πρώτη φιλοσοφία. *Philosophia prima*, lib. 1. περὶ φυσ. ἀκρ. c. 9. lib. II. c. 2. lib. de animalium motu c. 6. Metaphys. lib. VI. c. 1. lib. XI. c. 4. Physica autem dicitur ἡ δευτέρα φιλοσοφία, Metaphys. lib. VII. c. 11. ἔστι δὲ σοφία τις καὶ φυσικὴ ἀλλ' ȣ̓ πρώτη. ibidem lib. IV. c. 3. Deinde quia sapientia principia prima nosse debet, hinc ea tantum scientiæ, quæ principia prima con-

ſiderant, ſapientiæ & Philoſophiæ erunt. Theologia autem conſiderat Deum, qui eſt prima cauſa movens, prima forma, primus finis: Phyſica primam ſibi materiam conſiderandam ſumit. Secundum hanc itaque ſignificationem Theologus & Phyſicus ſoli erunt Philoſophi.

5. Denique Philoſophia & ſapientia κατ' ἐξοχὴν, & abſolute dicitur, & capitur pro Theologia. Deus enim eſt primum ens, primum abſolute principium, prima omnium rerum & entium cauſſa, omnium item effectionum, actionum & contemplationum ultimus finis. Omnia ſiquidem, quæ ab hominibus geruntur, eo tendunt, ut quam optime vivant, vel ut vulgo dici ſolet, ut ſummum bonum conſequantur. Unde Politicus rem publicam ita prudentia ſua inſtituit, ut in ea optime vivi poſſit, civesque quam maxime virtuoſi reddantur; quare & omnes artes atque ſcientias ſibi ſubordinatas & ſubjectas habet, & ad finem ſuum facile obtinendum diſponit. vid. Ethic. I, I. Atqui prudentia politica propterea cives ſuos vult virtuoſos temperatisque moribus & affectibus eſſe, ut ne in Dei contemplatione ac veneratione mens divinior illa animæ particula impediatur a turbidis affectibus, ſed continuo Dei cultui vacare, ſeque hac ratione Deo ſimilem reddere poſſit. Tum enim optime homo vivit, cum naturæ convenienter vivit. Cum anima vegetativa ſenſitivæ, hæc rationali, hæc menti non adverſatur, ſed morem amice gerit: cum anima vegetativa ſua gaudet virtute nutriendi, neque in operationibus ſuis impeditur: cum anima ſenſitiva virtutibus illis octo moralibus appetitum ſuum, ornatum, & affectus ad mediocritatem redactos & temperatos habet, ut ne ſuperiori animæ præſcribenti ceu Dominæ famula immorigera reluctetur: Cum anima rationalis ſuam quoque haber virtutem prudentiam quæ in intellectu deliberativo collocata appetitui ſenſitivo virtuoſo imperat virtutum exercitium & labentem corrigit; cum denique mens ſua virtute, ſapientia, quæ in intellectu ſcientifico eſt, inſtructa nulla inferiore animæ parte impediente & reluctante, optimum abſolute dictum, quod eſt Deus, optime contemplatur amando, colendo, venerando. Ita ſcilicet prudentia affectibus virtuoſis præſcribit, ſed Dominam agnoſcit ſapientiam, pro qua inferiori animæ imperat, quamque reſpicit, ut Medicus ſanitatem, juxta Ariſtot. Ethic. VI, 13. Ut autem hominis hæc eſt integra natura, ſic vitam omnem eam ipſe alienam a ſe putare debet & ſibi minime convenientem, quam absque Dei conſideratione vivit, mentis quaſi expers, optimæ ſui partis: cum nil niſi mentem ſe habere exiſtimare

mare debeat, ad eamque excolendam se totum dare. Hæc enim vita menti consentanea optima est, hoc summum bonum divinum, humano illo, quod prudentia politica largitur, longe excellentius; hoc summum bonum & optima vita κατ' ἐξοχὴν, & absolute dicitur. Morte quippe pereunt atque intereunt cum corpore anima vegetativa, sensitiva & rationalis, sola mens, quæ extrinsecus advenit, a corpore separatur, tanto Deo charior, quanto ejus contemplationi & cultui in corpore diligentius vacavit. Ut enim rationalis sensitiva, & vegetativa anima in physica considerantur, mens autem Theologiæ relinquitur explicanda, juxta Aristotelem; sic quatenus homo prudenter, & secundum animam rationalem optime vivit, appetitum item suum sensitivum cohibet vel temperantia, ne voluptatibus corporis plus justo indulgeat; vel magnificentia & liberalitate, ne divitias pro summo bono habeat, sed iis debito modo utatur: vel magnanimitate & modestia, ne vel honores summum bonum putet, vel male circa eos se gerat: in societate item civili justum se erga alios præbeat, neque ullo dolore, metu aut ira ab officio viri honesti se dimoveri patiatur: eatenus homo supra naturam & sortem humanam se nondum effert, neque hoc modo interitum effugiet. Quatenus vero mentem suam excolit sapientia, Deo sapienti se similem & divinum reddit; seque a mortalitate atque interitu vindicat, quod prudentia intellectus deliberativi virtute & reliquis virtutibus moralibus solis præstare nequit, quippe quibus Deus caret. Neque enim Deus prudens est, neque imprudens, quia caret anima rationali: neque virtuosus est, neque vitiosus, quia caret appetitu sensitivo & affectibus. Prudentia item & virtutes morales sunt virtutes humanæ, quæ Deo longe inferiores sunt, eique non sine dedecore tribuuntur. Sapiens Deus est, & sapientes tanquam sui cultores amat, sapientia mentis virtute destitutos ignorat. Ut mens est in homine, non de homine, neque pars hominis; sic & sapiens vivit quidem in civitate, sed non est pars societatis civilis. Vivit secundum mentem; non tantum secundum animam rationalem, ut prudens. Igitur homo, qui finis quodammodo est omnium, cujus item caussa omnia sunt juxta Aristotelem Phys. II, 2. Deum tamen tanquam finem ultimum respicit. Sed divinum Aristotelem, gentilium maxime pium, quem salva codicis sacri auctoritate, hic sequimur, eorum quæ diximus testem audi locupletem. Sic ille loco omnium, lib. X. Ethic. c. 7. ὁ δὲ τοιοῦτος ἂν εἴη κρείττων βίος, ἢ κατὰ ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω

βιώσεται, ἀλλ᾽ ᾗ θεῖόν τι ἐν αὐτῷ ὑπάρχει. ὅσῳ δὲ διαφέρει τοῦτο τοῦ συνθέτου, τοσούτῳ καὶ ἡ ἐνέργεια, τῆς κατὰ τὴν ἄλλην ἀρετήν. εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος, θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βιόν. χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας, ἀνθρώπινα φρονεῖν, ἄνθρωπον ὄντα. οὐδὲ θνητὰ τὸν θνητὸν, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ. εἰ γὰρ καὶ τῷ ὄγκῳ μικρόν ἐστι, δυνάμει καὶ τιμιότητι πολὺ μᾶλλον ὑπερέχει πάντων· δόξειε δ᾽ ἂν καὶ ἕκαστος εἶναι τοῦτο, εἴπερ τὸ κύριον καὶ ἄμεινον. ἄτοπον οὖν, γίνοιτ᾽ ἂν, ἐν μὴ τὸν αὐτοῦ βίον αἱροῖτο, ἀλλά τινος ἄλλου. τὸ λεχθέν τε πρότερον ἁρμόσει καὶ νῦν· τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει, κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐσθ᾽ ἑκάστῳ, καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ μάλιστα τοῦτο ἄνθρωπος. οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος. *Erit autem talis vita* (secundum mentem) *melior, quam hominis natura ferat. Non enim qua homo est, ita vivet: sed quà divinum quiddam in eo inest. Quanto autem hæc particula toti antecellit, tanto quoque ejus operatio ei operationi, quæ ex alia virtute oritur, præstat. Si igitur mens cum homine comparata divinum quiddam est: vita quoque menti consentanea, divina sit necesse est, si cum humana conferatur. Neque vero nos oportet, ut quidam monent, humana sapere ac sentire, cum simus homines; neque mortalia, cum mortales; sed nos ipsos, quo ad ejus fieri potest, a mortalitate vindicare, atque omnia facere, ut ei nostri parti, quæ in nobis est optima, convenienter vivamus. Nam etsi mole parva est, potestate tamen & honoris gradu longe omnibus antecellit. Et vero pars hæc unusquisque nostrum esse videatur: siquidem id, quod principatum obtinet, etiam melius est. Absurdum igitur fuerit, si quis non suam, sed alienam vitam expetat & sequatur. Præterea, quod ante a nobis dictum est, etiam huic loco conveniet. Nam quod cujusque proprium est natura, idem & optimum cuique est, & jucundissimum. Ergo & homini optima ea vita est, quæ menti convenienter traducitur, siquidem hæc pars homo est maxime. Hæc igitur vita est beatissima.* Iterum audi eum, libri ejusdem capite 9. ὁ κατὰ νοῦν ἐνεργῶν, καὶ τοῦτον θεραπεύων, καὶ διακείμενος ἄριστα, καὶ θεοφιλέστατος ἔοικεν εἶναι· εἰ γάρ τις ἐπιμέλεια τῶν ἀνθρωπίνων ὑπὸ θεῶν γίνεται, ὥσπερ δοκεῖ, καὶ εἴη ἂν εὔλογον χαίρειν τε αὐτοὺς τῷ ἀρίστῳ καὶ τῷ συγγενεστάτῳ, τοῦτο δ᾽ ἂν εἴη ὁ νοῦς καὶ τοὺς ἀγαπῶντας μάλιστα τοῦτο καὶ τιμῶντας, ἀντευποιεῖν, ὡς τῶν φίλων αὐτοῖς ἐπιμελουμένους, καὶ ὀρθῶς τε καὶ καλῶς πράττοντας. ὅτι δὲ

ταῦτα

ταῦτα πάντα τῷ σοφῷ μάλιστα ὑπάρχει, οὐκ ἄδηλον. Θεοφιλέστατος ἄρα. τὸν αὐτὸν δ' εἰκὸς καὶ εὐδαιμονέστατον. ὥς τε κἂν οὕτως εἴη ὁ σοφὸς μάλιστ' εὐδαίμων. *Qui muneribus fungitur menti consentaneis, & hanc colit, estque optime circa eam dispositus, eum probabile est Deo charissimum esse. Nam si Dii immortales curam aliquam rerum humanarum gerunt, quemadmodum verisimile est: illud quoque probabile fuerit, eos re omnium optima, sibique maxime cognata (hac autem mens fuerit) delectari, iisque qui hanc maxime diligunt & plurimi faciunt, præmia persolvere, gratiamque referre, ut eorum, quæ ipsis chara sunt, curam habentibus, rectasque & honestas actiones obeuntibus atque exercentibus. Hæc autem omnia in sapiente inesse maxime, non est obscurum. Est igitur Deo charissimus. Eundem autem beatissimum quoque esse verisimile est. Itaque sapiens etiam hoc modo beatissimus erit.* Hæc satis pie, ut arbitror, ex naturæ lumine Aristoteles, impietatis toties præter meritum accusatus, juxta quem Deus est primum & principale principium, Metaphys. XI, 7. prima substantia, Metaphys. XII, 8. primus motor, Phys. VIII, 5. lib. de anim. motu, cap. 6. unus, Phys. VIII, 6. æternus, Phys. VIII, 6. 10. Metaphys. XII, 6. 7. immortalis, lib. de cœlo I, 3. 9. II, 3. immutabilis, Phys. VIII, 10. lib. I. de cœlo c. 9. magnitudinis & materiæ expers, Phys. VIII, 10. Metaphys. XII, 6. intelligens & vivens, Metaphys. XII, 7. summe beatus, Ethic. X, 8. nullius rei indigus, lib. de cœlo I, 9. Politic. I, 2. minime dormiens aut otiosus, Ethic. X, 8. nocere nescius, Topic. II, 2. curam aliquam rerum humanarum gerens, sapientissimos item & omni vitio carentes amans, Ethic. X, 9. nihil frustra faciens, lib. de cœlo I, 4. colendus, lib. II. Topic. cap. ult. Politic. VII, 9. in cœlo, lib. de cœlo I, 3. nullo tamen inclusus loco, lib. de cœlo I, 9. Igitur quoniam Deus est primum omnium, & unicum principium, atque ultimus finis, sapientiæ vero munus est principia contemplari: necessario sequitur, eam disciplinam, quæ de Deo ejusque cultu agit, solam & veram esse sapientiam, sive, ut modestiam Pythagoræ imitemur, Philosophiam: & solos Theologos esse sapientes, sive Philosophos. Hinc Aristoteli disciplina, quæ de Deo agit, dicitur non modo Theologia, Metaphys. VI, 1. XI, 6. & Methodus de primo principio, Phys. VIII, 1. verum etiam absolute & simpliciter Philosophia, Phys. II, 2. lib. de part. anim. I, 1. Metaphys. XI, 4. Theologus etiam, quem Metaphysicum posteriores nominant, ἁπλῶς ei dicitur Philosophus, Metaphys. IV, 3. XI, 3.

6. Cum itaque tria sint Philosophorum genera, & triplex Philosophiæ significatio: nos de iis, qui Philosophorum in prima significatione dictorum, sive scientias liberales excolentium historiam scripserunt, pro virili sumus acturi. Quemadmodum vero eorum, qui scribendis rerum gestarum observationibus se accingunt, non solet eadem esse consilii sui exponendi ratio, dum alii uno obtutu imaginem historiæ exhibent, alii per partes inlustrant: ita Philosophorum inprimis res, vitæ & historiæ variis variorum conatibus exercitæ quoquo versus curiosa & sedula tot gravissimorum scriptorum diligentia gloriantur, dum hic universe Philosophorum historiam exponit, ille sigillatim, vel Aristotelis, vel Platonis alteriusve vitam tradit; iste libros enumerat, alius discipulos. Theodoretus perspecta hac scriptorum historiæ philosophicæ diversitate, ad duas classes eos referre voluit θεραπ. Serm. 2. enumerans unum quidem genus eorum, qui *dogmata* tantum Philosophorum: alterum vero eorum, qui dogmata simul & vitas consignaverunt. Verba ejus sunt: Πλούταρχος δὲ καὶ Αέτιος τὰς τῶν φιλοσόφων ἐκπαιδεύουσι δόξας τὸν αὐτὸν δὲ καὶ ὁ Πορφύριος ἀνεδέξατο πόνον, τὸν ἑκάστου βίον ταῖς δόξαις προστεθεικώς. *Plutarchus vero & Aetius multorum opiniones Philosophorum conlegerunt. Quem sibi laborem Porphyrius quoque sumsit, ita sane diligenter, ut opinionibus singulorum quoque Philosophorum vitam moresque adjungeret.* Sed ea ratione addi quoque posset tertium eorum genus, qui Philosophorum *vitas tantum* conscripsere: a quibus tamen adhuc diversi forent, qui *de libris & scriptis Philosophorum*, de *discipulis, adversariis, sectis, successionibus, fortuna, locis modisque docendi* & istiusmodi aliis ad historiam hanc omnino facientibus, privata volumina ediderunt. Nos, nullo habito discrimine eos, qui historiam philosophicam integram, vel ejus partem quomodocunque scriptis mandarunt, promiscue ad unum omnes, aut certe eorum plurimos, vel potiores recensebimus, & quicquid de iis antiquitas, quod quidem nostro labori inserviat, suggerit, qua possumus cura atque diligentia, sermone tamen quandoque paullo liberiori quam instituti nostri ratio exigit, persequemur. Citantur isti βιογράφοι aliquando sine nomine. *Qui de Xenophontis Platonisque vita & moribus pleraque omnia exquisitissime scripsere*, ait Gellius Noct. Att. XIV, 3. Scriptores Pythagoricæ vitæ & historiæ ita citat Justinus Martyr παραινέσει. Ὁ τοῦ Μνησάρχου πυθαγόρας, ὁ τὰ δόγματα τῆς ἑαυτοῦ φιλοσοφίας διὰ συμβόλων μυστικῶς ἐκθέμενος, ὡς δηλοῦσιν οἱ τὸν βίον

αὐτοῦ

αὐτοῦ γεγραφότες, *Pythagoras Mnesarchi Filius, qui dogmata sua Philosophia per symbola mystice tradidit, ut testantur ii, qui vitam ejus descripserunt.*

Caput II.

1. Circa scriptores ex antiquitate eruendos sextupliciter plerumque peccari solet. 2. *Primo*, corruptum eorum nomen multis imponit, ut plures fingant scriptores. Persæus, Lysimachus, Scamon, Neanthes, Hermippus, Philostephanus, truncata & varie corrupta nomina. 3. *Secundo*, Homonymia auctorum facit, ut unius scripta alteri adscribantur, & unus versiculos facit, ferat alter honores. 4. *Tertio*, cognomen quandoque nominis vicem subit, & novo scriptori fingendo ansam præbet. Polyhistor, Heracleotes, Thrax, Ascalonita, Eicadista nomina non sunt. 5. *Quarto*, Ellipsis, nominativi sub genitivo latentis hallucinari quosdam fecit. Subintelligitur non modo filius, sed etiam pater, mater, uxor, amicus, discipulus, forte etiam magister. 6. *Quinto*, diversa eidem scriptori tributa topica nomina faciunt aliquando, ut diversi habeantur scriptores, qui unus est. Apio, Aristarchus, Clemens, Posidonius, Simmias, Theodorus, Apollonius, Dionysius, Epigonus, Thucydides, Epicurus, Nicander, Metrodorus, Diogenes, Pausanias, Porphyrius, a loco non uno adpellati. 7. *Sexto*, locus e libro citatus, sed pro libro integro habitus, librorum copiam male peperit. Laertius multorum Aristotelis librorum a se enumeratorum auctor est.

I.

CUm plurimis iisdemque non exiguis difficultatibus involuta sit antiquitatis cognitio & investigatio, non inutile, neque ingratum legentibus fore existimavi, priusquam singula persequor, præcipuos errorum fontes aperire, & tanquam scopulos monstrare, circa quos caute antiquitatis hujus studiosis navigandum sit, ne veritatis jacturam facere velint.

2. *Primo*, nomen auctoris ejusdem mutatum incauto lectori imponere solet, ut credat diversos etiam significari auctores. Ita Persæus truncate legitur Sæus apud Athenæum IV, 8. & paullo post ibidem corrupte Perseus, ubi utrique & Sæo isti, & Perseo, librum de Laconum Rep. tribuit Athenæus corruptus. Vossius, diligentissimus antiquitatis scrutator, cui hæ literæ plurimum debent, lib. III, de Hist. Gr. Perseum & Sæum, duos, & quidem a Persæo diversos, incertæ ætatis historicos Græcos facit, quorum uterque de Laconum Rep. scripserit. Ubi vero de Sæo agit, eruditos suspicari indicat; eundem esse Saona illum, de cujus stylo judicat Dionysius Halic. lib. περὶ σύνθεσ. ονομ. Novi Sylburgium, doctissimum virum, indice Dionysii ita suspicari, sed suam conjecturam in certam habere: *incertum*, inquit, *an idem, qui apud Athenæum Sæus.* Saon est Pſaon ille, Platæensis Historicus, qui historiam XXX. libris contexuit, juxta Diodorum Siculum, lib. XXXI. inter fragmenta §. 5. Estque Pſaon ille, à Sæo isto trunco, plane mea quidem sententia, diversus. Sæus autem iste est Persæus Cittiensis, Zenonis, Stoici, servus & discipulus, cujus συμποτικὰ ὑπομνήματα citat Athenæus XIII, 8. quemque Antigoni Regis præceptorem facit Ælianus Hist. Var. III, 17. qui ab Antigono, post Corinthi præsidii dux constitutus, ab Arato occiditur, teste Pausania *Corinth.* Hunc in Rep. versatum philosophum Laertius Lib. VII. Zen. de Rep. Lacedæmoniorum scripsisse, expresse testatur. Simili modo & Lysimachus, capite minutus reperitur. Scripsit Lysimachus Historiam Ægyptiacam, e qua novam de *Hierosolyma* voce derivationem adfert Josephus lib. I. de Judæorum antiquitatibus, quod scilicet ἱεροσόλυμα dicatur quasi ἱερόσυλα, quod e fanis aliorum populorum compilatis, aliisque sacrilegiis, a Judæorum gente sit condita. Agathias lib. II. Hist. cum Beroso & Athenocle, nostrum quoque sed truncum citat Σίμαχον, qui Vossio Simachum Historicum facit. Sic Lysimachum Attali Regis magistrum, Athenæo VI, 13. laudatum interpres Dalechampius, nescio

qua

qua de causa, sine capite nobis exhibet, & Simachum, neglecto Græco textu adpellat. Lysimachus περὶ νόστων scripsit: at Symmachum eum adpellat Tzetzes ad Lycophrona. Scamon, Mitylenæus, Hellanici Mitylenæi filius, juxta Suidam Ἑλλάνικος, neque inter incertæ ætatis historicos propterea a Vossio referendus, truncate in quibusdam codicibus Camon dicitur, unde duo nati Historici, Scamon & Camon, apud Vossium de Hist. Gr. quorum uterque περὶ ευρημάτων scripserit. Neanthes, Cyzicenus, litera initiali minor reperitur, Eantes, apud Hieronymum lib. II, contra Jovin. c. 39. editionis A. 1476. uti similiter Thesiphon pro Ctesiphon legitur lib. II, contra Rufinum & epist. 15. ad Thesiphontem contra Pelagios. Alibi magis corrupte pro Neanthes scribitur Evanthes, quam corruptam scripturam secutus Vossius, Neanthem & Evanthem diversos facit Historicos, cum tamen, quæ ex Evanthe corruptus Hieronymus adducit, eadem ex Neanthe referat Porphyrius lib. IV, περὶ ἀποχῆς. Neque capitis modo jacturam fecisse scriptores, sed alias quoque mutationes passos esse observamus. Sic Hermippus, & qui idem, quanquam corrupte est, Euripus, tanquam distincti historici perperam a Vossio adducuntur. Philostephanus librorum περὶ παραδόξων ποταμῶν, auctor corrupte Gellio IX, 4. Polystephanus dicitur, unde iterum nobis diversi scriptores nati.

3. *Alter* errorum fons est variorum scriptorum homonymia, quæ ignorata ut alibi, sic & in nominibus personarum multum tenebrarum & caliginis animo veritatis cupido offundere solet. Reperiuntur in antiqua potissimum historia celebres 28 Pythagoræ, 20 circiter Hippocrates, * totidemque Socrates, 16 Platones, 50 circiter Dionysii, 30 fere Aristoteles, totidemque circiter Heraclides. Quibus non distincte cognitis, non potest in antiquitatis oceano absque erroris periculo navigari. Hoc fine inter antiquos Demetrius Magnes peculiari opere, *περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν καὶ συγγραφέων, de scriptoribus & poetis homonymis*, agere voluit, & posteris ad distinctam historiarum cognitionem facem præferre. Hoc ejus utilissimo labore Diogenem Laertium egregie usum

** Eorundemque sex scriptores Medici, Coi omnes, ex una eademque familia exorti. Confer Vinc. Placcium L. de Scriptoribus Anonym. & Pseudon. pag. 209. Wowerum de Polymathia, Cap. 16. p. m. 163, 165.*

usum observamus, qui Philosophorum historiæ explicatæ plerumque homonymos subjungere solet. Sed jacuit hoc studium sine cultura ad nostra tempora, quibus Gesnerus in Bibliotheca sua parum feliciter, diligentius vero Johannes Meursius * subinde in scriptis suis homonymos recensendo, id studii resuscitarunt. Vossius variorum scriptorum historiam traditurus, cognito omni luce cariturum laborem ni distinguendi distinguerentur, frequenter homonymos adducit, ita tamen, ut largum aliis spicilegium reliquerit. Idem & nos tentavimus, felicius an secus, aliorum esto judicium.** Facilis hic lapsus, facilis venia.

4. *Tertio*, cognomen aliquando pro nomine auctoris habitum, copiam scriptorum auget. Cornelius Alexander, Polyhistor, Asclepiadæ filius, Historicus, Plinio etiam imposuit adpellationis suæ varietate. Hic enim libro primo, ubi de libri septimi auctoribus agit, Alexandrum, Polyhistora, & Polyhistora, Historicum, tanquam diversos ponit. Idemque facit lib. IX, c. 35. ubi: *Alexander & Polyhistor.* Xylander, qui Stephanum περὶ πόλεων, nobis iterum dedit, & quidem cum indice, ut loquitur, adcurato, in hoc indice ex Alexandro illo quinque facit diversos, Alexandrum, Alexandrum Asclepiadæ filium, Alexandrum Cornelium, Alexandrum, Polyhistora, & Polyhistora; nisi forte Xylander diversas saltem adpellationes secutus esse dicendus erit. Gesnerus Bibliotheca similiter Polyhistora quendam Historicum, ab Alexandro illo diversum commemorat, Plinii fidem secutus; neque ab hoc abit Vossius lib. III. de Hist. Gr. Utut vero Hyginum, Polyhistora, ab Alexandro, Polyhistore, diversum agnoscamus, Plinium tamen, & qui eum sequuntur, hallucinatos esse opinamur. Nymphis, Promathides & Herodorus, Heracleotæ de Heraclea scripserunt, quorum aliquem Scholiastes Aristophanis ad aves fol. 583. ubi de Sabazio Deo agit, citat: Τίς δὲ ἐστιν ὁ θεὸς ὁ Ἡρακλεώτης περὶ Ἡρακλείας ἐν τῷ ιβ φησί. Vossius hinc Heracleotam quendam Historicum, a prioribus distinctum facit lib. IV, sed redarguit eum similis phrasis in citationibus adhiberi solita. Qui enim Διονύσιος ὁ Θρᾷξ Schol. Hom. il. ν, fol. 221 dicitur, eidem Odyss. μ. fol. 142. ὁ Διονύσιος & il. ο, fol. 270 ὁ Θρᾷξ dicitur. Itemque qui Πτο-

* Senior videlicet.

** *quam ob caussam etiam præcipue a Morhofio laudatur in Polyb. litter. L. 1. C. 9. §. 5.*

Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκαλωνίτης dicitur Schol. Hom. il. σ, fol. 310. & Ammonio lib. de verb. differ. τρίετες, idem Eustathio il. β fol. 179. alibi ὁ Πτολεμαῖος, & Eustathio & Scholiastæ minori ὁ Ἀσκαλωνίτης adpellatur. Unde Ascalonitam a Ptolemæo diversum cave putes. Helladius Besantinous χρηστομαθίας auctor, quandoque absolute citatur; sed Besantius & Bisantinus; unde Bisantinus velut nomen proprium scriptoris quandoque occurrit in Stobæo, & Græco Etymologico M. Eicadistam, Epicureum, inter auctores ab Athenæo VII, 13. laudatos, perperam conlocat auctor indicis Athenæo præfixi, sive is Christianus Herlinus est, sive Iacobus Bedrotus. Eicadistæ dicebantur omnes Epicurei, quod τῇ εἰκάδι cujusque mensis memoriam magistri sui recolerent, de quo suo loco. Eicadista igitur cognomen est, sive epitheton omnium Epicureorum, non nomen unius. Quoniam vero non omne cognomen æque notum est ac nomen ipsum, facilis & hic hallucinatio est.

5. *Quarto*, non raro ellipsis nominativi sub genitivis latens, offendiculo esse solet. Plerumque *filius* subintelligitur, ut Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος, *Plato Aristonis* scilicet filius; quanquam hæc ellipsis non est perpetua, cum & *pater* quandoque subaudiatur. Πτολεμαῖος ὁ τοῦ Ἀριστονίκου, inquit Athenæus, XI, 9. Dalechampius male reddidit: *Ptolemæus, Aristonici filius*. Atqui pater Aristonici erat Ptolemæus ille, teste Suida: Πτολεμαῖος. Ἀριστονίκου τοῦ γραμματικοῦ πατήρ, *Ptolemæus, Aristonici, Grammatici pater*. Eodem modo Κλεινίας ὁ Ἀλκιβιάδου, *Clinias Alcibiadis*, sc. pater, apud Herodotum, lib. IX. explicante doctissimo Meursio Lect. Att. VI, 12. Neque aliam interpretationem admittunt hæc Athenæi XI, 15. Ἐν τῷ περὶ ἀνδρείας, Μελησίαν, τὸν Θουκυδίδου τοῦ ἀντιπολιτευσαμένου Περικλεῖ, καὶ Λυσίμαχον τὸν Ἀριστείδου τοῦ δικαίου τῆς τῶν πατέρων ἀρετῆς ἀναξίους εἶναι φάσκων, sic reddenda: *Plato, Dialogo de fortitudine, Melesiam, Thucydidis Pericli adversantis & Lysimachum Aristidis justi patres, majorum virtute indignos tradit*, confer Platonem Menone & Lach. Sic Ὀλυμπιὰς ἡ Ἀλεξάνδρου, *Olympias Alexandri*, sc. mater, apud Ælianum Hist. Var. XIII, 30. *Hectoris Andromache*, scilicet uxor, apud Virgilium Æn III. Rarum exemplum est ὁ τοῦ Παμφίλου, *Pam. hili*, scilicet amicus, Eusebius Cæsareensis. Sed (quod hic maxime observandum) subintelligitur quandoque *Discipulus*. Παρθένιος ὁ τοῦ Διονυσίου, occurrit apud Athenæum X, 5. XV, 8. male utrobique interpres,

terpres, *Parthenius, Dionysii filius.* Rectius: *Parthenius, Dionysii discipulus:* cum Dionysius Παρθενίου τοῦ γραμματικοῦ διδάσκαλος, expresse dicatur Suidæ Δίον. Ita Περσαῖος, ὁ τοῦ Ζήνωνος apud Dionem orat. 53. est *Perseus Zenonis discipulus.* Κρατήτειος, ὁ τοῦ Κράτητος inquit Suidas Κρατ. idque reddendum: *Crateteus, id est, Cratetis discipulus vel sectator.* Δέξιππος, ὁ Ιαμβλίχου occurrit in Simplicio ad Categorias. latine: *Dexippus, Iamblichi discipulus.* Αριστοτέλης, ὁ Πλάτωνος, inquit Plutarchus, lib. de Musica, id est, si latine vertamus: *Aristoteles, Platonis discipulus.* Sed forte & vox *præceptor* sub genitivo latet. Πτολεμαῖος, ὁ τοῦ Ηφαιστίωνος legitur apud Suidam ἐπαφρόδιτος & Πτολεμαῖος. Photium Ecl. 189. (190) Viris doctis dicitur *Ptolemæus, Hephæstionis filius,* vel *Ptolemæus Hephæstionis;* neutrum probe. Ego malim: *Ptolemæus, Hephæstionis præceptor vel pater.* Ptolemæus enim ille Chennus, sub Nerva & Trajano; Hephæstion sub Antonino Pio floruit, ut suo loco ostendemus. Forte & hanc habent ellipsin ista: Απολλώνιος, ὁ Ασκληπιάδου, Ασκληπίαδης, ὁ Αρείου, Διονύσιος, ὁ Τρύφωνος, Δίδυμος, ὁ Ηρακλείδου, de quibus quid statuendum, suo loco dicemus.

6. *Quinto,* eidem scriptori geminum locale cognomen quandoque tribuitur, propter quam rationem quibusdam diversi videntur auctores, qui unus est. E duobus autem localibus adjectivis unum notare solet locum nativitatis: alterum locum vel originis, unde parentes vel majores oriundi, vel habitationis, vel professionis: quandoque etiam a vicina civitate adpellationem sortiuntur. Alexandria, Ægypti urbs celeberrima, Musarum quasi domicilium erat, ubi varii bonarum artium erant professores, quo tanquam ad mercaturam eruditionis confluebant undique, quibus studia cordi erant. Hinc Alexandrini dicuntur, qui alibi quidem nati, sed Alexandriæ litteras docuerunt, vel ejus civitatis jus fuerunt adepti. Apio, Oasi, Ægypti civitate natus, Alexandrinus dicebatur, de quo Iosephus lib. II. περὶ ἀρχαιότητος ἰουδαίων, qui est contra Apionem. Αυτὸς περὶ αὑτοῦ τοὐναντίον ἐψεύδετο· καὶ γεγενημένος ἐν Οάσει τῆς Αιγύπτου, πάντων Αιγυπτίων πρῶτος ἄν, ὡς ἂν εἴποι τις, τὴν μὲν ἀληθῆ πατρίδα, καὶ τὸ γένος ἐξωμόσατο. Αλεξανδρεὺς δὲ εἶναι καταψευδόμενος ὁμολογεῖ τὴν μοχθηρίαν τοῦ γένους. *ipse de se contraria mentitus est. Oasi enim in Ægypto natus, omnium Ægyptiorum primus, ut ita loquar, veram patriam & genus suum abjuravit. Alexandrinum autem se mentitus confirmat generis sui pra-*

vita-

vitatem. Ariſtarchus, Grammaticus, Ἀλεξανδρεὺς θέσει, τῇ δὲ φύσει Σαμοθρᾷξ, *Alexandrinus habitatione, natione vero Samothrax* fuit juxta Suidam Ἀρίσαρχος. Ita quoque Titus Flavius Clemens, patria Athenienſis, Eccleſiæ Alexandrinæ presbyter, & κατηχήσεων magiſter in Eccleſiaſtica Schola Alexandriæ poſt Pantænum, teſte Hieronymo de Script. Eccleſ. vulgo Clemens Alexandrinus dicitur. Rhodus quoque ſimiliter litterarum ſtudiis nobilitata plurimis exteris nomen dedit. Poſidonius judicio Ciceronis omnium Stoicorum maximus, Apameenſis erat, Rhodius plerumque dicebatur. Lucianus de Longævis. Ποσειδώνιος ὁ Ἀπαμεὺς τῆς Συρίας νόμῳ δὲ Ῥόδιος, φιλόσοφός τε ἅμα καὶ ἱσορίας συγγραφεύς. Athenæus Libro Deipnoſ. VI, 13. Ποσειδώνιος ὁ Ἀπαμεὺς, ὕσερον δὲ Ῥόδιος χρηματίσας. Proclus Comment. 3. ad lib. I. Euclidis. Ποσειδώνιος ὁ Ἀπαμεὺς, Ῥόδιος νόμῳ. Strabo lib. XIV. Ποσειδώνιος, inquit, ἐπολιτεύσατο μὲν ἐν Ῥόδῳ καὶ ἐσοφίσευσεν· ἦν δὲ Ἀπαμεὺς ἐκ τῆς Συρίας, καθάπερ καὶ Ἀπολλώνιος ὁ Μαλακὸς καὶ Μόλων· ἦσαν γὰρ Ἀλαβανδεῖς, confer Suidam Ποσειδ. Rhodius itaque dicitur, quod in Rhodo docuerit, & in civium numerum adſcriptus fuerit. Simmias etiam, cum Samius eſſet, Rhodius dicebatur Parthenio ἐρωτ. c. 33. Suidas de eo Σιμ. Σιμμίας ὁ Ῥόδιος ἦν δὲ ἐξ ἀρχῆς Σάμιος. De Theodoro Quintilianus l. III. Inſtit. orat. c. 1. *Theodorus Gadareus, qui ſe dici maluit Rhodium.* Apollonius Argonauticorum ſcriptor, Naucratita Ægyptius fuit, Rhodius nominatur. Ἀπολλώνιος ὁ Αἰγύπτιος dicitur Theophilo lib. III. ad Autolycum. Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἢ Ναυκρατίτης dicitur Athenæo VII, 7. & Æliano Hiſt. Anim. XV, 23. Cur autem Rhodius dicatur, Anonymus vitæ Apollonii auctor exponit: ἐκεῖ ἐπολιτεύσατο καὶ ἐσοφισεύει ῥητορικοὺς λόγους· ὅθεν καὶ Ῥόδιον αὐτὸν ἀπεκάλεσαν, *jus civitatis ibi adeptus & Rhetoricam profeſſus eſt: unde Rhodium eum appellant.* Suidas Alexandrinum eum adpellat in Ἀπολλώνιος. Meurſius notis ad Apollonium Dyſcolum, hunc Alexandrinum Rhodio diſtinguit & propterea a Voſſio lib. I. de Hiſt. Gr. c. 16. jure reprehenditur. Potuit enim Naucratita ille Alexandriæ, & in Rhodo docuiſſe, & utrinque denominari, dicique Naucratita Rhodius & Alexandrinus, uti & Dionyſius Grammaticus triplice nomine gaudet: dicitur enim Thrax, Alexandrinus & Rhodius. Strabo l. XIV. Διονύσιος ὁ Θρᾷξ, καὶ Ἀπολλώνιος ὁ τοὺς Ἀργοναύτας ποιήσας, Ἀλεξανδρεῖς μὲν, ἐκαλοῦντο δὲ Ῥόδιοι, *Dionyſius Thrax & Apollonius, Argo-*

nauticorum scriptor, Alexandrini quidem sunt, Rhodii tamen dicuntur. De Dionysio quoque Suidas Διονυσ. Διονύσιος Ἀλεξανδρεὺς, Θρᾷξ δὲ ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου, *Dionysius Alexandrinus, Thrax vero a patre Tero dictus.* Epigonus, qui natura Ambraciota erat, Sicyonius dicitur, quod Sicyone in ciuium numerum adscitus esset, Athenæus IV, 25. Ἐπίγονος φύσει μὲν Ἀμβρακιώτης, δημοποίητος δὲ Σικυώνιος, *Epigonus natione Ambraciota, civitate vero a Sicyoniis donatus.* Pollux lib. IV, c. 9. §. 2. Ἐπίγονος γένει μὲν Ἀμβρακιώτης, τιμῇ δὲ Σικυώνιος, *Epigonus genere Ambraciota, honore autem Sicyonius.* Thucydides historicus, qui Suidæ Ἀθηναῖος, *Atheniensis:* Plutarcho vita Cimonis Ἁλιμούσιος, *Alimusius* dicitur: Æschines, Rhetor Atheniensis, Cothocides quoque dicitur Athenæo VI, 1. Nimirum quia ἁλιμοῦς & κοθωκίδαι Atheniensium erant populi, de quibus eruditissime scripsit Iohannes Meursius, libello de populis Atticæ. Epicurus Gargettius populo, Atheniensis patria fuit: Strabo tamen lib. XIII. eum quodammodo Lamsacenum esse tradit, quod videlicet diu Lampsaci commoratus fuerit, ibique scholam aperuerit. Neque alia ratione Nicander Colophonius dicitur Ætolus, nisi quod diu in Ætolia fuerit versatus, teste Anonymo vitæ ejus scriptore. Ob eandem credo caussam Metrodorus Atheniensis Straboni loco citato Lampsacenus dicitur. A vicina quoque civitate vel regione nomen trahebant quidam. Diogenes Stoicus, γένος Σελευκεὺς, καλούμενος δὲ Βαβυλώνιος διὰ τὴν γειτονίαν, *genere Seleuciensis, dictus vero Babylonius propter viciniam*, teste Laertio lib. VI. Unde & ὁ Σελευκεὺς ἀπὸ Τίγριος, *Seleuciensis ad Tigrin* dicitur Luciano Macrobiis, & *Babylonius* Ciceroni lib. I. de Nat. Deor. Athenæo, Minutio Felici, aliis. Pausanias item Cappadox aliis, Galeno tamen lib. III. de locis affectis c. 10. Syrus dicitur. Porphyrius etiam Bataneotes & Tyrius adpellatur. Tandem erant quos vilioris suæ patriæ pudebat, quique ea abjurata nobiliorem mentiebantur; de quibus Ioannes Damascenus excerptis de virtutibus & vitiis per Constantinum Porphyrogennetam conlectis: Σοφισταὶ μεγάλοις τιμήμασιν ἐωνοῦντο Ἀθηναῖοι ἢ Ῥόδιοι καλεῖσθαι βαρυνόμενοι τὴν ἀδοξίαν τῶν πατρίδων. Ἔνιοι δὲ καὶ συνέγραψαν περὶ τοῦ μὴ εἶναι ἀφ᾽ ἧς πόλεως ἦσαν, ἀλλ᾽ ἀπό τινος τῶν δι᾽ ὀνόματος ἑλληνίδων, ὁμοίως τε ἀπέφηνε τοῖς τοὺς ἑαυτῶν γονέας βαρυνομένοις. *Sophistæ obscuritate patriarum suarum gravati, titulum civis Atheniensis aut Rhodii maximo pretio emebant. Nonnulli etiam libros scripsere, quibus probabant, haudquaquam se ex*

se ex illa civitate esse, ex qua revera erant oriundi, sed ex alia celebriori urbe Græca: Eos vero similes ajebat esse illorum, quos parentum suorum puderet. Ita nimirum a suo pariter & parentum loco natali, a loco item professionis & habitationis, nec non a vicina regione vel civitate plerique cognomina localia sunt sortiti, ut proinde in homonymis & non nisi cognomine topico distinctis caute & circumspecte sit procedendum.

7. *Sexto*, circa libros id notandum duco, non raro pro libro haberi, quod vel minima pars libri est, Laertius citationis securus, magnam hac ratione librorum Aristotelis copiam nobis L. V. paravit. Philosophus de utili, ἐν τοῖς συμβουλευτικοῖς, dictum esse indicat lib. I, Rhet. c. 10. lib. II, c. 19. Laertius peculiarem librum hic citari ratus, inter Aristotelis libros recenset περὶ συμβουλείας, α΄. de Consilio, unum. At citat Philosophus caput 6. & 7. libri I. Rhet. quo lectorem in superioribus locis remittit. Iterum lib. IV. de gener. animal. cap. 3. dicitur: εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν διωρισμένοις. Laertius hinc fingit librum περὶ τοῦ πάσχειν, quid sit tolerare, cum citetur saltem locus, in quo περὶ τοῦ ποιεῖν καὶ πάσχειν determinatur, nimirum lib. I. de gener. & corrupt. c. 6. Porro lib. de sensu c. 3. ἐν τῷ περὶ μίξεως, & ἐν τοῖς περὶ μίξεως εἴρηται, dicit Philosophus, citatque lib. I. de gen. & corrupt. cap. 10. Deinde L. de sensu cap. 4. ἐν τοῖς περὶ στοιχείων, inquit, non citat autem librum peculiarem περὶ στοιχείων, α΄, β΄, γ΄, de elementis tres, ut Laertio visum, sed locum saltem, nimirum lib. II. de gener. & corrupt. c. 2. & 3. Sed nolim diutius Laertii fidem labefactare, cum hujus generis errores innumeri etiam apud alios occurrant, neque doctissimi ab iis immunes sint, dum simili modo locum libri citatum de integro libro interpretantur. Laertius lib. IX. Heracl. auctor est, λέγειν Ἀρίστωνα ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτου, Ambrosius interpres audacter vertit, *Aristonem in libro de Heraclito dicere.* At librum de Heraclito ab Aristone esse scriptum, difficulter inde probaveris, cautius ita vertendum fuisset: *Aristonem eo loco, ubi de Heraclito agit, dicere.* Athenæus XIII, 7. Ἕρμιππος, inquit, ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους. Dalechampius præter Athenæi mentem vertit: *Hermippus in libro de Isocrate.* Melius ita transtulisset: *Hermippus eo loco, ubi de Isocrate agit.* Non quidem negaverim, aliquando integrum hac phrasi librum denotari & citari, sed quod semper de libro explicari illa ῥῆσις debeat, difficulter probari posse con-

tendo. Hæc fere sunt, in quæ improvidi lectores impingere plerumque solent, eo diligentius observanda, quo facilior & frequentior est lapsus & quo doctiores hallucinatos esse intelligimus, quorum ut eruditionem atque diligentiam laudandam & imitandam, sic errores fugiendos & notandos ducimus. Sed ad singulorum enarrationem accedemus temporis ordinem & cujusque ætatem secuturi.

CAPUT III.

1. Qui primi eruditione & poesi celebres, & qui primi philosophorum vitas descripserunt, incertum. Inter Poetas Homerum antecessisse dicuntur Sisyphus Cous, Corinnus Iliensis, Dictys Cretensis, Dares Phrygius, Demodocus Corcyræus, Phemius Ithacensis, Syagrus, Phantasia, & Helena e sequiori sexu, Oribantius Troezenius, Melisander Milesius, Thales Cretensis, Musæus, Linus & Daphno, Tiresiæ F. Sanchoniathon Berytius, Phœnicum historiam ante bellum Trojanum condidit. 2. Archetimus primus historiæ philosophicæ scriptor non habendus. 3. Theagenes de Homero egit. 4. Tatianus & Eusebius mutuam sibi opem præstant. 5. Varii Theagenes. 6. Acusilaus, an scripserit de sapientibus. ejus ætas. Scripta spuria. 7. Theano historiam Pythagoræ tradidit, ejus nominis plures.

1.

Certum quidem est, viros philosophos, doctos & eruditos priores fuisse iis, qui de vitis ipsorum scripserunt: at non æque certum, qui primi fuerint docti, philosophi, sapientes: qui item primi philosophorum & sapientum virorum vitas scripserint. Homerum primum novimus poetam belli Trojani scriptorem, sed negant alii. Cicero *Bruto:*

Nec

Nec dubitare debet, quin fuerint ante Homerum poetæ: quod ex eis carminibus intelligi potest, quæ apud illum & in Phæacum, & in procorum epulis canuntur. Bellum etiam Trojanum jam ante Homerum scripsisse dicitur *Sisyphus Cous, Teucri scriba*, Tzetzæ Chil. V, Hist. 29. *Corinnus Iliensis, Palamidis discipulus*, Suidæ Κόριννος. *Dictys Cretensis, Idomenei scriba*, Isaacio Porphyrogennetæ in characteribus Græcorum & Trojanorum, Cedreno, Synopsi historica aliisque, *Dares Phrygius*, Ptolemæo apud Photium & Ælianum, Hist. Var. XI, 2. *Demodocus Corcyræus*, Plutarcho lib. de Musica, *Phemius Ithacensis* eidem & Eustathio ὀδυσσ. A. *Syagrus*, Æliano Hist. Var. XIV, 21. Eustathio prolegom. Homericis. *Phantasia, Memphitis Nicarchi filia*, Ptolemæo lib. V. apud Photium Ecl. 190. *Helena, Musæi Atheniensis filia* eidem. Extiterunt quoque ante Homerum carmina *Oribantii Troezenii, & Melisandri Milesii*, teste Æliano, Hist. Var. XI, 2. *Thaletis Cretensis*, juxta Suidam, Θαλήτας, quem tamen alii priorem Homero non agnoscunt. *Musæum* quoque μελοποιὸν Thebanum Thamiræ F. circa Troica tempora vixisse docet Theodoretus θερ. Serm. 2. & Suidas Μυσ. idem de *Lino* tradit Theodoretus loco citato *Daphno*, Tiresiæ filia, scriptis a se oraculis Homero profuit, ut ex aliorum relatione monet Diodorus Sic. lib. IV. At vixisse hos ante Homerum plus dubii quam certi habet, de quo vide Leonem Allatium Chium L. de patria Homeri cap. IV. quem in honorem gentis suæ Chium fuisse contendit. Paullo ante Trojanum bellum floruit in Phœnicia Sanchoniathon Berytius, qui Phœnicum historiam patrio sermone scripsit & Abibalo Berytiorum Regi dedicavit, de quo Theodoretus θεραπ. 2. & inprimis eruditissimus vir, Samuel Bochartus, Geogr. Sacræ lib. 2. c. 17. Sed plures Homerum secuti sunt, Hesiodus, Lycurgus, prudens potius quam sapiens, aliique non pauci, donec tandem nomen septem sapientum effulsit circa initia regni Persici.*

2. Primum quoque historiæ philosophicæ scriptorem Archetimum in hæc tempora referimus, qui sapientum illorum historiam eorumque cum Cypselo congressum, cui ipse quoque interfuit, persecutus est. Laertius lib. I. Thal. Ἀρχέτιμος ὁ Συρακούσιος, ὁμιλίαν αὐτῶν γέγραφεν παρὰ Κυψέλῳ, ᾗ καὶ αὐτός φησι περιτυχεῖν, *Archetimus Syra-*

* *Quanquam & hi, Thalete excepto, prudentia magis quam sapientiæ laude claruerunt.*

Syracusanis, illorum cum Cypselo congressum scripsit, cui se quoque interfuisse ait. Forte idem est Architimus ille, Ἀρκαδικῶν *Arcadicorum* scriptor, apud Plutarchum Quæst. Gr. quem incertæ ætatis historicis adnumerat Vossius, Hist. Gr. lib. III. *

3. Habuit quoque Homerus hoc tempore suum præconem Theagenem Rheginum, quem Cambysis tempore de Homeri poesi, genere & ætate scripsisse docet Tatianus, λόγῳ πρὸς Ἕλληνας, §. 48. his verbis: περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου καθ' ὃν ἤκμασε, προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι, Θεαγένης τε ὁ Ῥηγῖνος κατὰ Καμβύσην γεγονὼς, Στησίμβροτός τε ὁ Θάσιος, καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος, Ἡρόδοτός τε ὁ Ἀλικαρνασσεὺς, καὶ Διονύσιος ὁ Ὀλύνθιος· μετ' ἐκείνους Ἔφορος ὁ Κυμαῖος καὶ Φιλόχορος ὁ Ἀθηναῖος, Μεγακλείδης τε καὶ ὁ χαμαιλέων οἱ περιπατητικοί. Ἔπειτα γραμματικοὶ, Ζηνόδοτος, Ἀριστοφάνης, Καλλίμαχος, Κράτης, Ἐρατοσθένης, Ἀρίσταρχος, Ἀπολλόδωρος. Τούτων δὲ οἱ περὶ Κράτητα πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶν αὐτὸν ἠκμακέναι, μετὰ τὰ τρωϊκὰ, ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν· οἱ δὲ περὶ Ἐρατοσθένην, μετὰ ἑκατοστὸν ἔτος τῆς Ἰλίου ἁλώσεως. *De patria Homeri, ejusque genere & tempore, quo claruit, antiquissimi viri investigaverunt, nempe Theagenes Rheginus, qui sub Cambyse floruit, Stesimbrotus Thasius, Antimachus Colophonius, Herodotus Halicarnasseus, Dionysius Olynthius. Post quos Ephorus Cumanus, Philochorus Athenienfis, Megaclides & Chamaleon Peripatetici. Deinde Grammatici Zenodotus, Aristophanes, Callimachus, Crates, Eratosthenes, Aristarchus, Apollodorus. Ex his Crates ante Heraclidarum descensum floruisse Homerum contendit intra octogesimum post Trojam captam annum. Eratosthenes vero post centesimum ab Ilio capto annum.*

4. Ea-

* *Et forte non incongrue, quum ista Laertii verba:* ἢ καὶ αὐτός φησι περιτυχεῖν, *Meric. Casaubonus & M. Meibomius reddant:* In quod scriptum (*scilicet Archetimi*) & ipse (*scilicet Dicaarchus, cujus in antecedentibus mentio fit*) inciderit. *Sic alius plane sensus elicitur, & Archetimus pro primo historia philosophica conditore minime habendus erit. Confer Acta Philosoph. pag. 176. & seqq.*

4. Eadem, paucis tamen mutatis, e Tatiano citat Eusebius lib. X. de præp. Evang. sed neuter locus absque mendo est, & alter alterius ope indiget. Θεαγένης ὁ Ῥηγῖνος in Tatiano legendum est cum Eusebio, itemque Μεγακλείδης τε καὶ ὁ χαμαιλέων. Corrupte vero in Eusebio legitur Καλλίμαχος ὁ Κολοφώνιος, pro Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος. Unde lituram merentur ista Vossii L. de poetis Græcis, ubi de Callimacho poeta agit cap. 8. fol. 62. ***Aliis vero ab hoc Callimachus Colophonius memoratus inter alios Tatiano orat. ad Gentes & Eusebio lib. X. præparat. Evang.*** Quod autem Tatianus Theagenem nostrum Cambysi æqualem facit, in eo consentientem habet Anonymum Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ ad Olymp. LXIII. 1. Θεαγένης ὁ Ῥηγῖνος χρονογράφος ἤκμαζεν, ***Theagenes Rheginus Chronographus florebat.*** De Homero eum scripsisse confirmat quoque Scholiastes Aristophanis ad Aves, fol. 579. ubi posteaquam de ψευδοπλάστῳ Theagene Aristophani ibidem memorato egisset, hæc addit: εἰσὶ δὲ ἄλλοι δύο Θεαγένεις, εἷς μὲν ὁ περὶ Ὁμήρου γράψας· ἕτερος δὲ ὁ ἐπὶ μαλακίᾳ σκωπτόμενος. Confer Suidam; Θεαγένους χρήματα. Eorundem meminit idem Scholiastes ad Pacem fol. 694: ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Θεαγένης ὁ εἰς Ὅμηρον γράψας. Unde sunt quæ Suidas ὑπνεία habet. Idem itaque est Theagenes Rheginus, & qui de Homero scripsit secus ac Vossio placet, qui Theagenem hunc περὶ Ὁμήρου γράψαντα, diversum a Rhegino illo & incertæ ætatis scriptorem habet lib. III. de Hist. Græcis, ubi τὸν περὶ Ὁμήρου γράψαντα, Carica quoque & Macedonica edidisse statuit. Caret Syrnium (non Σύγινον ut habent Scholia ad Aristophanis pacem, fol. 647.) Theagenem memorat Scholiastes loco jam citato, fol. 647. & Callimachus, sed eum καρικῶν scriptorem dicere nondum ausim. Theogenem περὶ Αἰγίνης citat Scholiastes Pindari Νεμεονικῶν od. III. minime a geographo hoc Theagene diversum, sive Theagenes verum nomen sit, sive Theogenes.

5. Fuit & Theagenes Megarensium Rex, Cylonis socer, juxta Thucydidem. Unde corrigendus Scholiastes Aristophanis ad Equites fol. 314. ubi in his verbis: Κύλων Ἀθηναῖος ἀνὴρ Μεγαρίδα γυναῖκα γήμας Θεαγένους γυναῖκα, θέλων τυραννεῖν, posterius γυναῖκα in θυγατέρα mutari debet. Theagenes quidam Cheroneæ Dux, erat tempore Philippi Macedonis, apud Plutarchum *Alexandro.* Theagenem Thasium, Athletam voracem, memorat Posidippus apud Athenæum Deipnos. lib. X, cap. 2. & Lucianus, quomodo sit scribenda historia & Deo-

Deorum concilio. Exstat quoque Posidippi epigramma in eum in Anthologia. Theagenem Cnidium Criticum Herodis sub Adriano magistrum laudat Philostratus lib. II. Sophist. *Herodes.* Theagenem Cynicum ab Attalo Sorani Methodici discipulo sua ætate occisum fuisse, auctor est Galenus lib. XIII. Meth. Med. c. 15. Theagenes quidam Marino Philosopho Platonico æqualis erat, teste Damascio apud Photium Ecl. 242. (ubi interpreti corrupte Theogenes nuncupatur) & Suida Θεαγένης. Theagenes Charicleæ amicus erat, notus ex Heliodori Æthiopicis & Photio Ecl. 73. de φιλοπλούτῳ isto Theagene prisco apud Aristophanem agit quoque Suidas Θεαγένης & Αρχιάδας.

6. Acusilao etiam Argivo hic aliquis locus erit, si Vossio credendum, qui de septem sapientibus eum egisse aliis vult persvadere lib. IV. de Hist. Gr. c. 2. Verum imposuit ei locus Clementis, qui lib. I. Strom. de Acusilao: *οἱ δὲ Ἀκουσίλαον τὸν Ἀργεῖον ἐγκατέλεξαν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς· ἄλλοι δὲ Φερεκύδην τὸν Σύριον*, *Alii vero Acusilaum Argivum septem sapientibus adnumerant, alii Pherecydem Syrium.* E quibus verbis Acusilaum de sapientibus scripsisse, frustra quis conlegerit. Vixit autem hic Acusilaus *πρὸ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου*, *ante bellum Peloponnesiacum*, teste Dionysio Halic. lib. *περὶ τοῦ Θουκυδ. χαρ.* Cœpit illud bellum Olymp. LXXXVII, 2. sub Artaxerxe Longimano. Iosephus libro I. de Antiquitate gentis Iudaicæ ætatem ejus & Cadmi Milesii magis perspicue tradit, quod scilicet *βραχὺ τῆς Περσῶν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατείας τῷ χρόνῳ προέλαβον*, *paullum Persarum contra Græcos expeditionem antecesserunt.* Persæ autem in Græciam transgressi sunt primo quidem sub Dario Hystaspis F. Olymp. 72. post sub Xerxe ejus filio Olymp. 75. Verum enimvero licet Clemens librum quendam nomine Acusilai citasset, dubia tamen fide is Acusilai habendus foret, juxta illud Suidæ Ἑκαταῖος. *Τὰ Αγησιλάου νοθεύεται*, ubi pro Αγησιλάου legendum esse Ακουσιλάου recte monet Vossius, lib. I. de Hist. Gr. cap. 2. quemadmodum ipse Suidas Σαβῖνος absque mendo nomen hujus auctoris citat: *Ἔγραψεν εἰς Θουκυδίδην, καὶ Ἀκουσίλαον, καὶ ἄλλους ὑπομνήματα.* *Sabinus scripsit in Thucydidem, & Acusilaum, & alios commentaria.* Tatianus *λόγῳ πρὸς ἕλληνας* memorat Ηγησιλάου μυθολογήματα. Sed lege Ακουσιλάου. Hujus quippe genealogias respicit,

7. Magnum hoc tempore Pythagoræ nomen erat, mortui quippe Olymp. LXX, 4. juxta Eusebii Chronicon anno 15. Darii Hystaspis. Hic inter complures, quos reliquit, discipulos pariter atque discipulas, Theano habuit in sequiore sexu paullo celebriorem, Metapontinam vel Thuriam Brontini Pythagorei uxorem. Scripsit ea περὶ Πυθαγόρυ, *de Pythagora*, & ἀποφθέγματα Πυθαγορείων, *Apopthegmata Pythagoreorum*, teste Suida Θεανώ. Sed cum multæ ejus nominis fuerint, magna inde orta est confusio. Theano Crotoniatida, Pythagoræ uxorem facit Suidas Θεανώ, quam primam fœminarum fuisse philosophatam, & poemata scripsisse Didymus L. de Philosophia Pythagorica tradit apud Clementem lib. I. Strom. Hujus Theanus Pythagoricæ quædam citat idem Strom. 4. & Theodoretus Serm. 12. Hæc defuncto marito * scholæ præfuit, teste Theodoreto Serm. 2. Hæc forte est illa πυθαγορικὴ φιλόσοφ☉, cujus Apophthegmata laudat Theo progymn. cap. 5. & Stobæus, quæ nostra Theano in unum conlegit volumen. Filiam habuit Myiam, teste Clemente iterum Strom. 4. & Suida Μυῖα. Habuit quoque Pythagoras filiam Theano juxta Photium Bibl. 249. Cum itaque & uxorem, & filiam ejusdem nominis habuerit Pythagoras, obscurum est, earum neutra, an altera sit, nostra Theano. Nos in re dubia conjicimus, Pythagoricam nostram Theano ab his diversam esse, expressis Suidæ verbis moti, qui Theano nostram Leophronis filiam & Brontini uxorem adpellat. Sed præter eas, quas memoravi, fuit quoque Theano Antenoris uxor, Minervæ sacrificula apud Homerum il. ζ Isaacium Tzetzem ad Lycophrona & Eusthathium ad Iliados ε. fol. 396. Theano item Pausaniæ mater, dicitur laterem primum ad introitum ædis, in qua proditor filius erat, adtulisse, ut eum exitu prohiberet & fame necaret, apud Polyænum Strateg. lib. VIII.

D CAPUT

* *Pythagora, cum filiis Mnesargo & Telange. Hi enim una cum matre defuncto patri in regimine scholæ Pythagoricæ succedebant. Confer Laert. in ejus vita.*

Caput IV.

1. Democriti ætas. De Epocha Trojana. Ætas auctoris libri περιηγήσεως hactenus Marciano tributi. 2. Varii Democriti. 3. Damastes de Poetis & Sophistis. 4. Glaucus de Poetis & Musicis. 5. Stesimbrotus de Themistocle, Thucydide & Pericle egit. Thucydides hic diversus est ab eo, qui historiam belli Peloponnesiaci descriptam dedit.

1.

OLympiade 84. & post, floruit Democritus Abderita, mortuus Olympiadis 94. anno primo juxta Diodorum Siculum, lib. XIV. Bibl. cap. II. & Anonymum ὀλυμπ. ἀναγρ. vel anno quarto juxta Eusebium Chronicis. Ipse parvum Diacosmum (hoc libro nomen erat) a se compositum refert anno a Troja excisa 730, apud Laertium lib. IX. *Dem.* Hac autem Epocha antiquissimi ethnicorum scriptores in annis suis numerandis utebantur. Sic Suidas ex antiquo omnino scriptore Simmiæ ætatem indicaturus, hæc in Σιμμίας habet: *γέγονε δὲ μετὰ υς´ ἔτη τῶν Τρωϊκῶν, vixit annis 506. post bellum Trojanum sive a Troja excidio.* Verum neque ætas hic indicata, neque patria in Simmiam conveniunt, sed Simonidem intelligendum Suidamque corrigendum volunt. Epocha enim Trojani excidii in annum Periodi Julianæ 3530. incidit secundum Scaligerum & Petavium, atque ita post 506. annos, scilicet anno Periodi Julianæ 4036. Simonides vivebat Olymp. 25. Democritus autem anno Periodi Julianæ 4260. Olymp. 81. florebat. Diodorus Siculus XIV, 3. eadem utitur epocha, & Olymp. XCIV, 1. cum anno Trojano 780. conjungit; quod si verum est jam anni 407. Trojani ante cœptos Olympiadicos sive Iphiteos annos elapsi erunt, & primus Iphiteus annus cum anno 408. Trojano cohærebit, eritque annus primus Olymp. 94. annus 780. Trojanus, quod Diodorus præfatione satis perspicue docet, indicans a Trojæ excidio ad Heraclidarum reditum annos 80, & ab hoc ad Olympiadem primam annos 328. effluxisse. Locrenses quoque per mille an-

nos

nos à Troja excisa, duas virgines singulis annis Trojam mittere jussi ab oraculo sunt, ob stuprum Cassandræ ab Ajace Locrense in templo Minervæ illatum expiandum, cui oraculo satisfactum esse cognoscimus ex Æneæ poliorc. cap. 31. Strabone lib. XIII. Polybio lib. XII, Lycophronis Alexandra ejusque Scholiaste, Timæo lib. II. Hist. apud Plutarchum, lib. de sera num. vind. auctor *περιηγήσεως*, qui vulgo Marcianus Heracleota habetur, initio operis eadem Epocha utitur Trojana:

> Τῶν Ἀττικῶν τὶς γνησίων τε φιλολόγων,
> Γεγονὼς ἀκουστὴς Διογένους τοῦ στωϊκοῦ,
> Συνεσχολακὼς δὲ πολὺν Ἀριστάρχῳ χρόνον,
> Συνέταξε τὰ περὶ τῆς Τρωϊκῆς ἁλώσεως,
> Χρονογραφίαν στοιχοῦσαν ἄχρι τοῦ νῦν βίου,
> Ἔτη δὲ τετταράκοντα πρὸς τοῖς χιλίοις.
> εἰρισμένως ἐξέθετο.

Ubi ad sua tempora à Troja capta elapsos esse annos 1040. scribit. At epocha Trojani excidii incidit in annum Periodi Julianæ 3530. quibus, si 1040. addas, exurget annus Periodi Iulianæ 4570, quo Ptolemæus Evergetes secundus, sive Physcon, rerum in Ægypto potiebatur, Aristarchus paullo ante floruerat, Diogenes item Stoicus paullo post occisus & ipse *περιηγήσεως* auctor adhuc vivebant. Sed hæc de ætate Democriti & epocha Trojana. Democritus ille noster librum *πυθαγόρης* scripsit teste Laertio lib. IX, 46. Dem. Admiratus est Pythagoram *ἐν ὁμωνύμῳ συγγράμματι* teste eodem: hoc est, ***libro, qui idem cum Pythagora nomen habebat:*** minime vero hæc ita explicanda cum Wowero Polym. c. 16. quasi opus ejusdem argumenti, & inscriptionis ediderit, quale & Pythagoras & Pythagorei reliquerant. Thrasyllus quidem inter Ethicos eum librum numerat, historiæ tamen Pythagoricæ profuturum fuisse, vel inde constat, quod ex eo ad Pythagoræ historiam tradendam nonnulla adferat Laertius loco citato, quod scilicet Democritus Pythagoram admiratus sit. Democritus hic magister fuit Metrodori illius, quem Hippocrates Medicus & Anaxarchus Democriteus Ciceroni 2. Tusc. Qu. dictus, audiverunt, teste Laertio lib. IX, ***Anaxar.*** Suidæ *Δημοκρ.* Atque hæc de Hippocratis, qui Dracone patre natus est, ætate vere dicuntur, quod scili-

cet Anaxarcho, hoc est, si tempora spectemus, Alexandro M. & Aristoteli æqualis fuerit. Suidas in *πύῤῥων* pleraque horum habet.

2. Verum de Hippocrate & hoc dicendum, plures ejus nominis fuisse partim medicos, partim belli duces & magistratus, de quibus forte alibi. Alios, præter hunc, Democritos historia suggerit. Democritus quidam Naxiorum triremibus præfectus, pugna ad Salamina Olympiad. LXXV, 2. commissa Barbaris auxilium ferre debuit, sed ad Græcorum partes transiit, juxta Herodotum lib. VIII, cui ex antiquis quidem Hellanicum, e recentioribus vero Ephorum contradicere notat Plutarchus lib. *de Herodoti malign.* Democritus Troezenius librum contra Sophistas scripsit citatum Laertio lib. VIII, Emped. qui tamen mentionem ejus non facit lib. IX. *Democr.* ubi varios Democritos adducit, ut dubitari possit de vera lectione & quæri, annon rectius *Demetrius* legi debeat: cum Demetrius Troezenius patrem Homeri *Δαήμονα* fuisse dixerit, teste Agone Hesiodi & Homeri, & Didymum Grammaticum *βιβλιολάθαν* adpellaverit ob librorum ab ipso editorum copiam apud Athenæum IV, 7. ut Suidas voce *Ἰδδαω*. Democritum quempiam de Iudæis scripsisse auctor est, qui tamen aliis Demetrius dicitur; de quo in Demetrii Phalerei & Philonis Iudæi historia pluribus. Democritus Demophontis F. Anagyrasius ad Philippum ab Atheniensibus legatus missus est, teste Demosthene orat. *pro Ctesiphonte.* Democritum Ephesium, qui de templo Dianæ Ephesiæ libris egit minimum duobus, notat præter Laertium lib. IX, *Dem.* etiam Athenæus XII, 5. Democritum Chium, quem se nescire an alibi exstet, præterquam apud Laertium lib. IX, *Dem.* fatetur Meursius notis ad Chalcidium, novit Aristoteles Rhetor. III, 9. Suidas *χιλίζειν* & Pollux lib. IV, c. 9. §. 4. Democritum Sicyonium pictorem laudat Pausanias El. II. Democritum familiarem suum cum Agia loquentem introducit Plutarchus Sympos. II, 9. 10. Democritum Nicomediensem philosophum Deipnosophistam habet Athenæus. Democritus Magnus Carthaginiensis in 28 voluminibus studium aggricolationis conscripsit, teste Isidoro Etymol. XVII, 1. antiquæ editionis. Verum lege: *Democritus, Mago Carthag.* Democritum enim & Magonem Carthaginiensem de re rustica scripsisse, & hunc quidem 28 voluminibus, discimus e Varronis de R. R. I, 1.

3. Damastes Sigeensis, Dioxippi filius, Hellanici antiqui (erat enim & Hellanicus junior, Grammaticus, Ptolemæi Aristarchi præceptor, teste

teste Suida Ἀνδοκύδης & Πτολεμαῖος) discipulus, tempora Herodoti, Paullo ante bellum Peloponnesiacum Olymp. LXXXVII, 2. inchoatum, floruit, juxta Dionysium Halic. lib. *de Thucyd. Charactere* & Suidam Δαμάστης. Reliquit inter alia librum *περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν*, *de Poetis & Sophistis*, teste eodem Suida, nisi juniori cuidam potius hic liber tribuendus erit. Diversus ab hoc est Damastes Democriti philosophi & Herodoti frater, apud Suidam Δημοκρ. qui Damasus dicitur Plinio Hist. Nat. XVIII, 35. Laertio lib. IX. *Democr.* Hesychio Milesio *Democr.* in quo latens mendum alii dudum correxerunt.

4. Glaucus Rheginus Italus, antiquorum poetarum & musicorum historiam litteris mandavit. Plutarchus lib. de Musica: Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας, *ἐν συγγράμματί τινι τῷ περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ* Μουσικῶν, *Glaucus, Italus, opere quodam de priscis poetis & musicis*, ubi ejus iterum & sæpius meminit & de ætate, vita atque inventis veterum poetarum & musicorum eum egisse non obscure indicat. Ex hoc opere sumsit, quæ de Empedocle Poeta Physico e Glauco protulit Laertius lib. VIII. *Emped.* Democriti vitam ex eodem idem inlustrat Laertius lib. IX. *πάντως μέν τοι τῶν πυθαγορικῶν τινας ἀκοῦσαί φησιν αὐτὸν* Γλαῦκος ὁ Ῥηγῖνος, *κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους αὐτῷ γεγονώς*. *Pythagoricorum quosdam eum audivisse affirmat sane Glaucus Rheginus, qui eadem vixit ætate.* Unde non est, quod de ætate ejus posthac dubitemus, cum Democrito æqualis fuerit juxta Laertium. De Democrito autem eodem opere egit, cum & Democritus inter musicos fuerit referendus propter musicos ejus libros a Laertio lib. IX. recensitos. Glaucum *ἐν τοῖς παρ'* Αἰσχύλου *μύθοις*, citat Anonymus *ὑποθέσεως* Περσῶν Æschyli auctor: sed eundem credo intelligi Glaucum. Fuerunt tamen, qui de auctore istius operis dubitarint. Plutarchus lib. de 10. Rhet. vita Antiphontis: *εἰσὶ δ' οἱ καὶ τὸ* Γλαύκου τοῦ Ῥηγίνου *περὶ ποιητῶν βιβλίον εἰς* Ἀντιφῶντα *ἀναφέρουσιν*, *sunt qui Glauci Rhegini de Poetis librum Antiphonti tribuant.* Junior hoc fuit Glaucus Locrensis, cujus *ὀψαρτυτικὰ* citat Athenæus III, 6. VII, 21. IX, 1. XII, 3. XIV, 23. Pollux VI, 10. 2.

5. Stesimbroto Thasio forte locum aliquem inter scriptores historiæ eruditorum quis tribueret propter ejus librum *περὶ* Θεμιστοκλέους, Θουκυδίδου *καὶ* Περικλέους, *de Themistocle, Thucydide & Pericle*, laudatum Athenæo, XIII, 6. qui ejus ætatem simul indicat: Στησίμβροτος ὁ

Θάσιον, κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ χρόνους γενόμενον καὶ ἑωρακότα αὐτὸν: *Stesimbrotum Thasium, qui tempore Periclis vixit, eumque vidit.* Plutarchus quoque parallelis vitam Periclis ex eo inlustrat. Sed cum de Thucydide eum egisse dicit Athenæus, notabis, non esse illum Thucydidem, historicum celebrem, Olori filium, cujus belli Peloponnesiaci historiam superstitem habemus, sed alterum Demagogum, Milesii vel Melesiæ filium paullo antiquiorem, qui Cimonis & Themistoclis ætate Pericli se opponebat, ut notum est ex Plutarcho *Pericle*, cujus item Plato *Theage f.* Marcellinus *vita Thucyd.* Scholiastes Aristophanis *ad Vespas p. m. 498.* & Athenæus XI, 15. meminerunt. Egit noster Stesimbrotus quoque de Homeri ætate, poesi & patria, ut Tatiani verba jam citata * indicant.

CAPUT V.

1. Ad institutum nostrum pertinent etiam prisci Comici: triplex olim comœdia; antiqua, media, nova. Antiquæ comœdiæ poetæ quemlibet impune perstringebant: eorum nomina. 2. Mitiores erant poetæ comœdiæ mediæ, qui poetas priores & philosophos solum rodebant. Mediæ & novæ comœdiæ poetæ quot, & qui in earum quaque celeberrimi. 3. Cratinus Pythagoreorum mores notavit. Philocles de Solone. 4. Aristophanes Pythagoreos, Socratem notavit, vix Platonem, ætas ejus.

I.

QUemadmodum ad personæ alicujus historiam plane tradendam, non modo virtutum, sed vitiorum etiam enarratio requiritur: sic & Comici prisci e scriptorum nostrorum numero eximendi non erunt, vitiorum in poetis & philosophis observatores diligentissimi. Triplex vero olim erat comœdia: vetus, media, nova. Vetus comœdia, quæ etiam prima dicitur

* *Cap. IV. §. 3.*

tur, temporibus belli Peloponnesiaci maxime floruit, cum summa potestas Athenis penes vulgus esset, sive tempore Democratiæ, quo Comicis in quos judices, ineptos militum duces & quosvis alios divitias sibi male parantes, nominibus sitis in scenam producere & traducere impune licebat. Hujus antiquæ comœdiæ poetarum nomina & dramata ita recenset Anonymus περὶ Κωμῳδίας, Aristophani præmissus:

Θεοπόμπου δράματα ιζ
Στράτιδος δράματα ιϛ
Φερεκράτους δράματα ιη
Κράτητος δράματα η
Πλάτωνος δράματα κη
Τηλεκλείδου δράματα ϛ
Φρυνίχου δράματα ι

Theopompi dram. 17.
Stratidis dram. 16.
Pherecratis dram. 18.
Cratetis dram. 8.
Platonis dram. 28.
Teleclidis dram. 6.
Phrynichi dram. 10.

Anonymus alter περὶ κωμῳδίας Aristophani præmissus, ubi de veteris comœdiæ poetis agit. Τούτων δὲ εἰσιν ἀξιολογώτατοι· Ἐπίχαρμος, Μάγνης, Κρατῖνος, Κράτης, Φερεκράτης, Φρύνιχος, Εὔπολις, Ἀριστοφάνης, *Celeberrimi eorum sunt*, inquit: *Epicharmus, Magnes, Cratinus, Crates, Pherecrates, Phrynichus, Eupolis, Aristophanes*, ubi postea de singulis breviter agit. Horatius lib. I. serm. sat. 4.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetæ,
Atque alii, quorum comœdia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod mœchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Re-

Respicit hunc Gellius morem, III, 3. ubi de Nævio poeta: *ob assiduam maledicentiam & probra in principes civitatis de Græcorum poetarum more dicta, in vincula Romæ a Triumviris conjectus.*

2. Postquam vero Democratia in oligarchiam mutata, divites imperare cœperunt, comœdia multis partibus est mutata. Etenim χορηγοὶ deficiebant, hypothesis mutabatur, neque quemquam aperte traducere cuiquam in scena impune licebat. Atque hæc erat media comœdia. Poetæ tamen, ut solenne suum servarent, idque impune, traducendos atque vellicandos sibi sumebant priores poetas, si quid forte ab iis perperam dictum: Platonius περὶ διαφορᾶς κωμωδίας· ἡ δὲ μέση κωμωδία ἀφῆκε τὰς τοιαύτας ὑποθέσεις, ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἦλθον. ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτον οἷον, διασύρειν Ὅμηρον εἰπόντα τί. ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγωδίας ποιητήν. τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ κωμωδίᾳ ἐστὶν εὑρεῖν. ἅπερ τελευταῖον ἐδιδάχθη λοιπὸν τῆς ὀλιγαρχίας κρατυνθείσης. οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου, οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι. διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας τοῦ Ὁμήρου. τοιαῦται γὰρ αἱ κατὰ τὴν μέσην κωμωδίαν ὑποθέσεις εἰσίν. μύθους γάρ τινας τιθέντες ἐν ταῖς κωμωδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διέσυρον, ὡς κακῶς ῥηθέντας. *Media vero comœdia omisit ejusmodi hypotheses, & se dedit historiis poetarum carpendis, id quod impune licebat. Sic vel Homeri vel Tragici cujuscunque verba vellicabant: cujusmodi dramata etiam in antiqua comœdia reperire est, quæ scilicet postremo sunt edita, cum jam oligarchia Athenis floreret. Cratini enim drama* Ὀδυσσεῖς *neminem perstringit, Odysseam autem Homeri carpit. Hujusmodi hypotheses media comœdia sunt. Fabulas enim quasdam in antiquis comœdiis occurrentes tanquam perperam dictas, rodebant.* Neque Cratini modo Ὀδυσσεῖς, verum etiam Aristophanis αἰολοσίκων, Plutus, Cocalus in quibusdam sunt mutata. Aristophanes enim verborum acrimoniam, quam in prioribus fabulis usurpaverat, in posterioribus mitigavit. Mediæ autem hujus comœdiæ poetæ fuerunt 57. eorumque dramata omnia 617. Poetæ scilicet Mnesimachus, Ephippus, Epicrates, Alexis & plures. Præcipui eorum erant Antiphanes & Stephanus. Aliter tamen judicat Anonymus περὶ κωμωδίας Aristophani præmissus: γέγονε τῆς μὲν πρώτης κωμωδίας ἄριστος τεχνίτης οὗτος ὁ Ἀριστοφάνης καὶ Εὔπολις· τῆς δὲ δευτέρας, Πλάτων· τῆς δὲ τρίτης, Μένανδρος. *Primæ comœdiæ optimus artifex*

artifex fuit Ariſtophanes, & Eupolis: ſecunda, Plato: tertia vero Menander.* Cæterum Eubulus quaſi terminus erat comœdiæ antiquæ & mediæ, teſte Anonymo Olymp. deſcript. ad Olymp. CI, 1. ſucceſſit tandem nova eaque mitiorum hypotheſium comœdia, cujus Poetæ fuerunt numero 64, Philemon, Menander, Diphilus, Philippides, Poſidippus, Apollodorus, Anaxippus & plures. Celeberrimus autem eorum eſt Menander, e quo & Terentius pleraque mutuatus eſt, qui cum Plauto ad hanc novam comœdiam e Latinis itidem eſt referendus. Sed ad antiquæ & mediæ comœdiæ poetas aliosque hujus ætatis.

3. Cratinus, Athenienſis, priſcæ comœdiæ poeta, comœdiam *Πυθαγορικὰ* ſcripſit, in qua Pythagoram & Pythagoreos traduxit, ut conſtat ex Laertio lib. VIII. Pyth. Philocles Tragicus, propter ætatem, qua Euripldi æqualis erat, huc referendus. De Solone tradidit, filium eum fuiſſe Phocionis, quod ex Dydimi Grammatici, *τῇ περὶ τῶν ἀξόνων τῶν Σόλωνος ἀντιγραφῇ πρὸς Ἀσκληπιάδην* refert Plutarchus parall. maj. *Solone* p. Peculiari tamen libro de Solone eum egiſſe affirmare nolim. Intelligitur autem hic alter Tragicorum iſtorum, quos nominat Scholiaſtes Ariſtophanis ad Aves fol. 554. quem *μελοποιὸν* vocat idem ad Veſpas fol. 461. & *κωμῳδοποιὸν* idem Theſmoph. fol. *776.* ubi Ariſtophanes eundem Philoclem ob capitis deformitatem deridet.

4. Ariſtophanes, Rhodius, *priſcæ comœdiæ poeta* juxta Plinium Hiſt. Nat. XXI, 6. Philoſophorum exagitator atque inſectator acerrimus fuit. Comœdiam *Πυθαγορεῖυς* ſcripſit, qua Pytagoreos philoſophos, eorumque mores & vitæ inſtitutum in ſcena traduxit. Citat eam Athenæus IV, 17. *Ἀριςοφάνης ἐν Πυθαγορείοις·*

Τί πρὸς θεῶν οἰόμεθα τὺς πάλαι ποτὲ
Πυθαγοριςὰς γινομένυς ὄντως ῥυπᾷν
Ἑκόντας, ἢ φορεῖν τρίβωνας ἡδέως,
ὐκ ἔςι τύτων ὐδὲν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ·
Ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης ὐκ ἔχοντες ὐδὲ ἕν,
Τῆς ἐυτελείας πρόφασιν εὑρόντες καλὴν,
Ὅρυς ἔπηξαν τοῖς πένησι χρησίμυς.

* *ſcilicet Plato Comicus, junior, de quo Cap. VI. §. 5.*

Ἐπεὶ παρθέντες αὐτοῖς ἰχθῦς, ἢ κρέας,
Κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τὰς δακτύλους,
Ἐθέλω κρέμασθαι δεκάκις.

Aristophanes in Pythagoritis:

Quid, per deos, censemus, eos, qui olim
Pythagorici fuere, sponte revera
Sordibus squaluisse: vestesque laceras
Gestasse libenter: horum mihi videtur nihil:
Sed adductos necessitate, cum illis deessent omnia,
Frugalitatis pulchra quadam inventa specie,
Sumptus utilem finem praefixisse pauperibus:
Nam apposita illa vel carne vel pisce,
Nisi suos etiam digitos abligurians,
E cruce volo pendere decies.

Socratem quoque in comœdia Νεφέλαι festive & salse carpit. Anonymus προθεωρία Ἀριστοφάνους Νεφελῶν. Τὸ δρᾶμα τὸ τῶν Νεφελῶν κατὰ Σωκράτους γέγραπται τοῦ φιλοσόφου ἐπίτηδες, ὡς κακοδιδασκαλοῦντος τοὺς νέους Ἀθήνησι, τῶν κωμικῶν πρὸς τοὺς φιλοσόφους ἐχόντων τινὰ ἀντιλογίαν. *Drama hoc Nebularum contra Socratem scriptum est Philosophum data opera, quasi Athenis juvenes male doceret, cum Comici Philosophis se semper opponerent.* Confer Thomæ Magistri aliorumque ὑποθέσεις Aristophanis Nebulis præmitti solitas. Socrates enim male audiebat ab Atheniensi populo, quasi juvenum esset corruptor, eosque inlicite amaret, novos deos introduceret, & modum injustas actiones defendendi doceret. Propterea hæc omnia in scena salse perstringit Aristophanes, & cum Socrates Deum non in simulacris ligneis, sed in sublimi quærendum esse doceret, hinc Nubicola est habitus, & Νεφέλας, tanquam Socratis deos, Aristophanes comœdiæ huic nomen facit, qua istam Socratis habitam impietatem & vitia perstringere conatur.* Vixit autem hic

* *Hinc Socratem etiam in ista comœdia* Μήλιον *adpellat, quasi* ἄθεον, *quo nomine Diagoram Melium intelligit, quod huic Min. Felice teste* **C. 8. n. 2.** ἀθέου cognomen antiquitas apposuerat, *& cordatiores*

hic Aristophanes tempore Socratis, Olymp. 90. Male Epitome Chronologica apud Scaligerum Thes. Temp. fol. 255. ad Olymp. CX, 1. Πλάτων, καὶ Αἰσχύλος, καὶ Ἀριστοφάνης κωμῳδοποιοὶ, ἐγνωρίζοντο καὶ Δημοσθένης, quæ verba de Demosthene quidem vera sunt, de reliquis non item. Gorgiam quoque sophistam, Isocratis præceptorem, ***Barbarum*** adpellat Aristophanes in Avibus. Platonem etiam traduxit, de quo Anonymus hypothesi Ecclesiazus. Aristophan. Ἀριστοφάνης τοὺς φιλοσόφους, οἷς ἐχθρὸς ἦν, μάλιστα δὲ τὰ τοῦ Πλάτωνος περὶ πολιτείας βιβλία ψέγειν, σκώπτειν καὶ κωμῳδεῖν δοκεῖ, *Aristophanes philosophos sibi inimicos atque exosos, maxime vero Platonis de re publica libros carpere, conviciis adspergere & traducere videtur.* Sed erat Anonymus, cum post Aristophanis obitum Plato illos libros scripserit. De fabulis ejus reliquis vide librum primum Miscellaneorum Petiti.

CAPUT VI.

1. Hipparchus Pythagorica non Pythagorice exposuit. 2. Timæus Locrus an de Pythagoræ vita scripserit, incertum. Macrobii hallucinatio. Meursii lapsus. 3. Antimachus de Homero. 4. Antiphanes Pythagoricos vellicat. 5. Epicurus a comicis notatus. Mediæ comœdiæ utilitas in historia philosophorum. Fragmenta antiquæ, mediæ & novæ comœdiæ poetarum conlegerunt Hertelius & Grotius. Antiphanes varii. Error Athenæi & Vossii.

1.

HIpparchus Pythagoreus ***Pythagorica dogmata*** edidit, idque perspicue non Pythagorice, hoc est, obscure. Quapropter schola exire jussus est, eique ceu mortuo cenotaphium erectum, teste Clemente Alexand.

Philosophos vocat μετεωρολέσχους, *tanquam de rebus sublimibus & cælestibus garrientes, confer Suidam voce* μετεωροκόπεις.

lib. V. Strom. Æqualis fuit Lysidi Pythagorico Epaminondæ magistro, qui eum propterea increpat, epistola quadam etiamnum superstite, cujus etiam meminit Synesius epist. 141.

2. Timæus, Locrus, Pythagoricus antiquus, scripsit *vitam Pythagoræ*, teste solo Suida Τίμαιος: quanquam solius Suidæ testimonio hic vix standum, & quæ de Pythagora hunc Timæum scripsisse Suidas tradit, ea Siculo Timæo rectius forte tribuenda erunt. Neque minus dubia est ejus ætas. Disputat quidem Socrates cum Timæo apud Platonem, ut inde Socrati æqualis fuisse, & Olymp. 94. circiter vixisse videri possit. Verum fingere hoc Plato & personas diversæ ætatis loquentes introducere videtur Macrobio Sat. lib. I. cap. 1. *inclutum dialogum Socrates habita cum Timao disputatione consumit; quos constat eodem seculo non fuisse.* Sed vana est ista Macrobii sollicitudo & temeraria reprehensio: cum Timæum Plato audiverit, teste Cicerone lib. I. Tusc. Quæst. lib. 5. de finibus, Hieronymo contra Ruffinum. Athenæus XI, 15. e quo ista hausit Macrobius, pro Timæo Phædrum memorat, quem cum Socrate loquentem non habita ætatis ratione Plato fecit, adeoque παρόραμα hoc Macrobii facile erit corrigere, si Phœdrum pro Timæo apud Macrobium legas. Nihili quoque est illa Meursii conjectura, qui Timæum illum, cujus περὶ τῶν παρὰ πλάτωνι λέξεων opusculum Photius laudat, eundem esse putat cum Timæo locro Platonis Magistro; Timæus enim Locrus ante Platonem vixit. Minus errasset, si Timæum Cyzicenum Platonis auditorem Demochari memoratum apud Athenæum XI, 15. istius Lexici auctorem statuisset.

3. Antimachus Colophonius Grammaticus & Poeta, Stesimbroti discipulus, teste Suida, *de Homeri ætate & genere* egit, ut auctor est Tatianus oratione contra gentes, cujus verba supra cap. 3. adduximus, ubi de Theagene nobis sermo erat. Ex hoc Antimachi opere omnino Colophonium fuisse Homerum prodit Plutarchus lib. de Homero.

4. Antiphanes, Smyrnæus vel Rhodius, Comicus mediæ comœdiæ Olymp. 93. vixit, vide Anonymum Olymp. descript. ad Ol. XCIII, 1. & Suidam Ἀντιφ. De Pythagoricorum victu egit, de quo audiendus Athenæus lib. IV. δειπνοσ. cap. 16. Εἰ αὐτάρκειαν ἀσπάζῃ φιλόσοφε, τί ὦ τοὺς Πυθαγορικοὺς ἐκείνους ζηλοῖς, περὶ ὧν φησὶν Ἀντιφάνης μὲν ἐν Μνήμασι τάδε·

Τῶν

Τῶν Πυθαγορικῶν δὲ τυχὸν ἄθλιοι τινὲς
Ἐν τῇ χαράδρα τρώγον τ' ἄλιμμα καὶ κακὰ
Τοιαῦτα συλλέγοντες.

Κἂν τῷ κυρίῳ Κωρύκῳ δ' ἐπιγραφομένῳ φησὶ,

Πρῶτον μὲν ὥσπερ Πυθαγορίζων ἐσθίει,
Ἔμψυχον ὐδὲν, τῆς δὲ πλείσης τῦ βόλυ
Μάζης μελαγχρῆ μερίδα λαμβάνων λέπει.

Frugalitatem sua contentam sorte, nec aliunde quidquam desiderantem, si amplecteris, o Philosophe, cur non æmularis Pythagoricos illos, de quibus Antiphanes in Monimentis hæc inquit:

E Pythagoricis forte fortuna misselli quidam
Ad confragosas torrentis ripas alimum collectum, &
Alia hujusmodi lauta rodebant.

Idem in Fabula, quam inscripsit Heriperam, vel Bulgam:

Primum equidem velut Pythagora sectator, cibum sumit,
Animati nihil, sed mazam emptam obolo
Plurimam, ejus atriorem partem delibrans, quam edat.

Idem Antiphanes ἐν Ανταίῳ περὶ τῆς τῶν φιλοσόφων τρυφερότητος διαλεγόμενος, citatur Athenæo XII, 11. cujus versus itidem hic legi merentur, ut philosophicam historiam e Comicorum quibusdam fabulis peti potuisse, intelligamus.

Ὅταν κατανοῇς τίς πότ' ἐςὶν ὑτοσὶ
Ὁ γέρων; ἀπὸ τῆς μὲν ὄψεως Ελληνικὸς·
Λευκὴ χλανὶς· φαιὸς χιτωνίσκος καλὸς,
Πιλίδιον ἁπαλὸν, εὔρυθμος βακτηρία,
Βαιὰ τράπεζα. τί μακρὰ δεῖ λέγειν; ὅλως
Αὐτὴν ὁρᾶν γὰρ τὴν Ακαδημίαν δοκῶ.

Heus tu bone vir, quinam sit iste senex,
Intelligis? adspectu quidem Græcus:
Candidum pallium: fusca elegans tunicula:
Canities molliuscula: concinnus baculus:
Frugalis mensa: quid agam pluribus? omnino
Ipsam videre mihi Academiam videor.

5. Confer II, 19. Ita nimirum poetæ mediæ comœdiæ, cum Magnates vellicare edicto prohibeantur, philosophos & poetas traducebant Plato, (diversus hic est a Platone Comico antiquo Olymp. 93. & Platone philosopho celebri Olymp. 100.) Comicus. junior, mediæ comediæ poeta, Epicurum philosophum, qui Olymp. 120. floruit, traduxit in fabula συνεξαπατῶντι, teste Athenæo III, 23. VII, 5. & Ἀνδροφόνῳ, Athenæo VII, 5. Quem Epicurum quoque Hegesippus Comicus, (a Vossio in poetarum Græcorum numero præteritus, historicorum Græcorum catalogo insertus) traduxit, ut ibidem apud Athenæum indicatur. Sed prolixum foret, omnia poetarum dramata, quibus philosophos eorumque vitam, mores & dogmata perstrinxerunt, recensere. Sufficiat quasi digito indicasse, quantum emolumenti historiæ philosophicæ adferre potuerit media comœdia. Fragmenta horum mediæ, ut & antiquæ & novæ comœdiæ poetarum conlegit Iacobus Hertelius, & post eum Hugo Grotius, cujus excerpta ex tragœdiis & comœdiis Græcis, tum quæ exstant, tum quæ perierunt, edita sunt Parisiis Ao. 1626. 4.* Fuerunt autem præter hunc & Antiphanes alii. *Antiphanem* Bergæum, Comicum, unde βεργαΐζειν, *fabulari*, memorat Stephanus Βέργη. *Antiphanis* Colophonii Comici, Θηβαΐδα, laudat Athenæus VII, 15. & ex ea hexametrum versum adducit. Sed omnino pro *Antiphanes* ibi legendum est potius *Antimachus*, qui itidem Colophonius, cujus Thebais notissima. *Antiphanes*, Atheniensis Comicus, Panætio junior memoratur Suidæ Ἀντιφ. *Antiphanes* quidam de scortis Atheniensium scripsit, teste Harpocratione Νάννιον. Ἀντιφάνης ὁ νεώτερος ἐν τῷ περὶ τῶν ἑταιρῶν. Athenæus XIII, 2. βιβλία Ἀριστοφάνους, καὶ Ἀπολλοδώρου, καὶ Ἀμμωνίου, καὶ Ἀντιφάνους, ἔτι δὲ Γοργίου τοῦ Ἀθηναίου, πάντων τούτων συγγεγραφότων περὶ

* *Hertelii fragmenta prodierunt Veronæ, anno 1616. 8.*

περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων. *Libri Aristophanis, & Apollodori, & Ammonii,* & Antiphanis, & tandem Gorgia Atheniensis, qui omnes de scortis Atheniensium scripserunt.* Mentionem hujus libri crebram injicit Athenæus XIII, 5. 6. *Antiphanes* quidam *de inventis* citatur a Clem. Alex. 1. Strom. *Antiphanes* Delius, medicus, varietatem ciborum esse caussam morborum statuit apud eundem lib. 2. pædag. p. Quod si Suidæ verba mendo carent Antiphanes horum omnium antiquissimus, Carystius τραγὸς Thespidis tempore vixit, a quo ἀντιφάνειος κωμῳδία. Vossius L. de poetis Græcis, nostrum Antiphanem Rhodium mediæ comœdiæ poetam, cum hoc Antiphane Carystio perperam confundit: neque testes aut facti sui rationes adducit.

CAPUT VII.

1. Anaximander junior. 2. Lysias, apologiam Socratis scripserunt. Lysiæ uti multæ orationes numerantur, ita multæ suppositæ. Ejus de librorum furto vix genuina. Suidas & Harpocration corriguntur. Criton apologiam Socratis dedit. 3. Polycrates, mercenarius Socratis accusator, carpitur ab Isocrate. Error Diodori in anno restauratorum a Conone murorum. 3. Dionysius Olynthius de Homero. 4. Xenophon num philosophorum historiam primus condiderit? quod vult Suidas, contra quem Ionsius argumentis tribus insurgit; & Suidam emendat.

Anaxi-

---

* *Eundem esse putat Noster in indice atque Ammonium Alexandreum, de quo infra.*

1.

Anaximander, Anaximandri F. Milesius, junior, temporibus Artaxerxis Mnemonis, *συμβόλων Πυθαγορείων ἐξήγησιν, Pythagoricorum Symbolorum explicationem* scripsit, teste Suida *Ἀναξ.*

2. Lysias, Rhetor Atheniensis antiquus, *Apologiam Socratis* scripsit teste Plutarcho lib. de decem Rhet. *Lys.* qua eum ab Atheniensibus inique damnatum esse probavit. De hac intelligenda sunt verba illa Ciceronis lib. I. de Oratore: *Socrates cum omnium sapientissimus esset, sanctissimeque vixisset, ita in judicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut reus, sed ut magister aut dominus videretur esse judicum: quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in judicio uteretur, non invitus legit, & commode scriptam esse dixit, sed inquit, ut si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles & apti ad pedem, quia non essent viriles; sic illam orationem disertam sibi & oratoriam videri, fortem & virilem non videri.* Respexit huc Apollonius Tyaneus epist. ad Musonium: *Socrates Atheniensis ab amicis suis liberari nolens, in judicium quidem venit; verum mortuus est.* Idem tangit quoque Valerius Maximus lib. VI, c. 4. & Laertius L. II. *Socrate.* Similem Socratis apologiam alii quoque postea scripserunt: Plato,* Xenophon, Demetrius Phalereus, Plutarchus,** Multæ olim Lysiæ exstiterunt orationes. *Multa Lysia scripta sunt,* inquit Cicero lib. II. de Oratore. *Catonis orationes non minus multa fere sunt, quam Attici Lysiæ, cujus arbitror plurimas esse,* ait idem Cicero *Bruto.* Plutarchus CCCCXXV. ejus orationes olim numeratas fuisse tradit, quarum CCXXX. genuinæ tantum fuerint judicio Dionysii & Cæcilii. Nimirum librariorum fraude & avaritia aliisque de caussis factum, ut spuriorum scriptorum maxima quondam esset frequentia. Suidas hic in *Λυσίας* fidem vix meretur, qui ultra CCC. orationes Lysiæ esse genuinas adserit, eumque unum esse ex decem illis rhetoribus, qui cum Demosthene floruerint. Lysiæ orationem *ὑπὲρ Φανίε παρανόμων* citat Athenæus XII, 12. Ejusdem *πρὸς Αἰσίωνα περὶ τῆς τῶν βιβλίων κλοπῆς, ad Æsionem de librorum furto* laudat Harpocra-

* *De qua vero Cassius Severus indicat,* quod nec patrono nec reo digna sit, *confer Senecam præf. L. III. Controv.*

** *Zeno, Theon Antiochenus, Galenus, de quibus indicem consule.*

pocration ἀμφιγνοεῖν. Sed addit, εἰ γνήσιος ὁ λόγος, *si genuina ejus est oratio.* Quippe de fraude suspecta fuit; siquidem Æsion ille Atheniensis condiscipulus fuit Demosthenis, teste Suidâ Δημ. & Αἰσίος, ubi ante illa: ὅτι Δημοσθένης excidisse videntur hæc: Αἰσίων, ὄνομα κύριον, adde Plutarchum *Demosthene.* Harpocrationi quoque Æsion ille corrupte Ασίων dicitur. At Lysias mortuus est octennio circiter post natum Demosthenem, ut juniori potius Lysiæ, qui Æsioni & Demostheni æqualis fuerit, ea tribuenda sit oratio. Sed quisquis hujus orationis auctor fuerit, non parum lucis ea adtulisset historiæ librorum, deque spuriis & genuinis scriptis nos certiores reddidisset.*

3. Polycrates, Rhetor, Atheniensis, Zoili Homeromastigis magister, scripsit τὴν κατηγορίαν τὴν κατὰ Σωκράτους, *accusationem Socratis,* teste Æliano Hist. Var. lib. XI, c. 10. Suida Πολυκράτης. Isocrates, hujus Polycratis sophistæ amicus, meminit illius accusationis factæ: Αἰσθανόμενος ὧν οὐχ ἥκιστά σε μεγαλαυχούμενον ἐπί τε τῇ Βουσίριδος ἀπολογίᾳ, καὶ τῇ Σωκράτους κατηγορίᾳ· πειράσομαί σοι ποιῆσαι καταφανὲς, ὅτι τοῦ δέοντος πολὺ ἐν ἀμφοτέροις τοῖς λόγοις διήμαρτες. *Cum igitur animadvertam, defensione Busiridis, & Socratis accusatione te vel imprimis gloriari: ostendere tibi conabor, te in utraque oratione longe ab oratoris officio aberrasse,* inquit Isocrates *laude Busiridis,* ubi paullo post vitia a Polycrate commissa notat. Scripta est illa contra Socratem oratio post sextum a morte Socratis annum, quoniam murorum a Conone hoc anno instauratorum in ea facta est mentio, ut observavit Favorinus apud Laertium lib. II. Socr. Socrates enim Archonte Lachete Olymp. XCVI, 1. hausta cicuta diem obiit, teste Diodoro Siculo lib. XIV.

 Ano-

* *Confer Meursii Bibliothecam Atticam, L. III,* Lysias, *in qua tituli eorum, quæ e genuinis supersunt, recensentur.*

Nec prætereundus Criton, *Atheniensis, discipulus Socratis juxta Laertium, II, 121 & singularis ejus amicus, secundum Suidam, voce* Κρίτων, *qui præter Dialogos, quorum Laertius citato loco meminit, inprimis* Σωκράτους, *magistri sui* Απολογίαν *confecisse dicitur Suidæ, voce eadem. Critonum vero numerantur plures: Critonis Pythagorei Noster meminit L. I. cap. XIV, 5. aliorum trium, qui scripserunt historica, Suidas. Confer Meursium in Bibliotheca Græca, voce* Criton.

Anonymo ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Olympiada citatam. Laertio lib. II. *Socr.* & *Xenoph.* Aristide *Orat. II. Platonica.* Solus, quod sciam, Eusebius in sequentem annum ejus mortem refert. Fasti Siculi Socratem Ol. CIV, 1. decessisse tradunt. Sed intelligitur Socrates junior, Aristotelis magister, qui cum altero Socrate apud Platonem loquitur *Politico.* Muri autem a Conone refecti sunt paullo post devictos ad Cnidum pugna navali Lacedæmonios teste Xenophonte lib. IV. ἑλλην. Nepote *Conone* IX, 5. aliis. Sed pugnatum est ad Cnidum Olymp. XCVI, 3. Archonte Eublide: non vero Olymp. XCVI, 2. Archonte Diophanto, uti male censent Diodorus Siculus, & qui eum sequitur, Anonymus Ὀλυμπιάδων ἀναγραφεύς. Quantum vero ea Polycratis oratio historiam Socraticam tradituro fuisset profutura, non difficile est conligere, cum omnia Socratis vitia, ea tamen præcipue, quorum justissime damnatus esse videri poterat, in illa diligenter fuerint exposita. Sed de iis aliquando in historia Socratica.*

4. Dionysius Olynthius inter eos numeratur, qui de Homeri patria, ætate & poesi scripserunt apud Tatianum λόγῳ πρὸς Ἕλληνας, & qui eum sequitur, Eusebium lib. X. præp. Evang. cap. II. singulari id libro factum a Dionysio, nec ne, dicere non habeo: cum de hoc Dionysio nihil, quod sciam, apud antiquos. Ætatem ejus aliquo modo indicant verba Tatiani in *Theagenes* citata, ubi post Herodotum & ante Ephorum vixisse indicatur,** siquidem eo ordine, quo priores posterioresve ibi citantur, vixisse quoque dicendi sunt.

5. Xenophon, Grylli F. philosophus Atheniensis Socraticus, scriptoribus historiæ philosophicæ a multis accenseri solet, quibus Suidæ auctoritas imposuit, qui in Ξενοφῶν, πρῶτος, ait, ἔγραψε βίους φιλοσόφων, *primus scripsit vitas philosophorum.* Verum errat Suidas, & quotquot eum sequuntur viri doctissimi. Laertius, quem Suidas non intellexit, de Xenophonte lib. II. ita loquitur: Πρῶτος ὑποσημειωσάμενος τὰ λεγόμενα εἰς ἀνθρώπους ἤγαγεν, ἀπομνημονεύματα ἐπιγράψας, ἀλλὰ καὶ ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραψε. *Primus omnium, qua di-*

* *Quæ vero nunquam prodiit, quia forte utilissimo labori superesse non licuit, confer celeberrimum I. A. Fabricium Bibl. Græca L. II, C. 23. & L. III, c. 6.*

** *Confer Cap. III. §. 3.*

dicebantur, notis excepta in publicum edidit, commentaria inscribens: & historiam philosophorum primus scripsit. De ultimis hisce verbis quæstio est, utrum vox *Philosophorum* ad vocem historiam, an vero ad vocem *primus* referri debeat? Prius vult Suidas, & multi alii, * posterius nos probamus.**

(1.) Qui cum Suida historiam philosophorum a Xenophonte scriptam esse opinantur, per historiam illam philosophorum intelligunt opusculum Xenophontis de dictis & factis memorabilibus Socratis. Atqui hanc sententiam rejicit Laertius, qui *ἀπομνημονεύματα* & *ἱστορίαν* distinguit, & per *ἱστορίαν* intelligere *τὰ ἑλληνικὰ* videtur.

(2.) Laertius passim, quid quisque philosophorum primus invenerit, fecerit, adnotat. Sic lib. I. de Thalete: πρῶτος καὶ τὴν ἀπὸ τροπῆς ἐπὶ τροπὴν πάροδον εὗρε, καὶ πρῶτος τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος τοῦ σεληναίου ἑπτακοσιοστὸν καὶ εἰκοστὸν μέρος ἀπεφήνατο κατά τινας. πρῶτος δὲ καὶ ὑστέραν τοῦ μηνὸς τριακάδα εἶπε. πρῶτος δὲ καὶ περὶ φύσεως διελέχθη, ὥς τινες. *Primus & solis cursum a conversione in conversione reperit, soluque magnitudini lunarem orbem comparatum septingentesimam & vicesimam illius partem esse, primus (ut quibusdam placet) dixit. Primus etiam mensis ultimam* τριακάδα, *hoc est trigesimam vocavit.* Eodem libro de Solone: Πρῶτος δὲ Σόλων τὴν τριακάδα, ἕνην καὶ νέαν ἐκάλεσαν, καὶ πρῶτος τὴν συναγωγὴν τῶν ἐννέα ἀρχόντων ἐποίησεν, εἰς τὸ συνειπεῖν. *Primus autem trigesimam diem mensis,* ἕνην καὶ νέαν *adpellavit, novemque principum numerum ad sententias dicendas primus instituit.* Libro II. de Socrate sic loquitur: καὶ πρῶτος περὶ βίου διελέχθη, καὶ πρῶτος φιλοσόφων καταδικασθεὶς ἐτελεύτα. *Et primus de vita ratione disseruit, ac primus philosophorum damnatus moritur.* Eodem libro: πρῶτος τῶν Σωκρατικῶν μισθοὺς εἰσεπράξατο, *primus Socraticorum mercedem exegit,* de Aristippo. Libro autem III. de Platone: πρῶτος, inquit, τῶν φιλοσόφων ἀντεῖπε πρὸς τὸν λόγον τοῦ Λυσίου τοῦ Κεφάλου. *Primus philosophorum orationi Lysiæ*

* *inter quos & G. J. Vossius de Philol. cap. XIV, §. 9. & Stanlejus in indice I. historiæ philosophicæ adjecto.*

** *Cum Menagio in commentario ad hunc Laertii locum, & Excellentiss. Oleario ad citatum locum Stanleii.*

Cephali filii contradixit, & sic porro. Eodem modo & de Xenophonte ejus verba intelligenda sunt, quod primus e philosophis historiam scripserit.*

(3.) Confirmat nostram sententiam ipsa connexio Laertii, qui librum primum, in quo de sapientibus egerat, sic concludit: *Atqui hi sunt, qui adpellati sunt* σοφοὶ, *sapientes, quibus nonnulli Pisistratum Tyrannum adnumerant. Nunc porro de philosophis dicendum est*, & sic porro. Cum autem lib. II. de philosophis physicis Anaximandro, Anaximene, Anaxagora, & Archelao eorum ultimo ageret, in hujus vita sic loquitur: *Archelaus adpellatus est physicus, & in eo philosophia physica desiit, Socrate nimirum ethicam introducente.* Hinc post physicos illos philosophos de Socrate ethico philosopho agit, & porro de Xenophonte, quem primum e philosophis historicum fuisse indicat verbis jam citatis. Scripsit autem Xenophon ἑλληνικὰ, *historiam Graecorum*, quam Laertius intellexit. Suidas, qui Laertii mentem non cepit, de Xenophonte ita loquitur: Ξενοφῶν, Γρύλλȣ, Ἀθηναῖος, φιλόσοφος Σωκρατικός· ὃς πρῶτος ἔγραψε βίȣς φιλοσόφων, καὶ ἀπομνημονεύματα. *Xenophon, Grylli F., Atheniensis philosophus, Socraticus, qui primus descripsit vitas philosophorum, itemque dicta & facta memorabilia.* Quibus verbis Suidas Xenophontem primum fuisse dicit inter eos, qui philosophorum vitas scripserint, quam suam sententiam nullius testimonio probare potest. Quod si tamen Xenophontem *propter dictorum ac factorum Socratis commentarios*, uti eum librum adpellat Gellius XIV, 3. inter eos, qui de vitis philosophorum scripserint, referre quisquam velit, non magnopere repugno, sed dum Suidas ita loqui debuisset: *Xenophon primus e philosophis, cujusdam scripsit vitam.* Neque Suidas Laertium propter hæc verba πρῶτος φιλοσόφων ἱστορίαν ἔγραψε, testem laudare potest, quippe qui id non dicit, quod Xenophon primus sit inter eos, qui philosophorum historiam scripserunt, sed quod Xenophon fuerit primus philosophorum, qui historiam scripserunt. Utercunque verborum sensus sit, dubium est qui subsistere ea possint cum Suida, qui alibi Timæum Locrum philosophum ante Xenophontem de vita Pythagoræ philosophi scripsisse dicit, de quo tamen, quid sentiam, dixi.

CAPUT

* *Et si historiam philosophicam condidisset, Laertius eam forte silentio non praeteriisset. Confer Menagium c. l.*

CAPUT VIII.

1. Antisthenes, Cynicus, de Homero, περὶ ἐξηγητῶν, deque sophistis & Theognide egit. Platonem exagitavit. Perperam Peripateticus adpellatur. Gorgiæ ætas & Antisthenis. Suidæ error. Duo Antisthenes. 2. Andron libro, qui Tripus inscribebatur, de sapientibus Græciæ egit. Ex quo Theopompus nonnulla furatus. Ejus ætas. Idem de Zoroastro egit. Homonymi.

I.

INter Socratis discipulos præter Xenophontem etiam Antisthenes Atheniensis celebris erat auctor Cynicæ sectæ sic dictæ, quod in Cynosarge gymnasio * ipse doceret: sicut Academici dicebantur, qui in Academia a Platone: Peripatetici, qui ab Aristotele in Peripato Lycei; Stoici, qui a Zenone in Stoa docebantur. Inter varios, quos ei tribuit, libros Laertius lib. VI. exstat quoque ejus *de Homero*, sive historia, sive commentarius. Itemque περὶ ἐξηγητῶν, *de expositoribus*, qui scilicet priores poetas suis commentariis inlustrarint. De *Sophistis* item, nec non de *Theognide* quinque libris egit. Platonis vitia peculiari libro exposuit, qui inscribebatur Σάθων: ita namque Platonem contumeliose adpellabat, ut auctor est Athenæus V, 20. XI, 15. Laertius lib. III. Plat. & lib. VI. *Antisth.* Notat autem σάθη eam corporis partem, qua viri sumus, & a sexu sequiore distinguimur.

Suidas Ἀντισθένης, Antisthenem Peripateticum fuisse dictum, auctor est: quæ adpellatio non ita cum vulgo explicanda, quasi ex Suidæ sententia Antisthenes Peripateticus fuerit, & Aristotelis discipulus: & postea demum in Cynosarge docuerit Cynicæque sectæ nomen dederit. Antisthenes enim Aristotelem ætate antecessit, discipulus quippe & auditor

* *Corinthi.*

Gorgiæ Leontini ſophiſtarum præcipui, teſte Laertio lib. VI. *Antiſth.* Atqui Gorgias Iſocratis Olymp. 86. nati magiſter, jam Olympiade *octogeſima* florebat, teſte Porphyrio apud Suidam Γοργίας & Plinio XXXIII, 4. ubi pro 70 rectius leges 80. Et Olympiade *ſexta & octogeſima* juxta Euſebium lib. II. Chron. & Olympiade *octogeſima octava*, juxta Anonymum Olympiadographum. Sed vixit Gorgias annos 105, juxta Pauſaniam El. 2. vel 107, juxta Ciceronem *Catone:* vel 108, teſte Luciano *Macrobiis* & Plinio VII, 48. Vixit poſt editum a Platone Olymp. 88. nato Dialogum Gorgiam teſte Athenæo XI, 15. quod Olymp. 100. circiter contingit. Quapropter Antiſthenes, hujus Gorgiæ diſcipulus, Ariſtotelis Olymp. 99. nati & Olymp. CXI, 2. ſcholam Athenis in Lycei Peripato aperientis diſcipulus non fuit. Vixit Antiſthenes ante Theopompum Ariſtoteli æqualem, ut indicat Laertius Lib. VI. *Antiſth.* Vixit ante editam ab Ariſtotele Dialecticam, in qua ejus mentio facta lib. I, c. 9. (11.) ὐκ ἔςιν ἀντιλέγειν, καθάπερ ἔφη Ἀντισθένης, *nulla datur contradictio, ut ſtatuebat Antiſthenes.* Vixit denique ante Rhetoricam ab Ariſtotele editam teſte loco lib. III. Rhet. c. 4. Quapropter cum Antiſthenes ante Ariſtotelem vixerit, non poteſt eo ſenſu Peripateticus, juxta Suidam, dictus fuiſſe, quaſi Ariſtotelis fuerit diſcipulus. Sed ſi Peripateticus dictus fuit, de quo dubito, alia adpellationis ratio fuit: vel potius dicendum eſt, duos fuiſſe Antiſthenes Philoſophos; unum Socraticum, Cynicæ ſectæ principem, Ariſtotele paullo ſuperiorem, de quo egimus: alterum philoſophum peripateticum, Phlegonti libro *de mirabilibus* cap. 3. laudatum: quod Suidas confuderit, unum faciens Antiſthenem eundemque & Peripateticum & Cynicum. Sed de Antiſthene Cynico ſatis. De poſteriore Antiſthene plura inter incertæ ætatis ſcriptores.

2. Andron, Epheſius, de ſeptem ſapientibus ſcripſit, ut indicat Scholiaſtes Pindari Iſthmion: Σπαρτιάτην δὲ Ἀριςόδημον ἐν τοῖς ἑπτὰ σοφοῖς ἀναγράφεται Ἄνδρων ὁ Ἐφέσιος, *Ariſtodemum Spartiaten inter ſeptem ſapientes numerat Andron Epheſius.** Meminit ejus quoque Laertius lib. I. *Pherec.* Ἄνδρων ὁ Ἐφέσιος δύο φησὶ γεγονέναι Φερεκύδας Συρίους,

* *Ut Theano inter mulieres prima, ſic inter viros primus Andron fuerit, qui philoſophorum dedit hiſtoriam. Hunc ſequuti deinceps inter philoſophos Ariſtoteles & alii.*

Συρίους, τὸν μὲν ἀστρολόγον, τὸν δὲ θεολόγον, ὑιὸν Βαδύος, ᾧ καὶ Πυθαγόραν σχολάσαι, *Andron Ephesius duos tradit fuisse Pherecydas Syrios*, (non *Syros*, ut Ambrosius interpres habet:) *Astrologum alterum, alterum Theologum, Badyos filium, cujus discipulus etiam Pythagoras fuerit.* Titulum operis Τρίποδα fuisse credo, cujus Laertius lib. I. *Thal.* meminit. Ανδρων ἐν τῷ Τρίποδι, Αργείους ἆθλον ἀρετῆς τῷ σοφωτάτῳ τῶν ἑλλήνων τρίποδα θεῖναι. κριθῆναι δὲ Αριςόδημον σπαρτιάτην, ὃν παραχωρῆσαι χίλωνι. *Andron in Tripode ait, Argivos virtutis præmium sapientissimo Græcorum Tripodem statuisse: eumque Aristodemum Spartanum fuisse judicatum, qui item concesserit Chiloni.* Clemens lib. I. Strom. Συνεχρόνισαν δὲ οἱ συγκαταλέγοντες σοφοὶ τῷ Θαλεῖ, ὥς φησιν Ανδρων ἐν τῷ τρίποδι. *Æquales autem fuerunt Thaleti sapientes ita dicti, ut auctor est Andron in Tripode.* Eusebius lib. X. *de prepar. Evang.* cap. τὰ Πλωτίνεια ex Porphyrio, quod Græci sint fures. Ανδρωνος ἐν τῷ Τρίποδι, περὶ Πυθαγόρου τοῦ φιλοσόφου, τὰ περὶ τὰς προῤῥήσεις ἱςορικότος εἰπόντος τε, ὡς διψήσας ποτὲ ἐν Μεταποντίῳ καὶ ἔκ τινος φρέατος ἀνιμήσας, καὶ πιὼν προεῖπεν, ὡς εἰς τρίτην ἡμέραν ἔσοιτο σεισμὸς, καὶ ἕτερά τινα τούτοις ἐπαγογῶν, ἐπιλέγει. Ταυτ᾽ οὖν τοῦ Ανδρωνος περὶ Πυθαγόρου ἱςορηκόντος, πάντα ὑφείλετο Θεόπομπος. Ει μὲν περὶ Πυθωγόρου λέγων, τάχα ἂν καὶ ἕτεροι ἠπίςαντο περὶ αὐτοῦ καὶ ἔλεγον, ταῦτα καὶ αὐτὸς ἂν εἶπον. νῦν δὲ τὴν κλοπὴν δήλην πεποίηκεν ἡ τοῦ ὀνόματος μετάθεσις. τοῖς μὲν γὰρ πράγμασι κέχρηται τοῖς αὐτοῖς, ἕτερον δ᾽ ὄνομα μετενήνοχε. Φερεκύδην γὰρ τὸν σύριον πεποίηκε ταῦτα προλέγοντα. οὐ μόνον δὲ τούτῳ τῷ ὀνόματι ἀποκρύπτει τὴν κλοπὴν, ἀλλὰ καὶ τόπων μεταθέσει. Τό τε γὰρ περὶ τῆς προῤῥήσεως τοῦ σεισμοῦ ἐν Μεταποντίῳ, ὑπ᾽ Ανδρωνος ῥηθὲν, ἐν Συρίᾳ (forte σύρῳ) εἰρῆσθαί φησιν ὁ Θεόπομπος. *Andron, in Tripode de Pythagora Philosopho, ejusque prædictionibus loquens dicit, quod Metaponti aliquando sitiens e puteo aquam hauserit, eaque pota prædixerit post triduum fore terræ motum, aliaque ejusmodi addit. Hæc itaque de Pythagora quæ tradidit Andron. Theopompus suffuratus est; qui si idem de Pythagora dixisset, confestim cæteri dixissent: idem ille dixit. Aperte autem furem se prodit, dum nomina mutat, rebus servatis. Fingit enim Pherecydem Syrium ita prædixisse. Neque tamen hoc solo nomine fraudem suam occultare vult sed & loci nomen immutat. Quæ enim de prædictione terræ motus Metaponti acciderunt juxta Andronem, eadem in*

Syria

Syria (*Syro* forte, quæ insula erat, unde Pherecydes erat) *contigisse tradit Theopompus.* Verum Theopompum qui Pherecydi id affinxit, quod Pythagoræ ab Androne tributum est, sequitur Cicero, lib. 1. & 2. *de Divin.* Apollonius *Hist. mirab.* V, Plinius II, 79. *Hist. nat.* Laertius lib. 1. *Pherecyde.* Meminit illius Τρίποδος etiam Michael Apostolius Σαμίων δῆμος.* Idem hic omnino Andron περὶ θυσιῶν πρὸς Φίλιππον, *de sacrificiis ad Philippum* scripsit, ut auctor est Apollonius Hist. mirab. cap. 8. ubi quartum ejus operis librum citat, & eo ipso ætatem Andronis simul indicat, quod Philippi æqualis Olym. CIV. circiter fuerit, & Theopompo. Præter hunc fuit Andron Argivus, quem per arida Lybiæ sine potu profectum fuisse tradidit Aristoteles lib. de ebrietate apud Apollonium Histor. mirab. cap. 25. & Laertium lib. IX. *Pyrrh.* Sextus item Empiricus lib. 1. *Pyrrh. hypoth.* fol. 17. Andronem Medicum memorant Celsus V, 20. Galenus lib. III. *de compos. med. sec. gen.* cap. 3. Athenæus XV, 8. Andronem Musicum & Geometram M. Antonini magistrum fuisse novimus ex Capitolino *Marco.*

CAPUT IX.

1. Zoilus incertæ ætatis & patriæ. Homeromastix. Scripsit contra Isocratem & Platonem. Homonymi. 2. Ephorus de Homero. Historias suas filio Demophilo absolvendas tradidit; attigit Alexandri M. tempora. 3. Theopompus antiquior paullo habitus. Isocratis ætas. Error Anonymi & Suidæ. 4. Scripta Theopompi. Loca quædam Græca perperam versa apud Vossium.

1. Zoilus,

* *Idem de Mago quodam Zoroastre, sapientia inventore egit, teste Suida bis verbis voce* Ανδρ. οὗτος συνέγραψε τόμους δέκα· πρῶτον Μαγικόν· ἀφηγεῖται δὲ περὶ Ζωροάστρου τινὸς Μάγου, εὑρόντος τὴν σοφίαν.

ZOilus, Amphipolita, Macedo, Polycratis Atheniensis Rhetoris discipulus fuit, magister vero *Demosthenis* Rhetoris, teste Suida Δημοσθένης, Plutarcho lib. de X. Rhet. *Dem.* Itemque Anaximenis Lampsaceni illius, qui Diogenem quoque Cynicum audivit, & Alexandri M. præceptor & comes fuit, teste Suida Αναξιμένης. Fuit enim & orator & philosophus Zoilus, teste eodem Ζωίλος. Cæterum de ætate ejus litem movet Ioh. Gerh. Vossius lib. I. de *Hist. Gr.* c. 15. eumque Ptolemæi Philadelphi ætate vixisse Vitruvium Pollionem sequutus statuit. Nos post habita Vitruvii unius auctoritate propter ea, quæ diximus, ad hæc tempora eum referre maluimus. Confer quæ de ejus ætate doctissime, ut pleraque tradidit Thomas Reinesius, Germaniæ nostræ decus, Var. lect. III, 2. Patria ejus non minus incerta videtur, quam alii Ephesum, alii Amphipolin Macedoniæ faciunt. Ephesium eum nominat Scholiastes minor idemque junior Homeri & Eustathius, uterque ad Iliad. ε. Verum Plutarchus Sympos. V, 4. aliique Amphipolitam eum adpellant, a quorum sententia cur recedam, causæ nihil video. Infense autem Homero adversatus est Zoilus, quippe cujus libros non modo vellicavit editis novem libris κατὰ τῆς Ομήρε ποιήσεως, *contra Homeri poesin:* verum personam etiam notasse videtur libro, quem inscripsit ψόγον Ομήρε, *vituperium Homeri*, teste Suida Ζωίλ. Et cum tanto adversus Homerum flagraret odio, τὴν Ομήρε μαςίζειν εἰκόνα, *Homeri imaginem flagellare* consvevit, teste Galeno lib. I. de locis aff. cap. 3. unde & Homeromastix dicitur Galeno loco citato aliisque: tantumque meruit in hoc suo livore, ut omnes doctissimorum virorum scripta & famam rodentes obtrectatores Zoili dicantur. Idem hic Zoilus κατὰ Ισοκράτες τε Ρήτορ☉, *contra Isocratem Rhetorem* scripsit, teste Suida. Forte hoc scripto patrocinium Polycratis magistri sui ab Isocrate notati suscepit. Edidit quoque λόγον κατὰ Πλάτων☉ καταδεόμην περιέχοντα τε ἀνδρὸς, *orationem, qua calumniatur Platonem*, teste Dionysio Halicarnasseo *epist. ad Pompejum.* Habuit hic Zoilus quoque homonymos. Zoilus Pergæus de Diogene Cynico quid scripserit, indicat Laertius lib. VI. *Diog.* forte hic sub Ptolemæo Philadelpho vixit, cujus homonymia Vitruvio in-

posuerit,* Zoilus quidam Grammaticus Deipnosophista est apud Athenæum.**

2. Ephorus, Demophili pater, Isocratis discipulus, Cumanus ex Asia fuit, teste Strabone lib. XII. qui iterum lib. XIII. de eodem, ubi de Cuma Asiatica agit: Ἀνὴρ ἄξιος μνήμης ἐκ τῆς δὲ τῆς πόλεως ἀναντιλέκτως ἐστὶν Ἔφορος τῶν Ἰσοκράτους γνωρίμων τοῦ Ῥήτορος. ὁ τὴν ἱστορίαν συγγράψας καὶ τὰ περὶ τῶν εὑρημάτων. *Vir sine controversia celebris, Ephorus ex hac urbe est Isocrati Rhetori familiaris: qui & historiam scripsit & opusculum de rebus inventis.* Scripsit *de Homero*, teste Plutarcho lib. de Homero & Tatiano λόγῳ πρὸς Ἕλληνας, cujus verba cap. 3. supra adduximus. Seorsim, an in alio opere id præstiterit, non æque certum. Videtur tamen libris historiarum ejus meminisse, quarum triginta edidit, teste Diodoro Siculo lib. XVI, bibl. c. 77. exorsus nimirum ab Heraclidarum reditu, qui 60 circiter annis Homeri ætatem antecedit. *Secundum* hujus operis librum citat Ammonius de differ. vocab. Θηβαῖοι. Athenæus librum *tertium* laudat lib. VI, c. 18. *sextum* IV, 13. *duodevigesimum* XI, 14. *Trigesimnm* vero VI, 4. sed dubius, Ephoro an filio ejus Demophilo historiæ illæ sint tribuendæ. Ἔφορος ἢ Δημόφιλος ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἐν τῇ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν περὶ τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ. Causa quare ita dubitet, est, quod Ephorus belli non ita pridem confecti historiam imperfectam filio pertexendam forte reliquerit. Ephorus historias suas cum obsidione Perinthi Olymp. CIX. 4. finiit, teste Diodoro XVI, 77. Bellum vero sacrum sive Phocicum cœpit Olymp. CV, 4. teste Pausania *Phocicis*, vel Olymp. CVI, 2. teste Diodoro XVI, 23. duravit annos *novem*, teste eodem ibidem, vel *decem*, juxta Pausaniam *Boeot.* & *Phoc.* Confectum itaque est hoc bellum Olymp. CVIII. Brevi autem post, Olympiade scilicet sequente Olymp. CIX. historiam suam Ephorus imperfectam, necdum absolutam Demophilo filio tradidit pertexendam, teste Diodoro. Ut ita Athenæus historiam belli Phocici a patre & filio simul descriptam, utrique eorum dubie non immerito tribuat. Idem forte ille Ephorus, qui cum Alexandro vivere recusavit, teste

* *Zoilus Lampsacenus, pater filiæ fuit, quam secta Epicuream faciunt Laertius X, 5. Clem. Alexandr.* Themisto.

** *Et* Ζώϊλος ὁ Κεδρασεύς, *Cedracensis, Grammaticus, invenitur in Magno Etymologico Græco.*

ſte Plutarcho *de contrad. Stoicorum.* Credo eundem eſſe quem Laertius lib. I. *Thal.* Euphorum adpellat, eumque pro Myſone Anacharſin inter ſapientes numeraviſſe indicat. Nolim tamen inde conligere, eum peculiari libro de ſapientibus Græciæ ſcripſiſſe. Facilis autem eſt mutatio vocis *Ephorus* in *Euphorus.* Sic quæ ex Euphoro apud Stephanum ἀλιζῶνες citare ſe dicit Euſtathius il. β. fol. 275. ea ex Ephoro citata exſtant apud Stephanum: unde non eſt, quod Ephorum, qui de inventis ſcripſit, cum Voſſio de Hiſt. Gr. lib. III. diſtinguamus ab Ephoro noſtro, quem itidem de inventis ſcripſiſſe e Strabone audivimus. Huic omnino περὶ εὑρημάτων libro contradixit Straton ille, qui itidem περὶ εὑρημάτων *de inventis* ſcripſit, teſte Clemente lib. I. Strom. de hoc Plinius lib. I. inter auctores lib. VII. *Strato qui contra Ephori theoremata* (forte *heuremata*) *ſcripſit.* De corrupto Ephori nomine vide quoque Scaligerum ad Euſebium Anno MCI.

3. Ephoro jungemus Theopompum Chium, condiſcipulum, ſed quem Olympiad. XCIII. 1. jam floruiſſe teſtatur Anonymus ille Ὀλυμπ. ἀναγραφῇ ad Olymp. citatam & Suidas Θεόπομπος, cujus hæc ſunt verba: Θεόπομπος Χῖος ῥήτωρ, υἱὸς Δαμασιστράτου, γεγονὼς κατὰ τοὺς χρόνους τῆς ἀναρχίας Ἀθηναίων ἐπὶ τῆς ϟγ΄ ὀλυμπιάδος, ὅτε καὶ Ἔφορος Ἰσοκράτους ἀκουστής· ἅμα Ἐφόρῳ ἔγραψεν ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν βιβλίοις β΄. Φιλιππικὰ ἐν βιβλίοις οβ΄. *Theopompus Chius Rhetor, Damaſiſtrati filius, vixit tempore interregni Athenienſium Olymp. XCIII, quo & Ephorus Iſocratis auditor: ſcripſit pariter ac Ephorus epitomen hiſtoriarum Herodoti libris II, Philippica libris LXXII.* Sequutus hos eſt Voſſius, qui lib. IV. de Hiſt. Gr. cap. 8. hunc Theopompum ejusque adverſarium Theocritum Chium ſophiſta ad Olymp. XCIV. refert. Sed ut de errore conſtet, paucis hæc controverſia erit explicanda. Fuit Theopompus rhetor, & Iſocratis diſcipulorum excellentiſſimus, ut & Ephorus, de quibus Iſocratem dixiſſe ferunt *alteri ſe calcaria adhibere, alteri frenos,* juxta Ciceronem Bruto & lib. VI. ad Attic. ep. 1. At Iſocrates Olymp. LXXXVI, 1. natus eſt, juxta Dionyſium Halicarnaſſeum *de Iſocrate.* Plutarchum lib. de X. Rhet. *Iſocrate.* Laertium lib. III. *Plat.* Anonymum Ὀλυμπ. ἀναγρ. Suida Ἰσοκρ. Vixit Iſocrates annos XCVIII. juxta Pauſaniam *Atticis*, Quintilianum *inſtit. orat.* III, 1. Anonymum ad Olymp. CXIX, 3. vel annos 99. teſte Cicerone, qui de eo *Catone: Iſocrates librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo*

anno scripsisse dicitur vixitque quinquennium postea. Ipse Isocrates initio Panathenaici 94. annos natum se illum inchoasse: in ipso autem λόγῳ postea, triennio se saltem a centesimo anno ætatis abesse scribit. Annos XCIX. eum vixisse tradit quoque Lucianus *Macrobiis*, mortuumque anno, quo Athenienses pugna ad Chæroneam a Philippo superati, Archonte Chæronida, id quod de anno mortis confirmat Plutarchus lib. de X. Rhet. & Anonymus Olympiadographus ad Olymp. CX, 3. Quoniam igitur Isocrates Olymp. CX, 3. fato concessit, discipulus ejus Olympiade CXX. attingere potuerunt. Fuit autem ex ejus discipulis etiam noster Theopompus Chius, teste Cicerone *Bruto*, & lib. III. *de Oratore*, Plutarcho lib. *de X. Rhet.* Quintiliano *instit. orat.* II, 9. Gellio *Noct. Att.* X, 18. Philostrato *Isocrate.* Potuit igitur Theopompus Isocratis quippe discipulus, ante Olymp. C. jam florere: potest etiam Olymp. CXX. demum floruisse. Prius amplectitur Anonymus Olympiadographus, sed non sine errore. Diodorus, quem Anonymus plerumque sequitur, dicit lib. XVI. Biblioth. cap. 72. Theopompum Chium libros historiarum Philippicarum tres, scilicet 41, 42 & 43 quibus Sicula continebantur, exorsum esse a Dionysii senioris dominatu, qui in Olymp. XCIII, 3. incidit: & in exilio Dionysii junioris desiisse Olymp. CIX, 2. atque ita complexum esse spatium annorum (non 50, ut habent codices Diodori Siculi & Anonymi, sed) 63. Unde non sequitur Theopompum jam Olymp. XCIII. floruisse, quod ejus temporis historias scripserit, ut visum Anonymo. Archon erat Theopompus quidam Olymp. XCII, 2. Athenis, qui & ipse forte Anonymo fraudi atque errori fuit: at quid ille ad nostrum historicum? Sequitur Anonymum Suidas, sequuntur Meursius & Vossius: hic in historicis Græcis lib. IV, ille lib. de Archontibus Athen. III, 11. Certum est, Theopompum anno sexagesimo tertio vixisse post Olymp. XCIII, qua eum jam floruisse isti contendunt: quandoquidem de rebus gestis Olymp. CIX, 2. libro XLIII egit. At scripsit libros historiarum LVIII, igitur & post hæc tempora vixit. Laudavit Antisthenem teste Laertio lib. VI. *Antisth.* Platonem a Philippo reprehensum fuisse tradit Theopompus apud Laertium lib. III. Cœpit Philippus Olymp. CIV. regnare, cui Olymp. CXI, 1. occiso filius Alexander successit, quo regnante, Theopompum nostrum vixisse inde certo conligere licet, quod cum Anaximene Lampsaceno Rhetore Alexandri M. comite magnas gesserit inimicitias teste Pausania El. II. & Suida Ἀναξιμένης. Quod πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπισο-

ἐπιστολὴν *ad Alexandrum epistolam* scripserit citatam Athenæo, XIII, 7. & Ciceroni, qui lib. XII. ep. ad Att. 39. *mecum*, inquit, *habeo &* Ἀριστοτέλους *&* Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον. Quod item πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλὰς, *ad Alexandrum consilia* scripserit, in quibus Theocritum Chium civem suum antea fictilibus iisdemque nonnunquam mutilis atque fractis poculis uti solitum, aurea & argentea post adhibuisse tradiderit, ut auctor est idem Athenæus VI, 4. Atqui Theocritus Chius maledicus ista sophista non modo sub Alexandro floruit, eique acerbis suis dictis bilem movit teste Plutarcho *lib. de educat. puer.* & Aristoteli Olympiade CXIV, 1. defuncto convitiatus est, ut in *Ambryon* dicemus: verum etiam postea sub Antigono vixit, quem cum aculeato quodam dicterio pupugisset, maledicentiam istam morte sua luit, teste Plutarcho loc. cit. & *Sympos.* II, 1. Macrobio *Sat.* VII, 3. Quæ cum ita sint, Theopompum rectius ad hæc tempora referendum, & quæ Anonymus Olymp. XCIII, 1. habet Θεόπομπος ὁ Χῖος συγγραφεὺς ἐγνωρίζετο delenda, & Olympiadi CX potius tribuenda judicamus.

4. Scripta Theopompi nostri quod adtinet, Platonicam historiam augere voluit libro, κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς, *contra Platonis scholam*, cujus meminit his verbis Athenæus XI, 15. * Θεόπομπος ὁ Χῖος ἐν τῷ κατὰ τῆς Πλάτωνος διατριβῆς, τοὺς πολλούς φησι τῶν διαλόγων αὐτοῦ ἀχρείους καὶ ψευδεῖς ἄν τις εὕροι. Ἀλλοτρίους δὲ τοὺς πλείους ὄντας ἐκ τῶν Ἀριστίππου διατριβῶν, ἐνίους δὲ Ἀντισθένους, πολλοὺς δὲ κἀκ τῶν Βρύσωνος τοῦ Ἡρακλεώτου. *Theopompus enim Chius libro contra instituta & exercitationes Platonis, ait multos ejus dialogos supervacuos, inutiles & falsos deprehendi. Alienos siquidem plures ex Aristippi colloquiis & dissertationibus surreptos, quosdam ex Antisthenis, multos vero ex Brysonis Heracleotæ.* Pythagoram Tyrrhenum fuisse e Theopompo refert Theodoretus serm. 1. E quo autem ejus libro id petitum sit, non liquet. Magni alias nominis historicus fuit hic Theopompus, multorumque librorum auctor. Anonymus Ὀλυμπ. ἀναγρ. Olymp. CV, 1. Θεόπομπος ὁ Χῖος τὴν ἀρχὴν τῶν περὶ Φίλιππον ἱστοριῶν ἐντεῦθεν ποιησάμενος γέγραφε βίβλους ὀκτὼ πρὸς ταῖς πεντήκοντα, ἐξ ὧν πέντε διαφωνοῦσι. *Theopompus Chius Philippicarum suarum bi-*

* *Tzetz. Chil. V. Hist. 356.*

ſtoriarum, quas hinc exorſus eſt, libros 58 ſcripſit, quorum tamen 5 interciderunt. Eadem habet Diodorus XVI, 3. Photius Ecl. CVI, ubi de nostro Theopompo agit, libros ejus *Philippicarum* LIII. ſaltem tum ſuperſtites fuiſſe tradit, cum LVIII. olim fuerint. Stephanus tamen citat ejus librum LV. in καρύα, τρίκαρα. Librum LVI Athenæus XIII, 9. & librum LVII Stephanus μεσσαπέαι. Memorat eum & Athenæus VI, 4. Θεόπομπος, ait, ὁ Χῖος ἐν ταῖς πρὸς Ἀλέξανδρον συμβουλαῖς, περὶ Θεοκρίτου τοῦ πολίτου τὸν λόγον ποιούμενός φησιν. *Theopompus Chius in ſuis ad Alexandrum conſiliis, quo loco de Theocrito cive ſuo loquitur, ait.* Egit quoque de Harpalo apud Athenæum XIII, 7. ſervos Theſſalorum Beneſtas, & Lacedæmoniorum Helotas dici, tradit Theopompus apud Scholiaſten Theocriti Idyll. XVI. Fratrem habuit hic Theopompus Cauculum rhetorem, qui *Herculis laudationem* ſcripſit, teſte Athenæo X, 1. Agit de Theopompo noſtro Voſſius de Hiſtor. Græcis, I, 7. ubi titulum ejus libri περὶ τῶν συληθέντων ἐκ Δελφῶν χρημάτων Athenæo citati male vertit *de his quæ prædati ſunt Delphicas pecunias*, cum ſit: *De Delphicis pecuniis raptis.* Sed non omnium locorum Græcorum interpretationes in iſtis libris de Hiſt. Græcis ipſi Voſſio adſcribere poſſum, adeo a veritate quandoque recedunt. Quid enim magis a mente auctoris alienum, quam id, quod fol. 422. reperitur? ubi hæc verba Euſtathii φησὶν οὖν ὁ παρὰ τῷ γράψαντι τὰ ἐθνικά, Οὐράνιος οὕτος ὀνομαζόμενος, ὅτι τὰ παρακείμενα ὄρη δεινῶς ἐρυθρά ἐστι, ita interpretata adjiciuntur: *Ait ille, qui in Ethnicorum ſcriptorem commentarium edidit (Uranius is nominatur) adjacentes montes admodum eſſe rubros.* At nihil minus de Uranio, de quo ita interpretandus fuiſſet Euſtathius. *Ait ille (Uranius huic nomen eſt) apud ethnicorum ſcriptorem adjacentes montes admodum eſſe rubros.* Sed tegenda hæc potius forent, niſi ignaris quibusdam imponerent. Theopompum Cnidium Artemidori filium æqualem ſuum laudat Strabo XIV. Cæterum de variis Theopompis eorumque ſcriptis agit Meurſius ad Apollonii Dyſcoli hiſtoriam mirandam fol. 97. & ſeqq. quem omnino vide.

CAPUT

CAPUT X.

1. Speusippus de philosophis, idemque encomium Platonis scripsit. Notatur Laertius, & interpres Ambrosius duobus in locis corrigitur. Frequens numerandi modus apud Laertium ostenditur. 2. Hermodorus de Platone scripsit. Varii Hermodori. Corriguntur Plutarchus, Vossius, Wovverius. 3. Anaximenes de sapientibus. 4. Aristophon Comicus de Pythagoreis egit. 5. Xenocrates; ejus ætas & patria dubia. Ejus scripta. Platonicorum successio.

I.

PLatoni Olymp. CVIII, 1. defuncto Speusippus, ejus e sorore nepos successit, scholamque philosophicam Athenis in academia per octennium rexit. Errat itaque Eusebius, qui Chron. ad Olympiad. CXVI, 1. Μενέδημος καὶ Σπεύσιππος, φιλόσοφοι ἐγνωρίζοντο. Scripsit περὶ φιλοσόφων, *de Philosophis*. Laertius lib. IX. *Parmen.* λέγεται δὲ καὶ νόμους θεῖναι τοῖς πολίταις, ὥς φησι Σπεύσιππος ἐν τῷ περὶ φιλοσόφων, *dicitur Parmenides leges quoque civibus suis tulisse, ut auctor est Speusippus, ubi de Philosophis agit.* Idem Laertius lib. IV. ubi de Speusippo agit, ejusque libros recenset, nullam hujus περὶ φιλοσόφων, *de Philosophis* libri mentionem facit: euumerantur tamen vicinæ adpellationis libri περὶ φιλοσοφίας, *d.* φιλόσοφος, *d. de Philosophia, unus. Philosophus, unus*, quorum alter forte intelligebatur, e quo de Parmenide locus citatur. Sed non infrequens est Laertio, omittere in Elenchis libros, eosque alibi citare. Ita libro III, 2. *Platone* idem Laertius: Σπεύσιππος δ' ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Πλάτωνος περὶ δείπνου, καὶ Κλέαρχος ἐν τῷ Πλάτωνος ἐγκωμίῳ, καὶ Αναξιλίδης ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ φιλοσόφων, φασὶν, ὡς Αθήνησιν ἦν λόγος, ὡραίαν οὖσαν τὴν Περικτιόνην βιάζεσθαι τὸν Αρίστωνα, καὶ μὴ τυγχάνειν. Παυόμενόν τε

τῆς

τῆς βίας ἰδεῖν τὴν τȣ̃ Ἀπόλλωνος ὄψιν, ὅθεν καθαρὰν γάμȣ φυλάξαι, ἕως τῆς ἀποκυήσεως. *Speusippus in libro, qui inscribitur Platonis cœna, & Clearchus in laudatione Platonis, & Anaxilides in secundo de Philosophis libro, tradunt, famam Athenis fuisse, Aristonem Pericliona, quum esset pulcherrima, vim inferre conatum esse, verum frustra id tentasse, & vidisse in somnis Apollinem, atque ab eo mundam a conjugali copula, quoad pareret, uxorem servasse.* Ubi itidem citatus ille Speusippi liber Πλάτωνος περὶ δείπνȣ, in elencho librorum Speusippi non reperitur. Sunt sane ista verba de mendo suspecta: præsertim cum Hieronymus lib. I. contra Jovin. superiorem illum Laertii locum quasi interpretetur, nulla facta *cœnæ Platonicæ* mentione: *Speusippus quoque sororis Platonis filius & Clearchus in laude Platonis, & Anaxilides in secundo libro philosophiæ, Perictionem matrem Platonis phantasmate Apollinis oppressam ferunt, & sapientiæ principem non aliter arbitrantur nisi de partu virginis editum.* Hæc Hieronymus. Quoniam vero Πλάτωνος ἐγκώμιον, *Platonis laudatio*, inter libros Speusippi a Laertio numeratur, facile credo, eundem quoque librum ab illo verbis adductis fuisse citatum. Laertius ubi elencho librorum Speusippi more suo versuum numerum subjunxit: ςίχοι μ΄. γ΄. δ΄. ό. έ. non intellectus videtur Ambrosio interpreti, qui ita transtulit *Versus prope infiniti.* Cum hoc velint Laertiana ista: *Versu* 34075, qui numerus juxta litteras ita colligitur:

μυριάδες tres	μ΄γ΄	30000
quator mille	δ΄	4000
septuaginta	ό	70
quinque	έ	5
		34075.

Similiter erratur, eodem libro vita Xenocratis, ubi Xenocrati versus μ΄. κβ΄. δ΄. σ΄. λ΄. θ΄. tribuit: Ambrosius vero CCCXL. vertit. Intelliguntur autem a Laertio μυριάδες κβ΄, 220000. quater mille, δ΄. ducenti, σ΄. triginta, λ΄. novem, θ΄. qui numerus conlectus est 224239. Hic numerandi modus apud Laertium frequens est, sed plerisque obscurus, quod myriadas concernit; cætera, facilis. Citat hunc Speusippum Aristo-

Aristoteles Metaph. VII, 2. ejusdemque libros maximo emit, teste Laertio lib. IV. *Speus.*

2. Hermodorus a morte Socratis Platonem & reliquos philosophos, Socratis discipulos Megaram ad Euclidem concessisse, auctor est apud Diogenem Laertium lib. II. *Euclide.* & lib. III. *Platone.* Desumta hæc arbitror ex libro ejus περὶ Πλάτωνος, *de Platone*, quem citat Dercyllides apud Symplicium ad lib. I. φυσ. ἀκρ. comm. 80. Omnino idem est ille Platonicus, e cujus περὶ μαθημάτων, *de disciplinis* libro, idem Diogenes *proœmio* narrat, a Magorum ætate ad Trojanum excidium annos quinquies mille intercessisse. Raphael Volaterranus lib. XV. ex libro Coloniarum nuper tum invento refert, Hermodorum Siculum Platonis discipulum, minime a nostro diversum, male audivisse, quod ea, quæ a magistro suo audiverat, in Sicilia postea venderet. Hujus Hermodori Platonici verba e Platone desumta citavit Dercyllides libro undecimo philosophiæ Platonis apud Porphyrium, teste Simplicio ad lib. I. φυσ. ἀκρ. comm. 76. Diversus ab hoc est Hermodorus ille Ephesius apud Ciceronem lib. V. *Tusc. Qu.* Laertium lib. IX Heraclito itemque ille Clazomenius apud Plutarchum lib. *de Socratis genio.* Ubi pro *Hermodorus* lege *Hermotimus.* De hoc enim ista referunt Plinius Hist. Nat. VII, 52. Lucianus Encomio Muscæ. Tertullianus lib. de anima cap. 2, 28, 44. Hermodorus Epicureus nominatur apud Lucianum *Icaromenippo.* Hermodorum quendam νομίμων auctorem inter incertæ ætatis scriptores recenset Vossius lib. III. de Hist. Gr. eumque apud Athenæum libro II. citari tradit. Verum erratur hic, quod Vossius II pro XI posuerit. Wovverius enim, quem Vossius suppresso illius nomine quandoque sequitur, Polymathiæ cap. 9. p 61. ubi de νομίμων scriptoribus agit, Aristotelem, Theodecten, Posidonium, Nymphodorum, Telephum, Suetonium, Cleanthem, * Theophrastum & Hermodorum νομίμων scriptores facit, quorum ultimum ab Athenæo lib. XI citari scribit. Potuisset doctissimus vir iis addere Hellanicum, cujus νόμιμα βαρβαρικὰ citat Etymologici auctor in Ζάμολξις: & Harmodium Lepreaten, cujus περὶ τῶν κατὰ Φιγαλίαν νομίμων, *de institutis Phigalensium* laudat Athenæus IV, 12. X, 11.

* Dionysium Metathemenum *addere adhuc potuisset, sed, quia sine testibus vir* πολυμαθέστατος *scribit, vereor ut omnes inter* νομίμων *scriptores haberi possint.*


XI, 3. 8. Hermodorum vero νομίμων scriptorem, nullibi citatum observo. Hinc quoniam Hermodorum Athenæus libro XI semel iterumque signat, & Harmodio in eodem libro νόμιμα tribuit, facile Wowerio aliud cogitanti Hermodorus νομίμων scriptor fictus est: quem temere sequutus Vossius errorem auget, sed de Hermodoro satis, cujus etiam Cicero meminit lib. XIII. ad Atticum epist. XXI.

3. Anaximenes Lampsacenus, Alexandri M. comes, Theopompi adversarius, historicus & rhetor fuit. Fortassis hic est intelligendus apud Laertium lib. I. *Thal.* qui de sapientibus Græciæ dixit, omnes eos poeticæ magis fuisse studiosos. Sed in antiquitatibus Græciæ id ab eo traditum esse credo, neque propterea hic locum mereri. De variis autem Anaximenibus vide Meursium notis ad Chalcidium folio XXXVII.

4. Circa hæc tempora putamus Aristophonta Comicum vixisse, qui fabula Πυθαγοριστῆ Pythagoreos eorumque instituta & vivendi rationem vellicavit. Fragmenta ex ea nobis servarunt Athenæus VI, 9. XIII, 2. & Laertius lib. VIII. *Pyth.* cujus Eclogam quoque Suidas Πυθαγ. habet: sed quæ Laertius ex Aristophonte, ea Suidas ex Aristophane citat: hic tamen Suidas ex illo corrigendus est, & pro Αριστοφάνης legendum Αριστοφῶν: cum & hoc nominis usitatum fuerit. Aristophonta enim rhetorem laudat Demosthenes *pro Ctesiphonte.*

5. Olymp. CX, 2. defunctum Speusippum excepit Xenocrates, qui scholæ Platonicæ annis XXV præfuit, teste Laertio, lib. IV. *Xenocr.* & Anonymo ad Olymp. citatam. Circa Laertii vero locum citatum nota pro Λυσιμάχου (uti habent editio Stephani & Basileensis, & Codex Regius) legendum esse Λυσιμαχίδου. Lysimachides enim Archonti nomen erat. Latinus interpres more suo ibidem itidem errat, sed facile corrigitur. Patria Xenocrates fuit Chalcedonius, Καρχηδόνιος, *Carthaginensis*, facili librariorum lapsu in Laertianis codicibus dicitur. Similiter dubiam patriam nactus est Thrasymachus ille, qui apud Platonem lib. I. de Rep. in disputatione cum Socrate habita ad incitas redactus subito excandescebat, de quo Arrianus dissert. IV, cap. 5. Themistius orat. I. Hic cum Χαλκηδόνιος *Chalcedonius* itidem esset, ut Plato satis expresse docet: ipse tamen nihilo minus Καρχηδόνιος *Carthaginensis* perperam dicitur Philostrato & interpretibus Juvenalis ad Satyram VII. Neque de ætate ejus

ejus ſatis convenit. Anonymus ad Olymp. XCI, 1. Ξενοκράτης ὁ Φιλόσοφος ἐγεννήθη, *Xenocrates Philoſophus natus eſt.* Mortuus vero eſt anno ætatis LXXXII, juxta Laertium lib. IV. *Xen.* vel LXXXIV juxta Lucianum *Macrobiis.* Quæ ſi vera ſunt, mortuus eſt Xenocrates Olymp. CXI, 3. juxta Laertium: vel Olymp. CXII, 1. juxta Lucianum: falſum autem eſt hoc, quandoquidem, uti initio dicebamus, Xenocrates Olymp. CX, 2. ſcholæ præeſſe cœpit, eamque per annos XXV continuos rexit, mortuus Olymp. CXVI. Poſt confectum bellum Lamiacum vixit, teſte Laertio lib. IV. *Xenocr.* At Lamiacum bellum ſic dictum, quod ad Lamiam (Heracleam male legit Juſtinus XIII, 5, 8) Theſſaliæ oppidum, in quod ſe Antipater receperat, geſtum ſit, cœpit Olymp. CXIII. finitur Olymp. CXIV, 2. Cum itaque poſt hæc tempora Xenocrates vixerit, alterum eorum, quæ prius diximus, erit falſum. Vel enim non erit natus Olymp. XCI vel plures annos vixit, quam ei tribuunt Laertius & Lucianus. Doctiſſimus Meurſius Archont. Athen. III, 9. hos erraſſe in anno ætatis, quo mortuus, aſſignando cenſet, Anonymumque defendit. Nos contra duobus potius, quam uni credendum arbitrantes, Xenocratem non Olymp. XCI ſed XCV natum exiſtimamus, Anonymumque corrigendum. Scripta ejus, propter quæ hic locum meretur, ſunt περὶ μαθητῶν α΄, β΄. περὶ βίων, α΄. περὶ τῶν Παρμενίδου, α΄. Πυθαγόρεια, α΄. περὶ Γεωμετρῶν βιβλία ε΄. *De Diſcipulis, duo. De Vitis, unum. De Parmenidis decretis, unum. Pythagorea, unum. De Geometris, quinque* teſte Laertio lib. IV *Xenocr.* ubi circa numerum verſuum omnium ſcriptorum Xenocratis quantopere interpres erret, jam in *Speuſippus* diximus: cum vero de Speuſippo & Xenocrate Platonicis hoc capite dictum ſit, Platonicorum integram ſucceſſionem hic adjicere lubet:


Socrates
Antisthenes, *a quo Cynici.*
Diogenes
Aristippus *a quo Cyrenaici.*
Phœdo *Eliensis, unde Eliaca Philosophia*
Plistanus
Menedemus Eretriensis : *unde Eretrica Philosophia*
Zeno, *unde Stoici*
Plato *Academiæ primæ & antiquæ princeps*
Speusippus *Olymp. 108. cœpit regere*
Aristoteles *de quo inf.*
Xenocrates *Ol. 110. cœpit præesse.*
Polemon Ol. 116. *cœpit præesse. obiit Ol. CXXVII, 3. juxta Eusebium.*
Crates & Crantor *vivo Polemoni successores fuere, ut adparet.*
Arcesilaus *Academiæ mediæ princeps. Ol. CXXIV a*
Lacydes
Euclides *Megaricus, a quo Megarici Philosophi:*
Eubulides: *Demosthenis magister: a quo Eristici.*
N
N
Alexinus Zenonis adversarius.

a

|

Lacydes
nova sive tertia Academiæ auctor Ol. CXXXIV, 4. per XXVI. annos.

|

Evander
secundum Ciceronem. lib. IV. Ac. Qu. & Diogenem

|

Hegesinus
Laertio vel Hegesilaus *Clementi Strom. 1.*

|

Carneades
Ol. CL. tertiam Academiam auget & restaurat.

|

Clitomachus
Olymp. CLXIII.

|

Philo
Ol. CLXXIII. quartæ Academiæ auctor.

|

Antiochus
Ol. CLXXV. Ciceronis magister, quintæ Academiæ princeps, juxta quosdam.

Sed ad Aristotelem Xenocratis condiscipulum, uti adpellatur Ciceroni lib. I. de Nat. Deorum. Uterque enim Platonem audivit.

Caput XI.

1. Aristoteles de Pythagoreis & aliis egit. 2. de Didascaliis. 3. de Poetis aliquot libros scripsit. 4. de Physicis auctoribus non egit, ut visum Petito. 5. de conviviis philosophorum pluscula. 6. Conviviorum quædam natalitia, quædam anniversaria erant. Peripateticorum succeslio.

I.

Aristoteles, Stagirita, philosophus Platone, si ætatem spectes, inferior: si eruditionem, longe superior, plurima scripsit, quæ ad historiam philosophicam faciunt. Edidit librum περὶ τῶν Πυθαγορείων, teste Laertio lib. V. *Arist.* cujus etiam meminerunt Ælianus *Hist. Var.* lib. II, c. 26. Apollonius *hist. mirab.* 6. Plutarchus lib. I. *de Homero*, apud Agellium lib. IV, c. 11. Simplicius ad lib. II. de cœlo. Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας, inquit Jamblichus lib. de vita Pythag. c. 6. Aristotelem ἐν τῷ Πυθαγορικῷ citat Theo Smyrnæus lib. I. Mathem. c. 5. sed hoc opus omnino intelligit. Credo, ex illo esse libro, quæ ex Aristotele citat Laertius lib. VIII. *Pyth.* de ætate Pythagoræ, & Malchus vita Pyth. ἔλεγε δὲ τινα καὶ μυστικῷ τρόπῳ συμβολικῶς, ἃ δὴ ἐπιπλέον Ἀριστοτέλης ἀνέγραψεν, οἷον, ὅτι τὴν θάλατταν μὲν ἐκάλει εἶναι δάκρυον, τὰς δὲ ἄρκτους Ῥέας χεῖρας, τὴν δὲ Πλειάδα, Μουσῶν λύραν. *Dixit autem quædam mystico modo symbolice, quorum pleraque Aristoteles consignavit, scilicet quod mare dixit esse lachrymam, ursos septentrionales Rheæ manus, Plejada vero Musarum lyram.* Et quæ Hieronymus apologia adversus Rufinum habet. *Illaque ænigmata, quæ diligentissime Aristoteles in suis libris prosequitur: Stateram ne transilias &c.* Philosophiam enim Pythagoricam tradentem, de symbolis quoque Pythagoricis agere oportebat. Scripsit itidem Aristoteles librum unum πρὸς τοὺς Πυθαγορείους, itemque tres libros περὶ τῆς Ἀρχύτας (Pythagoricus hic

hic est) Φιλοσοφίας, unum περὶ τῆς Σπευσίππου καὶ Ξενοκράτους, unum τὰ ἐκ τοῦ τιμαίου, καὶ τῶν Ἀρχυτείων, teste Laertio lib. V.

2. Scripsit quoque Aristoteles librum περὶ διδασκαλιῶν, teste eodem Laertio lib. V, quem etiam subindicat Plutarchus lib. *quod non viv. suc. sec. Epic.* οὕτως ηὔφρανεν Ἐπίκουρον καὶ Μητρόδωρον, ὡς Ἀριστοτέλην καὶ Θεόφραστον, καὶ Ἱερώνυμον καὶ Δικαίαρχον, οἱ περὶ χορῶν λόγοι, καὶ διδασκαλίαι, καὶ τὰ δι' αὐλῶν προβλήματα, καὶ ῥυθμῶν, καὶ ἁρμονίας. *Ita delectavit Epicurum & Metrodorum, ut Aristotelem & Theophrastum, & Hieronymum, & Dicaarchum sermones de choris, & poetarum dramatum historia, & quaestiones de tibiis, numeris & concentu.* Enumerat hic Plutarchus præcipuos Peripateticos cum Aristotele, quod de Musicis scripserint. Id quod ipse alibi quoque lib. *de Musica* fatetur: τῶν Πλατωνικῶν οἱ πλεῖστοι, καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ περιπάτου φιλοσόφων οἱ ἄριστοι, περί τε τῆς ἀρχαίας μουσικῆς συντάξαι ἐσπούδασαν, καὶ περὶ τῆς αὐτῆς γεγεννημένης παραφθορᾶς. *Platonicorum plerique & Peripateticorum optimi, de antiqua musica, & ejus corruptione diligenter scripserunt.* Didascalias nempe inscripsit philosophus commentarium, quo διδασκάλων seu poetarum historiam ad sua usque tempora texuit. Erotianus dum Lexico Hippocr. voce Ἡρακλείης νόσου Aristotelem ἐν τοῖς Κωμικοῖς citat, illam διδασκαλιῶν partem signat, in qua de Comicis egerat Aristoteles. In didascaliis istis Aristoteles poetarum nomina diligenter notavit, ut testis est Harpocration διδάσκαλος· ὅτι ὁ Πεντακλῆς ποιητὴς, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις. Idem Στένελος· ἐν ταῖς διδασκαλίαις εὑρίσκεται ὁ Στένελος τραγῳδίας ποιητής. Scholiastes Aristophanis ad Aves ἀναπέτομαι fol. 605. Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις δύο φασὶ γεγονέναι (κινησίας) Indicavit, quid quisque Poetarum invenerit. Proclus Chrestom. apud Photium Ecl. CCXXXIX τὸν δ' ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης Ἀρίωνα λέγει, ὃς πρῶτος τὸν κύκλικον ἤγαγε χορόν. Alios tamen citat auctores Scholiastes Aristophanis ad Aves fol. 606. Ἀντίπατρος καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι, τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον Λᾶσον τὸν Ἑρμιονέα. Οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον. Δικαίαρχος μὲν ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων. Ἑλλάνικος δ' ἐν τοῖς Κραναϊκοῖς. Porro fabulas singulorum recensuit. Suidas cæterique paroemiographi ὄνου σκία. Ἀριστοτέλης ἐν διδασκαλίαις καὶ δράματός

τινος

τινὸς φέρει ἐπιγραφὴν ὄνυ σκίαν. Scholiastes Aristophanis ad Aves ὀρᾷς, fol. 554. εἴη ἂν ὧν (Φιλοκλῆς) τὸν ἔποπα ἐσκευοποιηκὼς τῇ πανδιονίδι τετραλογία, ἣν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις ἀναγράφει. Atque ex illis didascaliis omnino sunt, quæ habet Scholiastes Aristophanes ad Ranas ἴακχε fol. 231. ἔοικε παρεμφαίνειν, ὅτι ἡδηλιτῶς ἔχοι ... τοῖς ποιηταῖς ἐπὶ γᾶν τῶ καλλίυ τὸτε φησὶν Ἀριστοτέλης, ὅτι σ..ουο ἔδοξε χορηγεῖν τὰ Διονύσια τοῖς τραγῳδοῖς καὶ κωμῳδοῖς. Nisi hæc forte ex libro Aristotelis νικῶν Διονυσιακῶν petita, vel hic liber potius pars διδασκαλιῶν fuit, Tragœdi enim quatuor poematibus certabant, Dionysiis, Lenæis, Panathenæis, Chytris, V. Laert. lib. III. *Plat.* qui hoc διδασκαλιῶν opus Aristoteli Stagiritæ quidem tribuit, sed vereor, ne Aristoteli Grammatico juniori tribui debeat.

3. Edidit Aristoteles libros III *de poetis:* Laertius lib. V. elencho librorum περὶ ποιητῶν α, β', γ', idem lib. VIII *Empedocle.* Ἐν δὲ τῷ περὶ ποιητῶν φησιν, ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος. *Aristoteles in libro de poetis adserit, Homericum Empedoclem, acutumque in dicendo fuisse, translationibus item ac cæteris poeticis figuris usum.* Respexit eo Plutarchus libro *quod non possit suav. vivi sec. Ep.* γράφειν περὶ Ὁμήρυ καὶ Εὐριπίδυ, ὡς Ἀριστοτέλης, καὶ Ἡρακλείδης, καὶ Δικαίαρχος, *de Homero & Euripide scribere, ut Aristoteles, & Heraclides, & Dicæarchus.* Librum hujus operis περὶ ποιητῶν primum citat Laertius lib. III. *Plat.* Διαλόγυς τοίνυν φασὶ πρῶτον γράψαι Ζήνωνα τὸν Ἐλεάτην· Ἀριστοτέλης δὲ ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν, Ἀλεξαμενὸν Στυρέα ἢ Τήϊον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι. *Dialogos primum Zenonem Eleatem scripsisse ferunt: Aristoteles vero de poetis primo, Alexamenum Styreum vel Teium, sicut & Phavorinus in commentariis tradit.* Confer Athenæum lib. XI, c. 15. Librum secundum περὶ ποιητῶν citat Macrobius lib. V, Saturn. c. 18. & de Euripide locum ex illo adfert. Librum tertium nonnulli citari dicunt a Plutarcho lib. *de Homero.* quanquam ibi περὶ ποιητικῆς, non περὶ ποιητῶν legitur. Sed de hoc & aliis Aristotelis libris parte tertia historiæ nostræ Peripateticæ prolixe. *

4. Edi-

* *Nihil autem vidimus præter* primam dissertationem de historia Pe-

4. Edidit quoque secundum Laertium Φυσικῶν κατὰ στοιχεῖον ὀκτὼ πρὸς τοῖς τριάκοντα. Vir doctissimus Sam. Petitus Miscell. IV, 8. sic legendum censet, κατὰ στοιχεῖον κδ' & in hoc opere Aristotelem veterum physicorum secundum 24 Alphabeti litteras sive ordine alphabetico XXIV libris numeratorum scita atque decreta explicasse atque refutasse: & ex eo illa, quæ de Gorgia Xenophane & Zenone Aristotelis nomine circumferuntur, superesse opinatur. Verum notandum (1) Petitum, ut suam tueatur hypothesin, Laertium confidenter quidem corrigere, sed sine addita ratione. (2) Catalogum Laertii non esse tanti, ut fidem mereatur. (3) Merito dubitari, ea quæ de Gorgia, Xenophane & Zenone Aristotelis nomine circumferuntur, Aristotelis sint, nec ne. (4) Libros potius physicos, quam auctores physicos intelligi per illa verba, uti passim Aristoteles citat: ἐν Φυσικοῖς. (5) Casaubonus Græca illa dubia verba sic vertit: *Rerum naturalium ordine litterarum scripti libri XXXVIII.* Addit in margine: *Nihil muto. Laertius tamen scripserat fortasse κατὰ στοιχεῖον κδ' sic in catalogo Theophrasti* Νόμων κατὰ στοιχεῖον κδ'. *Numerorum notas passim esse corruptas, nemo ignorat.* Casaubonus itaque pariter ac Petitus pro λη' legendum censet κδ'. Verum ille non de scriptoribus physicis, sed de rebus naturalibus in iis actum esse indicat, ita ut omnes physici libri XXIV fuerint litteris Alphabeti Græci numerati, qua ratione Homeri Ilias & Odyssea distribuuntur atque citantur. (6) Probat hanc nostram & Casauboni contra Petitum sententiam tandem vetus illa adtitulatio, de qua Cœlius Rhodiginus lib. XVII. Ant. Lect. cap. 17. *Physicorum libri elementa implent omnia. Siquidem octo leguntur de rerum naturalium principiis, de cælo ac mundo quatuor, de generatione & corruptione duo, de meteoris quatuor, de anima historia tres, de animalium motu unus, duo, qui parva (ut modo dicitur) naturalia complectuntur. Huic vero sententiæ vetus suffragatur adtitulatio. In qua more Homerico ita enotabatur librorum ordo: ut physicorum diceretur alpha, qui primus: beta, qui secundus: & deinceps. Quam rationem in moralibus, item est sequutus. Nam ni demutilati forent temporum incuria, ac præcurtati, plenum litterarum numerum in Ethicis, Politicis,*

ripatetica, *capite sequenti §. 1. adlegatam, quam incomparabilis ejus discipulus Marquardus Gudius Hamburgi edidit anno 1652. 4.*

ticis, Oeconomicis agnosceremus. Id ipsum & in Metaphysicis consequeremur, ni pleraque depravasset vetustas.

5. Minime hic præterire debet Aristotelis Συμπόσιον, liber *de conviviis*, laudatus Athenæo XV, 5. Nimirum τοῖς φιλοσόφοις ἐπιμελὲς ἦν, συνάγουσι τοὺς νέους μετ' αὐτῶν πρός τινα τεταγμένον νόμον εὐωχεῖσθαι· τοῦ γοῦν Ξενοκράτους ἐν Ακαδημίᾳ καὶ πάλιν Αριστοτέλους συμποτικοί τινες ἦσαν νόμοι. *Philosophis cura fuit, cum juvenibus ad se vocatis stata quadam lege convivari: cujusmodi leges convivales Xenocrates in Academia & Aristoteles tulerunt*, ut loquitur idem Athenæus V, 2. Numerat Laertius inter Aristotelis libros νόμους συστατικοὺς, sed forte συμποτικοὺς, vel cum Casaubono συνουσιαστικοὺς legendum. Duæ autem olim habebantur cœnæ Athenis, una in Academia, altera in Lyceo, quarum illi Xenocrates, huic Aristoteles leges præscripsit, teste Athenæi loco citato. De utraque cœna loquitur idem Athenæus IV, 6. Habebant singulæ sectæ postea suos conventus, sua convivia. De Platonicorum convivio in Academia, & Aristotelicorum ex Athenæo modo audiebamus: de conventibus Stoicorum Athenis sua ætate loquitur Athenæus V, 1. Πολλῶν εἰσι φιλοσόφων ἐν ἄστει σύνοδοι, τῶν μὲν Διογενιστῶν, τῶν δὲ Αντιπατριστῶν λεγομένων, τῶν δὲ Παναιτιαστῶν. *Multorum philosophorum in urbe sunt conventus, Diogenistarum, Antipatristarum & Panatiastarum.* Non itaque Platonici modo & Aristotelici, sed Stoici etiam suos habuere distinctos conventus. In hisce conviviis non tam corpus cibo & potu, quam animus doctis sermonibus & colloquiis pascebatur & recreabatur. Nota est Timothei, Atheniensium Ducis vox, qui apud Ælianum Hist. Var. II, 18. παραληφθεὶς ὑπὸ Πλάτωνος, εἰς τὸ ἐν Ακαδημίᾳ συμπόσιον, καὶ ἑστιαθεὶς ἀφελῶς ἅμα, καὶ μουσικῶς, ἔφη πρὸς τοὺς οἰκείους ἐπανελθών· Οτι ἄρα οἱ παρὰ Πλάτωνι δειπνοῦντες, καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς διάγουσιν. *Adsumptus a Platone ad convivium academicum, & frugali musicaque cœna exceptus, reversus ad suos dixit: Qui cum Platone cœnant, etiam postero die bene habent.* Erat convivium μέτριον καὶ ἄθρυπτον οὔτε κακουργὸν διὰ πενίαν, οὔτε διὰ πλοῦτον βλακεῦον, ἀλλὰ μέσον, juxta Damascium. Epulæ erant ἕψημα ὄσπρεὶα, φακῆ, λέκιθος, quæ ἔτνους nomine comprehenduntur. Vide Xenophontis, Plutarchi & Athenæi συμπόσια, Gellium XVII, 8. Athenæum XII, 12. Ut peripatetici commodius convivia hujusmodi celebrarent Theophrastus eis pecuniam legavit. Athenæus V, 1. Κατέλιπε δὲ καὶ

Θεό-

Θεόφραςος εἰς τὴν τοιαύτην σύνοδον χρήματα, ὐχ ἵνα ἀκολαςαίνωσι συνιόντες, ἀλλ᾽ ἵνα τὰ κατὰ τὸ συμποσίον λόγυ, σωφρόνως καὶ πεπαιδευμένως διεξάγωσι. *Legavit ad hac conventicula pecuniam Theophrastus, non ut in eo congressu lascive & impudenter proterviant, sed ut quos habent in convivio sermones, temperanter & docte persequantur.* De his quoque conviviis intelligenda illa verba Scholiastæ Theocriti ad Idyll. γ. Στεφάνοις ἐχρῶντο ἐν τοῖς συμποσίοις, ὡς φησιν Αριςοτέλης εὐητηρίαν καὶ ἀφθονίαν αἰνιττόμενοι τρυφῶν.

6. Horum conviviorum quædam erant natalitia & anniversaria, quibus natalem suorum magistrorum celebrabant & memoriam ejus recolebant. Platonis γενέθλια se celebrasse variis sermonibus ultro citroque habitis Plutarchus Sympos. VIII, 1. indicat Τῇ ἕκτῃ τῦ Θαργηλιῶνος ἱςαμένυ τὴν Σωκράτυς ἀγαγόντες γενέθλιον, τῇ ἑβδόμῃ τὴν Πλάτωνος ἤγομεν. *Sexta die mensis Thargelionis cum natalem Socratis diem celebravissem, postridie ejus diei Platonis natalitia egimus.* Longinus Platonis natalem cum aliis philosophis sermone de furtis philosophorum inter cænandum habito celebravit. Ο ἱερὸς Πλάτων, ὗ τὴν ἐπώνυμον ἑορτὴν σήμερον πανηγυρίζομεν, *Sanctus Plato, cujus festum annuum hodie celebramus*, inquit Porphyrius lib. I. φιλολ. ἀκροάσ. apud Eusebium lib. X. præp. Evang. quanquam initio pro πλωτίνεια legendum Πλατώνεια. Loquitur de hoc convivio Marsilius Ficinus argumento in Platonis Symposium. *Plato philosophorum pater, annos unum & octoginta ætatis natus, septimo Novembris die, quo ortus fuerat, discumbens in convivio remotis dapibus exspiravit. Hoc autem convivium, quo & natalitia, & anniversaria Platonis pariter continentur, prisci omnes Platonici, usque ad Plotini & Porphyrii tempora, quot annis instaurabant, post vero Porphyrium mille & ducentos annos, solemnes hæ dapes prætermissæ fuerunt.* Homeri quoque natalis convivio annuo celebrabatur. Thersagoras ad Lucianum Dialogo Demosthenes: ἀωρὶ γάρ τοι τῶν νυκτῶν ἐξαναςὰς ἔδοξέ μοι χρῆναι τοῖς Ομήρυ γενεθλείοις τῆς ποιητικῆς ἀπάρξαθαι. *Intempesta nocte surrexi, & natali Homeri poetica primitias offerendas esse censui.* Virgilii natalem Silius Italicus celebravit, teste Plinio lib. III, ep. 7. Lucani memoriam recoluit Martialis VII, 21, 22, 23. Statius Sylv. II, 7. Epicurus quoque natalem suum quotannis celebrandum testamento sanxit, de quo Laertius lib. X. Respicit huc Cicero lib. II. de Fin. *Quaro*

autem quid sit, quod quum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos tam accurate tamque diligenter caveat, & sanciat, ut Amynomachus & Timocrates haeredes sui, de Hermachi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis mense Gamelione: itemque omnibus mensibus vicesimo die lunae, dent ad eorum epulas, qui una secum philosophati sint, ut & sui & Metrodori memoria colatur. Non est doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis. Plinius XXXV, 2. de eodem: *Natali ejus vicesima luna sacrificant, feriasque omni mense custodiunt, quas Icadas vocant.* Hinc Epicureus ille εἰκαδιστὴς dicitur Athenaeo VII, 13. Hunc ritum natales celebrandi, Christiani imitati natalem sui magistri itidem celebrandum sanxerunt. Sed de illis conviviis scripsisse Aristoteles visus est Athenaeo, quem librum si superstitem nobis tempus reliquisset, eorum conviviorum ritus expositos omnes haberemus.

Sed Peripateticorum in schola Atheniensi successionem ὡς ἐν τύπῳ hanc habe.*

Aristoteles
praefuit Peripato in Lyceo annos XIII. mortuus Olymp. CXIV, 3.

|

Theophrastus
decessit Olymp. CXXIII.

|

Strato
coepit regere scholam Olymp. CXXIII, rexit eam annos XVIII, teste Laertio.

|

Lycon
coepit praeesse Lyceo Olymp.

CXXVI.

* *Confer Patricii Discuss. Peripat. f. 132. seqq.*

CXXVII præfuit ei annos XLII, juxta Laertium.

|

Aristo Ceus
præfuit scholæ Olymp. circiter CXL. Plutarchus lib. de exilio. Cicero lib. V. de Finibus.

|

Critolaus
Olymp. CLVI. Plutarchus l. de Exilio. Clemens lib. 1. Strom.

|

Diodorus
Ol. CLX. Cicero lib. V. de Fin. Clemens loco cit.

|

N

|

N

|

N

|

Andronicus
undecimus ab Aristotele juxta Ammonium floruit Olymp. CLXXX.

CAPVT XII.

1. Undecim Aristoteles alibi omissi hic adducuntur. Eubatas, Eubotas, Eubatus. Laidis patria. 2. De Aristotele Cyrenæorum Rege plufcula. 3. Genus Aristotelis. 4. Batti silphium. 5. Κτίσεων scriptores varii. 6. Aristoteles multarum rerum inventor. 7. Additamenta quædam.

I.

Complures olim exstitisse Aristoteles, dudum ostendi dissertationum nostrarum prima de historia peripatetica, ubi unum & viginti recensui, quos ut hic repetere supervacuum: sic aliis augere non ingratum duco. Idem enim mihi, quod aliis, contingit, ut cum ætate crescat scientia & quod hodie ignotum vel obscurum est, crastina aperiat.

Primus igitur eorum, quos alibi præterii, esto Aristoteles ille, qui Philammona adoptavit, deque ejus genere testatus est ad Olympiam. Non enim cuiquam ignoti vel adulterini generis in certamen descendere licebat. Meminit ejus Themistius orat. I, quæ dicitur βασανιστὴς ἢ φιλόσοφος.

Alter Aristoteles sit ille, qui ex Andocydæ amita filium Charmidem suscepit, de quo Andocydes orat. περὶ μυστηρίων.

Tertius est Rhodius, qui de Panathenæis & Bendidæis scripsit, teste Proclo lib. I. in Timæum Platonis.

Quartus est Aristoteles ille Cyrenæus, cujus meminit ister ἐν τῷ περὶ ἰδιότητος ἄθλων, apud Clementem Alexandrinum lib. III. Strom. Verum quæ Clemens de Aristotele Cyrenæo, eadem de Eubata (*Eubotam* vocat Xenophon lib. I. ἑλλην. Pausanias lib. II. El. *Eubatum* Diodorus Siculus lib. XII, Anonymus Olymp. descr. Olymp. XCIII. & CIV.) Cyrenæo narrat Ælianus Var. Hist. lib. X, cap. IV. Vicit ille Eubotas Stadio Olymp, XCIII, iterumque Olymp. CIV (ἀνολυμπιὰς hæc erat) teste Pausania

Pausania El. II. & Anonymo Olympiadographo. Quamquam hic dubius Eubotam vel Phocidem vicisse scribit. Isthmiacum agona fuisse non male conjicit Faber Agonist. lib. III, cap. 4. quo Eubatus ille sive Aristoteles cum Laide colloquutus fuerit. Lais meretrix illa *Corinthia* dicitur Alexandridi ἐν γεροντομανίᾳ apud Athenæum lib. XIII, cap. 3. Machoni poetæ τῷ τῶν ἑταιρῶν ἀπομνημονεύματα συναγαγόντι apud eundem XIII, 5. Strattidi poetæ apud eundem XIII, 6. ipsi denique Athenæo XIII, 6. *Hyccarensis* erat e Sicilia teste Stephano ὕκκαρον: Polemone lib. VI. τῶν πρὸς Τίμαιον, Nymphodoro Syracusio ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν Σικελίᾳ θαυμαζομένων, & Timæo lib. XIII. historiarum apud Athenæum XIII, 6. Synesio epist. III, Scholiaste Aristoph. ad Plutum fol. XX. *Crastinam* tamen Siculam eam fecit Polemo apud Stephanum Κραστός. *Eucarpiam* alii apud eundem εὐκάρπια. Sed non est, quod de Laidis patria tantopere solliciti simus, Corinthia dicitur, quia Corinthi vixit, ubi Isthmia in Isthmo celebrabantur. Notus est de hac Laide versus:

Non cuivis homini contingit adire Corinthum.

Cum itaque Corinthi Lais vixerit, cum qua Aristoteles loquutus fuisse tempore certaminis dicitur, verisimile est Isthmiaco agone id accidisse. Exstarent *Musæi* περὶ ἰσθμίων libri, quos citat interpres Euripidis ad Medeam, itemque interpres Apollonii ad lib. III. ἄργον. Varinus ἴσθμια: & *Euphorionis* de iisdem libri, quos laudat Athenæus XIV, 8. 9. bis, minime dubitandum nobis esset, quis ille fuerit Aristoteles vel Eubatus. Feci mentionem cujusdam Aristotelis Cyrenæi fol. XIV: diversus ab hoc sit, nec ne, incertum. Sane tempora non omnino repugnant, quo minus idem esse possit, modo id sufficiat.

Quintus est Aristoteles ille Dialecticus, qui ope Diniæ Abantidam interemit; teste Plutarcho vita Arati.

Sextus, Rhodius erat & Rhodiorum legatus, Romanque Romanos placaturus mittebatur Olymp. CLIII, teste Polybio Excerpt. Legat. C.

Septimus est, quem Varro lib. IX. de LL. §. 2. inter eos Grammaticos laudat, qui de verborum similitudinibus scripserunt. Idem autem hic sit cum isto octavo fol. XV. itidem Grammatico, incertum est. Meminit & Gyraldus synt. 7. p. *De Diis* Aristotelis cujusdam Grammatici,

tici, ſed quem ſignet, nondum video. Ariſtotelem quendam de Chriis ſcripſiſſe e Stobæo diſcimus, qui ſerm. XXXVII, XLVIII, CXVII, CCXXIII, CCXXXIII, CCLXVIII. Eclogas inde adfert. Cum vero in hiſce Chriis Zenonis Stoici mentio facta ſit, alius hic erit ab Ariſtotele Stagirita. Idem autem cum Grammatico noſtro nec ne ſit, non liquet.

Octavus, ſit medicus ille apud Cælium Aurelianum Chron. lib. I. c. 5. Idem hic ſit cum viceſimo iſto ſol. XXII pariter incertum. Tribuuntur Stagiritæ a Laertio lib. V. ἰατρικὰ β'. ſed τακτικὰ legi debere, alii monent. Unde conjecturæ inde petendæ lubricæ forent.

Nonus loquitur apud Plutarchum lib. *de facie in Luna* p. Verba ejus, in quibus tres Ariſtoteles memorantur, ecce tibi: καὶ πρὸς Κλέαρχον, ὦ Ἀριςότελες, ὐκ ἀπιθάνως ἐδόκει λέγεσθαι τὸν ὑμέτερον· ὑμέτερος γὰρ ἀνὴρ ὁ Ἀριςοτέλης τῦ παλαιῦ γεγονὼς συνήθης, εἰ καὶ πολλὰ τῦ περιπάτυ παρέτρεψεν. *Et adverſus Clearchum, o Ariſtoteles, veſter non inconvenienter diſſeruiſſe videtur. Veſter enim eſt Ariſtoteles ille, antiqui illius familiaris, licet multa peripatetica philoſophiæ decreta perverterit.* Iterum Ariſtotelem colloquentem introducit Plutarchus libro, *quod non poſſit jucunde vivi ſecundum Epicureos.*

Decimus eſt, cui reſcribunt Diocletianus & Maximianus AA. & CC. lib. XIV. C. de ingenuis manumiſſis.

Undecimus tandem ſit ille Ariſtoteles de Benedictis, nomen fictum: cujus verum nomen Petrus Antonius Spinellus, qui e Societate Jeſu edidit nomina Sanctorum, quæ habentur in Martyrologio Romano. Vide Philippi Alegambe Bibliothecam ſcriptorum ſoc. Jeſu.

Ultimus Stilponis dialogorum Ariſtoteles fuit inſcriptus, teſte Laertio, lib. II. Stilp. quem vero ſignet Ariſtotelem Stilpo, non liquet. A. Licinius Ariſtoteles Melitenſis Cicerone familiariter utebatur, quem vide L. 13. ep. ad fam. 52.

2. Circa nonum Ariſtotelem Cyrenæorum Regem, cum parcior olim fuerim, pleniorem ejus hiſtoriam hic dare volui. Thera inſula eſt maris Ægæi Sporadum una inter Cyrenaicam & Cretam a Membliaro ſocio & conſangvineo Cadmi condita, & prius *Calliſte* dicta: videatur Herodotus lib. IV, Strabo lib. VIII, Stephanus περὶ πόλ.

Καλλίςη

Καλλίστη προπάροιθε, τὸ δὲ ὕστερον οὔνομα Θήρη,

Μήτηρ Εὐίππου πατρίδος ἡμετέρης,

inquit Callimachus apud Strabonem l. ult. Tempus quo condita sit, indicat Eusebius Chron. Μῆλος καὶ Θάσος, καὶ Καλλίστη ἐκτίσθησαν καὶ Πάφος, num. DLXXXIX. Theras autem Autesionis F. (Θήρας ὁ ἀπὸ Ἴωνος corrupte legitur apud Pausaniam *Lacon.* in quibusdam exemplaribus pro Θήρας ὁ Αὐτεσίωνος, uti recte in Messeniacis ejus scriptum est, Romulus Amasæus interpres, priorem locum vertit: *Theras ab Ione oriundus:* posteriorem, *Theras Autesionis filius)* Thebanus ἀπόγονος πέμπτος τοῦ Πολυνείκους τοῦ Οἰδίποδος, teste Pausania *Messen:* nonus à Cadmo, coloniam Laconum & Minyarum e Lemno a Pelasgo ejectorum in eam deduxit, ut auctor est Strabo lib. VIII, Pausanias *Achaic.* Atque ita Callisten insulam de suo nomine Theram adpellavit, teste Strabone loco citato, Pausania *Laconicis:* idque factum uno seculo, priusquam Jones Athenis proficiscerentur, juxta Pausaniam *Ach.* propterea Theræi ad Pausaniæ usque tempora Theræ coloniæ illius conditori quotannis parentaverunt, teste ipso Pausania *Lacon* p. confer Herodotum lib. IV, qui prolixe hæc recenset, & Scaligerum *ad Euseb.* fol. XXXVI. In hac insula Thera post aliquot generationes natus est noster Aristoteles, qui inde *Theraus* dicitur, Tzezæ Chil. VI, Hist. XLVIII, Africano apud Eusebium *Chron.* Dixi eum Battum quoque adpellari: Θηραῖοι Κυρήνην ᾤκισαν κατὰ χρησμόν. Οἰκιστὴς δὲ αὐτῆς Βάττος, ὁ καὶ Ἀριστοτέλης, Eusebius *Chron.* num. MCCLIX, *ad Olymp.* V, 3. quæ verba Hieronymus sic interpretatur: *Therai Cyrenen condiderunt oraculo sic jubente. Conditor urbis Battus cujus proprium nomen Aristoteles.* Africanus quoque apud Eusebium Excerptis num. MCCLIX, sub Thurimante III Macedonum Rege apud Scalig. Thes. Temp. eum nominat. Κατὰ τοῦτον ait Βάττος, ὁ καὶ Ἀριστοτέλης Θηραῖος τὴν Κυρήνην ἔκτισε. Expressam quoque hujus Aristotelis mentionem facit Callimachus hymno II. *in Apollinem* vers. LXXVI, Tzetzes *ad Lycophr.* fol. CXXVIII, & alter Tzetzes Chil. VI, Hist. XLVIII, Scholiastes *Pindari ad Pyth.* od. IV & V, Suidas Σίλφιον. Battorum mentio apud scriptores frequens est. Battus in silicem mutatur, Ovidio Metam. II, 13. Milo & Battus colloquuntur apud Theocritum Idyll. X. Battus Arcesilai discipulus fuit juxta Plutarchum lib. *de discrim. amici & adul.* Battus apud Cæsarem γελωτοποιός notus est ex

eodem Sympos. VIII, 6. Batti Sinopensis meminit Macrobius. Etiam inter Reges Cyrenæorum plures fuere Batti. Noster Aristoteles Polymnesti F. primus Battus inter eos fuit, cui successit filius Arcesilaus, huic Battus Εὐδαίμων, de quo Plutarchus lib. *de virtut. mul. & vita Coriolani* huic Arcesilaus, huic Battus Claudus, & sic deinceps. Quatuor enim Batti, totidemque Arcesilai alterna successione imperio Cyrenæorum præfuere, vide Herodotum lib. IV. & Scholia Pindari *ad Pyth.* od. IV.

3. Genus Aristotelis nostri referunt Poetæ, ad Argonautas Lacedæmonios cum Lemniadibus congressos. Euphemus enim Argonautarum quispiam cum Malache (Lamache apud Tzetzen *ad Lycophr.* dicitur) congressus Leucophanem genuit, a quo Aristoteles ille descendit teste Scholiaste Pind. *ad Pyth.* od. IV. qui ad od. V. genus ejus ad Lacedæmonios porro refert: ἄνωθεν οἱ Βαττιάδαι καὶ Ἀριστοτέλης, Λάκωνες ἦσαν ὅθεν καὶ Τυνδαρίδαι· ἀπὸ γὰρ Λακώνων εἰς Θήραν ἦλθον, ἀπὸ δὲ τῆς Θήρας εἰς Κυρήνην. Unde noster Aristoteles Battus *Lacedæmonius* fuisse dicitur. *Battus Lacedæmonius Olymp. XLV. Cyrenas condidit*, ait Solinus c. XL. *Lacedæmonius* quoque dicitur Anonymo Olymp. ἀναγρ. Ol. XLI. 1. Θήρα ἡ τῶν Κυρηναίων μητρόπολις, ἄποικος Λακεδαιμονίων inquit Strabo, lib. X. Inde & Cyrenæi dicuntur Ἀμυκλαίων γένος ἀνδρῶν, Dionysio perieg. vers. CCXIII. ubi Eustathius notat, Cyrenem a Theræis conditam, qui a Lacedæmoniis descenderant. vide Herodot. loc. cit. *Lacones, a quibus in colonias ducti, Pontici, Bithynii, Troes, Adiani, Cores, Lycii, Pamphilii, Cyrenæi*, inquit auctor Fastorum Siculorum, pag. m. XII. Κυρήνη πόλις ἐστὶ Λιβύης, Λακεδαιμονίων ἄποικος, ait Ulpianus ad Demosth. orat. contra Leptinen. *In Pentapoli Lybia Cyrene posita est, urbs antiqua, sed deserta, quam Spartanus condidit. Battus*, inquit Ammianus Marcell. lib. XXII. *Cyrene, quam Terai Spartanorum coloni condiderunt: malim tamen ejus auctorem Battum*, ait Claudius Barthol. Morisotus histor. orbis maritimi lib. I, c. 43. verum nulla ibi est pugna, nulla contradictio, quam Morisotus metuere possit. Atque hic Aristoteles Cyrenæorum Rex, Battus fuit dictus, vel quod ἰσχνόφωνος fuerit, sive hæsitante lingua. (De ἰσχνοφωνία vide Aristotelem sect. XI, probl. 30. 35. 36. 38. 54. 55. 60. Mercurialem lib. VI. *Var. Lect.* cap. 4. Schottum *comparat. Dem. & Arist.* fol. 33, ubi de ἰσχνοφωνία Demosthenis agit) unde & *Blæsus* dicitur Ovidio in Ibin. V. 170. ubi confer Leopardum Emendat.

dat. III, 11, vel Battus dictus fuit, quod Libyes regem vocant Battum. Utrumque habes apud Tzetzen ad Lycophr. fol. CXXVIII, & Schol. Pindari, ad Pyth. od. IV. Hesych. Βάττοςα & Herodotum, cujus verba adduxi fol. 17. qui tamen posteriorem sententiam probat. Hic Battus Cyrenen Libyæ condidit atque incolis frequentavit, de quod vide Pausan. *Laconicis* Strabonem lib. VII. Plutarchum lib. de Pyth. orac. Meminit hujus quoque rei Ovidius in Ibin.

Conditor ut tarde Blæsus cognomine Myrrha.

Ubi pro *Myrrha* legendum *Cyra* vel *Cyrna*, uti apud Callimachum κυρνῆς pro κυρήνης legitur hymno II. *in Apoll.* Hinc Cyrenæi dicuntur *Battiadæ* Callimacho *hymno in Apollinem.* Cyrene dicitur urbs *Batti*, Silio lib. X. itemque *colonia* Θηραίων Salustio Iugurth. bello. Aliter Servius ad IV. Æn. *Cyrene regina fuit, quæ civitati nomen dedit.* Secundum Stephanum Cyrene dicta est a Cyre fonte, qui e monte Cyra, cujus Iustinus lib. XIII meminit, forte scaturiit.

4. De tempore autem quo Battus noster Cyrenen condiderit, inter auctores non convenit. Eusebius sane non uno loco ejus rei meminit: agit enim de Cyrene ab Aristotele condita, numero Abrahamæo MCCLIX, Olymp. V, 3. ubi omnino Scaligeri animadversiones consulantur: iterum numero MCCCLXXXVI, Olymp. XXXVII, 2. Et Hieronymus *Chronicis Eusebianis* jam ad numerum DCLXXIX de Cyrene condita egerat. Anonymus Olymp. ἀναγρ. Ol. XLI, 1. conditam Cyrenen notat. Solinus c. 40. hoc factum esse statuit Olymp. eadem. Theophrastus lib. VI. *Hist. de plant.* c. 3. Cyrenen suo tempore Simonide Archonte Olymp. CXVII, 2. jam circa trecentos summum annos habitatam fuisse indicat. Hunc Theophrasti locum adducit Plinius, Hist. Nat. XIX, 3. sed mutata numerandi ratione Cyrenarum oppidum conditum esse ait A. U. CXLIII, qui annus urbis respondet anno 3 Olymp. XLII. vide, quæ ad locum illum adfert Meursius, Archont. Athen. IV, 15. ubi in Plinio CXXXVII, pro CXLIII legendum recte censet. Difficultatem reliquam solvet Scaliger notis ad Eusebii loca citata. Cyrenæi, ut pro beneficio beneficium redderent conditori suo Aristoteli, templum ei extruxere, teste Pindaro Pyth. od. V, Herodoto lib. IV, & Callimacho *hymno II in Apoll.* & Silphium ei obtulerunt, quod Battus ille grata men-

 te

te agnoscens, in numismate suo expressit Cyrenæos adferentes silphium, de quo videatur Tzetzes Chil. III. Hist. 110. Chil. VI, Hist. 48. Chil. XVII, Hist. 119. Salmasius *Exercitationibus Plinianis* fol. CCCLIX. nummum exhibet Cyrenæorum. Scaliger Can. Isag. fol. CCXCIV, Tzetzen de numismate redarguit, in quo Cyrenæi Batto Silphium offerentes excusi sint. Verum Tzetzæ sententia minime rejicienda: ex Aristotelis enim de Repub. Cyrenæorum libro eadem refert Scholiastes Aristophanis in Plutum Act. IV, sc. 3. Βάττος Κυρήνην ἔκτισεν ἐλθὼν ἀπὸ Θήρας τῆς κατὰ κρήτην νήσου· ὃν τιμήσαντες Λίβυες ἐχαρίσαντο αὐτῷ τὸ κάλλιστον τῶν λαχάνων τὸ σίλφιον. Καὶ ἐν νομίσματι αὐτὸν ἐχάραξαν τῇ μὲν βασιλείαν, τῇ δὲ σίλφιον παρὰ τῆς πόλεως δεχόμενον, ὡς Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Κυρηναίων πολιτείᾳ. Confer hic doctissimas Iohannis Bodæi a Stapel ad Theophrasti lib. VI, c. 3. de plantis notas: ortum vero hinc est proverbium, *Batti Silphium* de iis, qui summos honores consequuntur, sed vide & alios de hoc Silphio: Hesychium, Synesium, epistola 133. Suidam, Mich. Apostolium in Βάττου σίλφιον, & σίλφιον Βάττου, Phavorinum Βάττος, Salmasium, Exercit. Plin. fol. CCCLII, CCCLVIII. Ioh. Rhodium notis ad Scribonium fol. CXXVI, CXXVII.

5. De condita vero Cyrene, quæ etiam πεντάπολις dicta est, plura dici possent, si exstarent auctores, qui de origine urbium & populorum scripserunt, quos tangit Maussacus ad Plutarchi lib. de flum. in Arari. Ejusmodi fuit Aristo Chius, cujus Κτίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων citat Schol. Aristoph. Νεφέλ. Schol. Apollonii & Phavorinus ψαμμίτυχον, in quibus duobus posterioribus locis Κτίσεις pro Θέσεις recte legit Rutgersius, Var. Lect. lib. IV, cap. 18. Aristoteli Κτίσεις tribuit Plutarchus lib. *quod non viv. juc. sec. Epic.* quas tamen a nemine alias ei tribui observamus, nisi forte Aristo Ceus intelligendus. Apollonius Rhodius itidem Κτίσεις scripsit. Ἀπολλώνιος Καύνῳ, ait Parthenius c. 1. Ἐρωτ. citatur nimirum Καύνου Κτίσεις, uti ibidem c. 11 titulus exstat. Callimachum quoque de urbium origine scripsisse testatur Suidas. Charon Lampsacenus *Herodoto ætate prior*, teste Plutarcho περὶ Ἡροδ. Κακ. Tertulliano de anima c. 46. Origines urbium duobus libris complexus est, teste eodem Suida. Clitophon ἐν ιγ΄ κτίσεων laudatur Plutarcho de fluviis in Arari. Demosthenis Byzantii κτίσεις citat Stephanus Ὀλιζών. Dercyllus itidem κτίσεις scripsit, teste Plutarcho. Diocles Peparethius περὶ

περὶ κτίσεως Ῥώμης scripsit, teste Plutarcho, *Rom.* & Festo *Roma.* Dionysius Chalcidensis origines civitatum V libris tradidit. *Primum* ejus operis librum citat Schol. Apoll. IV ἄργον, confer eundem ad 1. ἄργον: vers. MXXIV, Plutarchus περὶ Ἡροδ. Κακ. Ephorum quoque περὶ κτίσεων, diligenter scripsisse laudat Polybius apud Strabonem, lib. X. Hellanici de origine gentium & urbium conditoribus libri, citantur Athenæo & Stephano. Heraclidis κτίσεις citat Clem. Alex. *protrep.* Plutarchi περὶ πόλεων κτίσεων catalogo librorum exhibet Lamprias filius. Trisimachum ἐν τρίτῳ κτίσεων citat Plutarchus *parall. min.* modo sana est scriptura. Xenophanes *de Colophonis origine & de Colonia in Eleam Italiæ* scripsit, teste Laertio lib. IX. *Xenophane:* quia vero Aristoteles postea Battus dictus est, Calliste Thera, & Cyrene Pentapolis apud Eustathium ad Dionysium versu CCXIII. hinc illi quoque nobis profuissent, qui de mutatione nominum, personarum & locorum scripsere, ut Archemachus & Leander Nicanor.

6. Conferri hic quoque potuissent, qui de Coloniis, inprimis autem qui de Cyrenaicis scripsere. Sed ad alia, ubi prius indicavero, Poetas hanc de Aristotele Cyrenes conditore historiam variis figmentis involvisse, & quæ de Aristæo antiquo illo tradita erant, eorum nonnulla ad hunc Aristotelem adplicasse. Fingunt enim Aristotelem nostrum, quem Aristæum vocant Cyrenes, & Apollinis filium esse, cui multarum rerum inventionem tribuunt. Exstarent auctores, qui de inventis scripsere, Scamon, Cydippus Mantinensis, Antiphanes, Aristodemus, Aristoteles, Philostephanus, Strato peripateticus, Heraclides Ponticus, Ephorus, Theophrastus, Philochorus, & sic porro; haberem & hic, ex quibus oratio nostra inlustraretur. *Aristæus Apollinis & Cyrenes F. præparandi Silphii & mellis modum invenit*, inquit Schol. Aristoph. ad Equites, Act. II, sc. 4. Verum Silphium paullo ante Cyrenam conditam est inventum, anno nimirum septimo, testibus Theophrasto & Plinio. *Mellis* inventionem etiam Aristæo tribuit, Athanasius oratione contra gentes. Plinius XIV, 4. *Olivæ* Cicero lib. 3. de natura Deorum; istum autem Aristæum Chii pro Deo coluere, quem & Jovem & Apollinem sunt arbitrati, teste Athenagora *Apol. pro Christ.* Plura non addo: videantur de Aristæo & Aristotele præter eos, quos fol. XVIII adduxi, Pindarus Pyth. od. IX, ejusque Scholiastes, Callimachus *hymno in lavacrum Palladis* vers. CVIII, Sallustii

lustii fragmentum apud Servium, auctor de mirabilibus auscultationibus, qui vulgo Aristoteles creditur, Diodorus Siculus, lib. IV. Biblioth. cap. 8; Columella, præfat. librorum de R. R. Probus ad Georgica Virgilii, Nonnus Dionys. lib. V (ubi Aristæus venator, apiarius, olearius & opilio fuisse dicitur) & XIII, Scholiastes Apoll. ad II, ἄγρον & sic porro.

7. Ad Aristotelem XXI moneri debuisset, fuisse eum Bononiensem & quidem e familia Albertorum, teste Leandro Alberto Bononiense ejusdem familiæ descript. Italiæ fol. CCCXXIX, vel auctioris editionis anni MDLXXXI. fol. CCCXXXVI, Hieronymo Bardo ætate mundi sexta, sub anno MCCCCLXVII. De eodem Beroaldus ad Suetonii Vespasianum cap. 18. *Non diu est, quod Aristoteles civis noster, Mechanicus longe omnium præstantissimus, turrim ex sua sede movit, motamque arte mechanica in alium haud longe dissitum locum transportavit. Non est mendacio locus, cum adhuc supersint, qui videre.* Matthias Palmerius Chronicis ad A. C. MCCCCLV idem tradit: *Aristoteles Bononiensis Architectura insignis habetur, qui lapideas turres integras inlæsas subjectis fundamento lapidibus ad alium traduxit locum.*

Ubi de decimo quarto Aristotele ago, verba sic legi debent: *Missus vero rogatu Cassandri in Lemnum, ut Lemnios in Seleucum & Ptolemæum Cassandro confœderatos ab Antipatro deficere cogeret*, *a Dioscoride* & sic porro. Atque hæc παρέργως occasione Aristotelis dicta sint, quæ rectius in historia peripatetica legi debebant. Sed in viam.

CAPUT XIII.

1. Cephisodorus Platonis & Aristotelis reprehensionem scripsit. Varii Cephisodori. 2. Antipater inter plurimas, quas reliquit epistolas, unam scripserat de morte Aristotelis. 3. Antipatri varii. Vossius notatur. 4. Eubulides Aristotelis & Diogenis Cynici vitia notavit.

1. Aristo-

I.

ARistotelis ætate celebris erat Cephisodorus Atheniensis, Isocratis discipulus & ipse rhetor, qui Platonem & Aristotelem reprehendit. De Platone extat locus apud Dionysium Halicarn. *epist. ad Pompejum*. Καὶ γὰρ τὰ δόγματα διέβαλον αὐτοῦ τινες, καὶ τοὺς λόγους ἐμέμψαντο. Πρῶτον μὲν ὁ γνησιώτατος αὐτοῦ μαθητὴς Ἀριστοτέλης, ἔπειτα οἱ περὶ Κηφισόδωρόν τε καὶ Θεόπομπον, καὶ Ζωίλον, καὶ Ἱπποδάμαντα, καὶ Δημήτριον, καὶ ἄλλοι συχνοὶ, οὐ διὰ φθόνον, ἢ διὰ φιλαπεχθημοσύνην κωμῳδοῦντες, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν ἐξετάζοντες. Τοσούτοις δὴ καὶ τηλικούτοις ἀνδράσι παραδείγμασι χρώμενος, κ. λ. *Dogmata & sermones ejus* (Platonis) *quidam reprehendunt. Primum quidem maxime genuinus ejus discipulus Aristoteles: postea Cephisodorus, Theopompus, Zoilus, Hippodamas, Demetrius, & alii multi, non quidem ex invidia aut odio eum traducentes, sed veritatis investigandæ causa inquirentes. Tantos igitur atque hujusmodi viros tanquam exemplum intuens ego* & sic porro. Scripsit quoque contra Aristotelem singulari opere, quo præceptoris sui defensionem contra Aristotelem suscepit, & hujus vitia exposuit. Dionysius Halicarnass. *Isocrate.* μὴ δ᾽ ὅτι δεσμὰς πάνυ πολλὰς δικανικῶν λόγων Ἰσοκρατείων περιφέρεσθαί φησιν, ὑπὸ τῶν βιβλιοπωλῶν Ἀριστοτέλης. Ἐπίσαμαι γὰρ ταῦτα ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων λεγόμενα· καὶ οὔτε Ἀριστοτέλει πείθομαι, ῥυπαίνειν τὸν ἄνδρα βουλομένῳ, ἱκανὸν δὲ ἡγησάμενος εἶναι τῆς ἀληθείας βεβαιωτὴν τὸν Ἀθηναῖον Κηφισόδωρον, ὃς καὶ συνεβίωσεν Ἰσοκράτει, καὶ γνησιώτατος ἀκουστὴς ἐγένετο, καὶ τὴν ἀπολογίαν τὴν πάνυ θαυμαστὴν ἐν ταῖς πρὸς Ἀριστοτέλη ἀντιγραφαῖς ἐποιήσατο. *Neque ignoro, quod fasciculos multos judicialium orationum Isocratis a bibliopolis circumferri dicit Aristoteles. Etsi enim hæc ab illis viris dici scio: tamen neque Aristoteli credo, qui huic viro sordium maculam adspergere vult, sed idoneum veritatis adprobatorem ratus Atheniensem Cephisodorum, qui & familiariter cum Isocrate vixit, & auditor ejus maxime germanus fuit, & præceptoris adversus Aristotelis criminationes defensionem illam prorsus mirabilem edidit.* Athenæus lib. VIII, c. 13. ubi de Epicuri conviciis in Aristotelem egisset, addit: οἶδα δὲ ὅτι ταῦτα μόνος Ἐπίκουρος εἴρηκεν κατ᾽ αὐτοῦ, οὔτε δὲ Εὐβουλίδης, ἀλλὰ οὔτε Κηφισόδωρος τοιοῦτόν τι ἐτόλμησεν εἰπεῖν κατὰ τοῦ Σταγειρίτου, καί τοι καὶ συγγράμματα ἐκδόντες κατὰ τοῦ ἀνδρός. *Ea solum Epicurum de Aristo-*

Aristotele memoria commendasse novi, nec Eubuliden aut Cephisodorum ejusmodi quidpiam ausum fuisse de Stagirita publicare, quamvis adversus illum libros ediderint. Librorum numerum indicat Athenæus, II, 19. Κηφισόδωρος (non Κηφισόδοτος ut vulgo legitur) ὁ Ισοκράτους μαθητὴς ἐν τοῖς κατὰ Αριστοτέλους, τέσσαρα δ' ἐςὶ ταῦτα βιβλία, ἐπιτιμᾶ τῷ Φιλοσόφῳ, ὡς οὐ ποιήσαντι λόγου ἄξιον τὸ παροιμίας ἀθροῖσαι. *Cephisodorus Isocratis discipulus, libris contra Aristotelem, quorum quatuor sunt, reprehendit Philosophum, quod conligendo parœmias operæ pretium non fecerit.* Verum Cephisodori judicium improbat Athenæus. Tertium ejus operis citat idem lib. III, c. 34, & inde probat apud optimos quosque scriptores etiam unum vel alterum minus commode dictum observari. Hos libros respexit Aristocles lib. VII. de philosophia apud Eusebium lib. XV. de præp. Evang. cap. πῶς γάρ. Ηλίθια διαβέβληκεν αὐτὸν καὶ Κηφισόδωρος ὁ Ισοκράτους μαθητὴς, τρυφερὸν καὶ τένθην καὶ ἄλλα τοιαῦτα λέγων αὐτὸν εἶναι. *Temere quoque eum insectatur Cephisodorus, Isocratis discipulus, tanquam luxui deditum & liguritorem; & alia hujusmodi ei tribuit.* Quod si hi Cephisodori libri superstites forent, vitiorum Aristotelis historia augeri posset. Agit de hoc Cephisodoro Dionysius Halic. *Isæo*, ubi cum aliis Isocratis discipulis & imitatoribus Theodecte, Theopompo, Naucrate, Ephoro & Philisto eum recenset. Iterum ejus meminit epistola ad Ammæum. Distinguendi ab hoc sunt Cephisodorus ille equitum magister, qui cum Gryllo Xenophontis F. in pugna ad Mantineam Olymp. CIV, 2. cecidit, teste Laertio lib. II *Xenoph.* Suida Κηφισ. Cephisodorus item ἄρχων Olymp. CIII, 3. & alter ἄρχων Olymp. CXIV, 2. de quibus Meursius *Archontibus*. Quartus Cephisodorus Comicus, cujus Athenæus XI, 1. & alibi meminit: idem forte & Tragicus ille apud Suidam Κηφ. Quintus Thebanus scriptor, e quo Polydori Medici cum Antipatro cænati mentionem facit Carystius Pergamenus apud Athenæum XII, 12. Forte hic est ille Cephisodorus, qui belli Phocici, sive sacri scripsit historiam, de quo Eustrathius in Ethica Aristot. III, 8.

2. Circa eadem hæc tempora & paullo post florebat Antipater, Iolai F. ἐκ ποτιδαίας, non παλιούρας, ut male Suidas ἀντίπατρος habet Potidæates, Macedo, Aristotelis discipulus, *qui duos epistolarum libros* reliquit. Cicero lib. II. de Offic. *Extant epistolæ & Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Cassandrum, & Antigoni ad Philippum trium prudentiu-*

dentissimorum. Ad hunc Antipatrum epistolas novem scripsisse Aristotelem, memorat Laertius, lib. V. *Aristot.* Earundem meminit Demetrius libro de Elecutione, Aristocles lib. VII de philosophia apud Eusebium, lib. XV de præp. Evang. c. 1. Photius Patriarcha Constantinopolitanus epistola CCVII, quæ est ad Amphilochium Metropolitam Cyzicenum. Ex Andronici philosophi libro exemplar utriusque Alexandri & Aristotelis litterarum, profert Gellius Noct. Attic. XX, 5. confer Plutarchum *Alexandro*. Artemon Aristotelis epistolas conlegit teste Demetrio lib. de elocutione. Eas ad Olympianum se misisse dicit Gregorius Nazianzenus epist. CLXV. Alexandri M. epistolas ad Antipatrum aliquoties memorat Plutarchus *Alexandro*. Laertius VI *Diog.* Nimirum epistolarum usus inter inlustres & eruditos tum temporis frequens erat. Philippi ad Aristotelem litteras exhibet Gellius, IX, 3. Alexandri Magni epistolarum meminit Athenagoras Apol. pro Christianis. Plutarchus *Alexandro* Pollux Onom. VI, 12. Laertius lib. VI. *Diog.* Augustinus de Civ. Dei, VIII, 27. XII, 10. Exstat epistola Alexandri Magni ad Aristotelem de mirabilibus Indiæ, & altera ad Dindymum Regem Brachmanaorum Manuscripta, Oxoniæ in bibl. colleg. corporis Christi. Ibidem quoque in bibl. collegii æneonasensis posterior illarum, nimirum ad Dindymum de rebus ad philosophiam pertinentibus adservatur. Sed fidem istis epistolis habeas cave. Crateri Alexandri Magni comitis epistolam laudat Strabo lib. XV. Hippolochi & Lyncei, Athenæus lib. IV, c. 1. & sic porro. Verum inter Antipatri illas epistolas una fuit, qua mortem Aristotelis ipse exposuerat. Plutarchus vita Coriolani: Ἀντίπατρος μὲν οὖν ἐν ἐπιστολῇ τινι γράφων περὶ τῆς Ἀριστοτέλους τοῦ φιλοσόφου τελευτῆς, πρὸς τοῖς ἄλλοις φησιν ὁ ἀνὴρ καὶ τὸ πείθειν εἶχε. *Antipater igitur epistola quadam de Aristotelis morte, inter cætera, inquit, persvadendi vi præditus fuit.* Indidem sunt, quæ tradit Plutarchus *Catone Majore:* Μέγα γὰρ καὶ Ἀριστοτέλει τῷ φιλοσόφῳ τοῦτο προσεμαρτύρησεν Ἀντίπατρος, γράφων περὶ αὐτοῦ μετὰ τὴν τελευτὴν, ὅτι πρὸς τοῖς ἄλλοις ὁ ἀνὴρ καὶ τὸ πιθανὸν εἶχεν. *Insignem hanc Aristoteli quoque philosopho tribuit Antipater laudem, scribens de eo jam defuncto, inter cætera eum vi persvadendi præditum fuisse.*

3. Sed plures fuere Antipatri. Antipater Tarsensis Stoicus, circa Olymp. CLVI floruit, qui Carneadem Academicum Olymp. CLXII, 4. mortuum, qui, cum coram congredi non audebat, scriptis oppugnabat & laces-

lacessebat, unde καλαμοβοάς, h. e. *clamosus stylo*, dictus est, teste Plutarcho lib. de garrulitate. adde Ciceronem lib. I. Academicorum ad Varronem apud Nonium *digladiari* & lib. IV Acad. Quæst. Præceptorem habuit Diogenem Babylonium Stoicum juxta Ciceronem lib. III de officiis. Magister fuit Panætii illius Stoici celeberrimi, teste Cicerone lib. I. de divinat. & C. Blossii Cumani philosophi Tiberio Graccho æqualis, apud Ciceronem *Lælio* & Plutarchum *Graccho*. Rejecit λόγους μονολημμάτους, teste Sexto Empirico lib. II Pyrrh. hypoth. idemque respicit Varro apud Nonium *Rutrum*, ubi δι' ἑνὸς λήμματος λόγοι dicuntur. Circa eadem hæc tempora & paullo post florebat Antipater Sidonius poeta, cujus epigramma in Zenonem Cittiea citat Laertius, lib. VII *Zen.* quem Vossius libro de natura logicæ cap. 8. §. 18, cum priore eundem habuisse videtur, dum hunc Diogenis Babylonii discipulum fuisse adserit, quod de priore alii adfirmant. Neque tempora prorsus repugnant illi sententiæ: & hic quod Zenonem laudet, Stoicus videri posset. Sed distinctos eos habere malim cum Vossio eodem lib. III de Hist. Græc. quamquam & ibidem sibi contradicit, & quos distinguit, simul confundit.* Omnino alius est, qui seculo circiter post vixit, Antipater Tyrius, itidem Stoicus, quem Athenis *nuper* mortuum fuisse scribit Cicero lib. II de officiis. At scripsit Cicero libros illos de officiis, cum filius ejus Athenis operam litteris daret: post reditum e cursu Archaico, teste epistola XIII ad Atticum lib. XV hoc est est, A. U. DCCIX Olymp. CLXXXIV. Vixisse igitur hunc existimamus Olymp. CLXXX. De L. Cælio Antipatro vide Vossium lib. I de Hist. Lat. c. 8. Laudat Antipatrum ὀνειροκριτικῶν auctorem Artemidorus Daldianus: Antipatrum medicum methodicum Galenus lib. I Met. Med. c. 7. Auctor libri, qui *Medicus* inscribitur. Antipatrum Thessalonicensem Poetam sub Augusto Anthologia & Stobæus. Antipatrum Grammaticum forte, qui Laso Cyclici chori inventionem tribuit, Scholiastes Aristophanis ὄρνισι f. 606.

4. Eubu-

* *Potuisset etiam Antipater Tarsensis, philosophus, historiæ philosophicæ conducere libro, quem Plutarcho teste de Rep. Stoicorum p. 1034. A.* περὶ τῆς Κλεάνθους καὶ Χρυσίππου διαφορᾶς, de Cleanthis & Chrysippi discordia inscripsit.

4. Eubulides, Milesius, discipulus Euclidis, præceptor Alexini, Dialecticus Plutarcho L. de X Rhet. in Demost. & Athenæo X, 10. idque ob eam rationem, quod plurimos Dialecticos interrogandi modos tradiderit, ψευδόμενον, διαλανθάνοντα, ἠλέκτραν, ἐγκεκαλυμμένον, σωρείτην, κερατίνην, φαλακρόν. Verum a conviciandi libidine ὑβριστικὸς, Comico illi dicitur apud Laertium L. II. *Euclide* Aristotelem plurimis oneravit convitiis. Εὐβουλίδης καὶ πρὸς Ἀριστοτέλην διεφέρετο, καὶ πολλὰ αὐτὸν διαβέβληκε, ait Laertius loco citato. Athenæus VIII, 13. ubi Epicuri ista in Aristotelem convitia tradidit, miratur in hoc mentiendi temeritatem, quod talia de Aristotele scribere ausus fuerit; cum Eubulides & Cephisodorus diligentissimi vitiorum Aristotelis indagatores atque scriptores ista ignorent. Aristocles lib. VII de Philos. apud Eusebium lib. XV de præpar. Evang. de Aristotele nonnullas Eubulidis criminationes adfert: Εὐβουλίδης προδήλως ἐν τῷ κατ' αὐτοῦ βιβλίῳ ψεύδεται· πρῶτον μὲν ποιήματα ψυχρὰ προσφερόμενος, ὡς γεγραφότων ἄλλων περὶ τοῦ γάμου, καὶ τῆς πρὸς Ἑρμείαν οἰκειότητος αὐτῷ γεγονυίας. Ἔπειτα Φιλίππῳ φάσκων αὐτὸν προσκόψαι καὶ τελευτῶντι Πλάτωνι μὴ παραγενέσθαι, τά τε βιβλία αὐτοῦ διαφθεῖραι. Sed de singulis hisce quid habendum sit, alibi docemus. De Diogene quoque Cynico librum scripsit, ejusque ut videtur, vitia notavit. Laertius lib. VI. Diog. Εὐβουλίδης ἐν τῷ περὶ Διογένους, αὐτὸν Διογένη φησὶ τοῦτο πρᾶξαι καὶ συναλᾶσθαι τῷ πατρί. De Socrate item egit, ut ex Laertii lib. II. *Socr.* constat.

CAPUT XIV.

1. Alexander Magnus etiam κτίστης cognominatur: & Ptolemæus Lagi Soter. 2. Theophrastus varie nostram historiam auxit, ut & 3. 4. Aristoxenus, qui de viris inlustribus Pythagora, Archyta, Hippone, Xenophilo scripsit. 5. Nomina Pythagoreorum & Pythagorearum recensentur. 6. 7. De pluribus egit Aristoxenus: de Teleste, Socrate, Platone, Heraclide, Lycurgo, Xenocrate. 8. 9. de Praxidamantiis Aristoxeni, sententia Reinesii examinatur. Praxidamas Musicus fuit, uti & Aristoxenus, cujus varii Musici libri, alii Aristoxeno nostro homonymi.

1.

OLympiade CXIII, 4. mortuus est Alexander Magnus, qui etiam ὁ κτίστης *conditor* cognominatur Africano & Eusebio, auctori item Excerptorum Barbaro-Latinorum in thesauro temporum inlustris Scaligeri, fol. LVIII, ubi *Alexander Macedo & conditor:* & fol. LXIII, ubi *Alexander conditor* dicitur. Sed neque solus eo cognomine adpellatur, quod Mithridati cuidam etiam tribui, docet Lucianus *Macrobiis:* Μιθριδάτης ὁ Πόντου βασιλεὺς, ὁ προσαγορευθεὶς κτίστης, *Mithridates Ponti Rex cognomine Ctistes.* Et Thracum quædam gens dicebatur Ctistæ, auctore Strabone lib. VII. Successit Alexandro in Ægypto Ptolemæus Lagi filius, cognomine *Soter* dictus, uti eum adpellat Laertius lib. II *Diod. & Stilp.* lib. V. *Dem.* Josephus lib. XII *Antiqu. Jud.* cap. 1. Athenæus IV, 21. Hesychius catalogo doctorum in Στίλπων. Inscriptio illa apud Gruterum folio CMXVIII. Africanus in *Thesauro Scaligeri* folio CCCLXXVI. Gotfridus Viterbiensis *Chron.* parte XI, fol. CCXXXIV. Dicitur tamen etiam Laertio Ptolemæus Lagi lib. II *Aristippo* aliisque itemque Ptolemæus primus, Suidæ Ζηνόδοτος.

2. Sub

2. Sub hoc Ptolemæo floruit Theophrastus Peripateticus, Aristotelis Olymp. CXIV, 3. defuncti in schola Atheniensi successor, patria Eresius (non Ιρέσιος, uti legitur in illa inscriptione apud Gruterum folio CCCXXVI, & Goltzium) qui multa scripsit, quæ huc spectant, teste elencho librorum ejus apud Laertium lib. V, quem peculiari libello inlustravit Meursius, ita tamen, ut posteris & hic spicilegium reliquerit, quod aliquando daturi essemus, si per negotia liceret. Laudat ibi Laertius περὶ βίων, α′, β′, γ′, *tres libros de Vitis*, e quibus ea hausit, * quæ vita Lycurgi, Solonis, Periclis, Alcibiadis, Aristidis, Lysandri, Niciæ, Agesilai & Demosthenis e Theophrasto citat Plutarchus. Scripsit itidem περὶ σοφῶν α′, *de sapientibus unum*, περὶ Δημοκρίτου α′, *de Democrito unum*: sed de philosophia potius, & decretis Democriti, quam de ejus vita hoc opere actum fuisse arbitror, uti ** περὶ τῶν Αναξαγόρου α′, περὶ τῶν Αναξιμένους α′, περὶ τῶν Αρχελάου α′, *de dogmatibus seu decretis Anaximenis*, *** *Anaxagoræ & Archelai singulis libris* egit. Simplicius ad Phys. comment. I. Theophrastum ἐν τῷ περὶ Αναξαγόρου δευτέρῳ *libro secundo de Anaxagora* citat, unde Laertii catalogus de mendo suspectus videtur. Sed conjungit Laertius πρὸς Αναξαγόραν α′, περὶ τῶν Αναξαγόρου α′. unde non male Meursius conjicit, posteriorem hic a Simplicio librum intelligi. Non prætermitti hic debet ejus περὶ Μουσικῶν, *de Musicis*, liber singularis.

3. Theophrasto commode jungitur Aristoxenus æmulus, de quo Suidas Αριστόξενος· Ακουστὴς τοῦτε πατρὸς καὶ Λαμπροῦ τοῦ Ερυθραίου, εἶτα Ξενοφίλου, τοῦ Πυθαγορείου, καὶ τέλος Αριστοτέλους· εἰς ὃν ἀποθανόντα ὕβρισε, διότι κατέλιπε τῆς σχολῆς διάδοχον Θεόφραστον, αὐτοῦ δόξαν μεγάλην ἐν τοῖς ἀκροαταῖς τοῦ Αριστοτέλους ἔχοντος. *Auditor*

fuit

* *ut quidem Noster cum Meursio conjicit in schediasmate suo, quod* Theophrastum *inscripsit.*

** περὶ τῆς Δημοκρίτου Αστρολογίας α′, *de ejusdem Astrologia libro singulari.*

*** *Quod de Lampsaceno Ionsius exposuit in indice litt. A. Ego Milesium potius intelligo, omnes etiam ex Ionica secta hoc ordine successerunt:* Anaximenes *Milesius*, Anaxagoras, Archelaus, *quorum videlicet dogmata Theophrastus hoc libro explicare voluit. Confer Laert. in proem §. 14.*

fuit patris, & Lampri Erythræi, postea Xenophili Pythagorei, & postremo Aristotelis, cui defuncto, turpiter maledixit, quod Theophrastum scholæ successorem constituerit, cum ipse inter Aristotelis discipulos emineret. Plurima scripsit, teste eodem Suida, l. c. συνετάξατο δὲ μυσικά τε καὶ φιλόσοφα, καὶ ἱστορίας, καὶ παντὸς εἴδους, καὶ παιδείας, καὶ ἀριθμοῦ αὐτοῦ τὰ βιβλία εἰς υνγ. *Composuit, Musica, Philosophica, Historias & omnigena eruditionis libros, numero MMMMLIII.* Inprimis vero hic locum sibi vendicat, quod βίους ἀνδρῶν ἔγραψεν, ut ait Plutarchus, lib. quod non possit suav. vi sec. Ep. sive, *de Vitis Doctorum* opusculum aliquod reliquit, Laudat id præ cæteris Hieronymus, præfat. L. de script. Eccles. cujus verba liceat adponere: *Hortaris, Dexter, ut Tranquillum sequens, Ecclesiasticos Scriptores in ordinem digeram, & quod ille in enumerandis gentilium litterarum viris fecit inlustribus, id ego in nostris faciam, id est, ut a passione Christi usque ad decimum quartum Theodosii Imperatoris annum, omnes qui de scripturis sanctis memoriæ aliquid prodiderunt, tibi breviter exponam. Fecerunt quidem hoc idem apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, & longe omnium doctissimus Aristoxenus Musicus: apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.* In hoc τῶν βίων opere, omnino fuit vita Pythagoræ, quam ab Aristoxeno scriptam esse, multis testimoniis probari posset, quæ maximam partem adfert Meursius, notis ad Aristoxenum. Egit ibi de patria Pythagoræ, ut constat ex Laertio, lib. VIII Pyth. Clemente Alex. lib. I Strom. Theodoreto Serm. I. θεραπ. cujus hæc sunt verba: Τὸν δὲ Πυθαγόραν Ἀριστόξενος, καὶ Ἀρίσταρχος, καὶ Θεόπομπος, Τυῤῥηνὸν εἶναί φασιν, ὁ δὲ Νεάνθης Τύριον ὀνομάζει. *Pythagoram Aristoxenus, & Aristarchus, & Theopompus Tyrrhenum esse dicunt, Neanthes vero Tyrium eum adpellat.*

4. Hunc locum respexit Eusebius lib. X præp. Evang. ubi de patria Pythagoræ diversa agit. Egit ibi de præceptoribus Pythagoræ, teste Laertio, lib. VIII *Pyth.* Φησὶ δὲ καὶ Ἀριστόξενος, τὰ πλεῖστα τῶν ἠθικῶν δογμάτων λαβεῖν τὸν Πυθαγόραν παρὰ Θεμιστοκλείας τῆς ἀδελφῆς. *Refert Aristoxenus, plurima Ethicorum dogmatum Pythagoram a sorore sua Themistoclea accepisse.* Egit de vita Pythagoræ, quod videlicet οὐκ ἀπείχετο ἐμψύχων, *non abstinuit ab animatis*, ut de Pythagora ex Aristoxeno loquitur Athenæus, lib. X, c. 4. pulcher hanc in rem locus est Gellii IV, 11. *Aristoxenus Musicus, vir litterarum veterum diligentissimus,*

Aristo-

Aristotelis Philosophi auditor, in libro, quem de Pythagora reliquit, nullo sæpius legumento Pythagoram dicit usum, quam fabis, quoniam is cibus & subduceret sensim alvum, & levigaret. Verba ista Aristoxeni subscripsi. Πυθαγόρας δὲ τῶν ὀσπρίων μάλιστα τὸν κύαμον ἐδοκίμασε, λίαν κινητικόν τε γὰρ εἶναι, καὶ διαφορητικόν. Διὸ καὶ μάλιστα κέχρηται αὐτῷ. *Porculis quoque minusculis & hædis tenerioribus victitasse, idem Aristoxenus refert.* Hactenus Gellius. Laertius idem ex Aristoxeno adfert lib. VIII. *Pythag.* addit tamen, ab esu bovis aratoris & arietis dehortatum esse suos Pythagoram. Quamquam cæteri omnes, præter Aristoxenum, animatis Pythagoram & Pythagoreos abstinuisse unanimi consensu probant. Panem cum melle Pythagoricorum cibum esse, ex Aristoxeno refert Athenæus, II, 7. Res quoque a Pythagora gestas & facta memorabilia recensuit Aristoxenus. Sic Laertius lib. I *Pheret.* auctor est Aristoxenum, ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ, tradere Pherecydem a Pythagora in Delo esse sepultum. adde Malchum sive Porphyrium, vita Pythagoræ, cap. 33. ubi in illis verbis Ἀριστόξενος ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικοῦ βίου pro Πυθαγορικοῦ lege Πυθαγόρου. Neque de Pythagora modo, sed de Pythagoreis quoque egit. Horsum faciunt illa Laertii modo citata verba: Ἀριστόξενος ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρου καὶ τῶν γνωρίμων αὐτοῦ. Apud eundem lib. VIII *Pyth.* Aristoxenus scribit, se postremos Pythagoreorum hos vidisse: Xenophilum Chalcidensem, Thracem, (non *ex Thuria* ut Ambrosius habet) Phantonem Phliasium, Echecratem, Dioclem & Polymnastum, itidem Phliasios. *Archytæ* Pythagorici vitam ab Aristoxeno descriptam laudat Athenæus XII, 12. & Laertius lib. VIII *Arch.* ubi de eo refert, quod fuerit & Hestiæi filius, & in præliis nunquam victus. *Hipponis* itidem Pythagorei vitam ab eo expositam esse colligimus ex Censorini de die natali c. 5. *Xenophili* vitam laudat Lucianus *Longævis* & Valerius Maximus lib. VIII, c. 13. ext. 3. ubi natu grandem eum fuisse ex Aristoxeno probant.

5. Pythagoricas quoque sententias libris minimum quatuor est complexus, ut indicat Stobæus serm. LXXVII de *lib. par. honor.* Nobis rudera historiæ Pythagoreæ ab Aristoxeno nostro plene descriptæ, iterum aliquando colligentibus, hæc occurrebant in antiquis Pythagoreorum & Pythagorearum nomina: Acrion, Æschylus poeta, Alcmæon, Crotoniata, Alexicrates, Amyclas, Anaxilaus Larissæus, Androcydes, Apollonius Tyaneus, Archestratus, Archippus, Archytas Tarentinus, Arignote,

Arignote, Arignotus, Aristoxenus Tarentinus, Athamas, Bolus Mendesius, Cercops, Chrysanthius, Clinias, Crito, Cronius, Damo, Damon, Demaratus, Diochætes, Diodorus Aspendius, Diophantus, Diothogenes, Dius, Echecrates, Ecphantus, Empedocles Agrigentinus, Epicharmus Cous, Euphranor, Eryphamus, Eurytus, Euxitheus, Euxenus Heracleota, Hierocles, Hipparchus, Hippasus Metapontinus, Hippo Samius, Hippodamus, Hippomedon Ægeus, Jamblichus Chalcidensis Syrus, Ibycus, Lycon, Lysis, Lysiades (forte Lysis,) Mamercus, Melissa, Metopus Metapontinus, Milo Crotoniata, Moderatus, Mya, Nearchus, Nigidius Figulus, Numenius, Obsis, Ocellus Lucanus, Oecetes, Onatus, Oreštades, Parmeniscus, Peryctione, Philo, Philolaus Crotoniates, Pindarus, Plato, Polus, Ptolemæus Philadelphus philosophus, Pythias, Secundus, Sextus, Syllus, Theages, Theano, Theodotus, Thymaridas Tarentinus, Timæus Locrus, Vatinius, Xenophilus Chalcidensis,* Zaratas, plura nomina suggeret Jamblichus.**

6. Scripsit tamen & aliorum doctorum vitam *Telesta* (non Corinthiorum illius Regis, apud Eusebium, Chron. num. MCCCCXV. sed) Selinuntii Dithyrambici, Athenæo XIV, 1. 5. Plutarcho *Alex. M.* Diodoro Siculo, XIV, 47. ad Olymp. XCV, 3. Plinio XXXV, 10. memorati vitam ab eodem esse memoriæ traditam, constat ex Apollonii histor. mirab. 40. *Socratis* quoque vitam litteris mandavit, unde Archelai physici παιδικὰ fuisse & pecuniæ comparandæ studuisse Socratem, probat Laertius lib. II *Socr.* Neque aliunde est, quod de duabus Socratis uxoribus ex Aristoxeno tradit Athenæus, XIII, 1. & Plutarchus *Aristide*, ubi præter alios Aristotelem quoque περὶ ἐυγενείας libro, illarum meminisse, uterque scribit: hic tamen addit: εἰ δὴ τὸ περὶ ἐυγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριστοτέλους θετέον, *si Librum de Nobilitate inter genuinos Aristotelis libros referre licet:* eandem quoque Socratis vitam memorat Cyrillus, lib. VI adversus Julianum ex Porphyrio: quanquam in verbis illis: λέγει δὲ ὁ Ἀριστοξένος ἀφηγούμενος, τὸν βίον τοῦ Σωκράτους ἀκηκοέναι Πινθάρου τὰ περὶ αὐτοῦ, pro Πινθάρου legendum est Σπινθάρου, & simul inde corrigenda Auberti versio Latina, sic enim Laertio

* *Xuthus.*

** *quorum adducit CCXIIX. cap. XXXVI. Confer & incomparabilem I. A. Fabricium in Bibliotheca Græca, L. II, c. 13.*

Laertio lib. II. *Socr.* & Sexto Empir. contra Mathem. c. 22. dicitur Ἀριστόξενος ὁ Σπινθάρου. Suidas Spintharum Aristoxeni patrem & præceptorem facit in Ἀριστόξ. Atque eum credo esse Spintharum Tarentinum illum, cujus Plutarchus libro *de Genio Socratis* meminit, quod de Epaminonda sic judicaverit, *neminem se sua ætatis nosse, qui plura nosset & pauciora loqueretur.* Spintharus Corinthius Delphici templi Architectus memoratur apud Pausaniam *Phoc.* Spintharus quidam Eubuli filius apud Demosthenem orat. contra Cononem & Dionysium περὶ Δημοσθένους δεινότητος, Plutarchum lib. de X Rhet. *Isæo.* Eubulus Spinthari F. apud Photium Ecl. CCLXIV. *qui Athenis in via ad Academiam sepultus est,* teste Pausania Atticis. Spinthari an Dionysii Methameni Parthenopæus fuerit, dubitatum fuisse indicat Diogenes Laertius lib. V. *Heracl.* & lib. VII *Zen.* sed hæc obiter, ne Spinthari nomen fictum habeatur. Socratis vitam ab Aristoxeno scriptam præterea citat Theodoretus θεραπ. l. XII. & Synesius *Encomio Calvit.* quæ duo saltem loca Meursius adfert, ut probet Socratis vitam ab Aristoxeno esse scriptam.

7. De *Platone* quoque egit. Aristoxenus ἐν Πλάτωνος βίῳ Aristotelem quemdam παιδοτρίβην memoravit, teste Laertio lib. V. *Aristot.* Platonem ter militasse inde probat Laertius lib. III. *Plat.* Inde exteros quosdam Platoni peregrinanti peripatum contrarium erexisse citat, idque nonnullos perperam Aristoteli tribuere, statuit Aristocles lib. VII. de philosophia apud Eusebium de præp. Evang. XV, 1. Forte etiam de *Heraclide Pontico* ibi egit: quandoquidem tragœdias illum scripsisse, Thespidisque nomine inscripsisse, Aristoxeni testimonio probat Laertius lib. V. Heracl. De *Lycurgo* ex Aristoxeno Plutarchus *Lycurgo* citat, eum in Creta esse mortuum, ejusque sepulchrum ibidem ostendi. Hoc autem libro id ab Aristoxeno esse traditum, an in ὑπομνήμασιν ἱστορικοῖς, uti conjicit Meursius, incertum est. *Xenocratem* quemdam musicum memorat Aristoxenus apud Laertium lib. IV. Xen. Historiam quoque Pythagoricam inlustrare voluit Pythagoricis apophthegmatis a se conlectis, quæ citat Stobæus serm. X, XLI, LXXVII, XCIX.

8. *Praxidamantia* Aristoxeni laudat Harpocration in Μουσαῖος. Περὶ δὲ Μουσαίου Ἀριστόξενος ἐν τοῖς Πραξιδαμαντίοις φησὶν, ὅτι οἱ μὲν ἐκ Θρᾴκης εἰρήκασι τὸν ἄνδρα εἶναι, οἱ δὲ αὐτόχθονα ἐξ Ἐλευσῖνος. Hinc Cl. Reinesius in Variis I, 11. Praxidamanta Pythagoreum elicit, cujus vitam ab Aristoxeno descriptam citet Harpocration. Verum quod pace do-

ctissimi hujus viri dixerim, Praxidamanta Pythagoreum ignorat antiquitas: notus autem est Praxidamas Musicus e Suida Χιάζειν. Πραξιδάμας Δημόκριτον τὸν Χῖον, καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον, πρώτους ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν, ὡς Ισοκράτης ἐν τοῖς πρὸς εἰδοθέαν, ὡς παρ' Ἀριστοφάνει τεταγμένον. Ὑποτείνει δὲ τις αὐτὸν βωμολογεῦσαι, αὐτὸς δείξας ἐν ἁρμονίαις χιάζων, ἢ σιφνιάζων. Confer Pollucem, lib. IV, c. 9. §. 4. ubi tamen Φιλοξένου perperam legitur pro Θεοξενίδου. Unde conligimus Praxidamanta librum de poetis, & de arte poetica, vel de musicis scripsisse. Democritus enim Chius musicus fuit tempore Democriti Abderitæ Physici. Laertius lib. IX. *Democrit.* γεγόνασι δὲ Δημόκριτοι ἕξ· πρῶτος, αὐτὸς οὗτος· δεύτερος, Χῖος, μουσικὸς, κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον. *Sex autem fuere Democriti: Primus, hic ipse: secundus, Chius, musicus, eodem tempore.* Ejusdem Democriti Chii meminit Aristoteles lib. III. Rhetor. c. 9. ubi scomma ejus in Melanippidem poetam profert. De Theoxenide Siphnio nihil dum præter citata loca observavi. Theoxenum Pindari ερώμενον sive amasium novimus ex Athenæo XIII, 8. Hesychio *Pind.* Suida *Pind.* Valerio Maximo, Quintil. Nolim tamen hunc in Theoxenida mutare. Itemque Theoxenum historicum qui narravit Anacharsin Scytham e Barbaris solum esse initiatum, memorat Lucianus Scytha: nisi forte hic cum priore idem est, cum docti doctos frequenter habuerint amasios. Theoxenias ille quem Reinesius Var. Lect. II, 6. Plinianis codicibus restituisse vult videri, minus huc pertinet. De musico illo Democrito Chio & Theoxenide Siphnio poeta, egit noster Praxidamas. Neque facile hujus Praxidamantis nomen alibi quis observabit.

9. Praxidamanta quendam Æginetam, qui cæstibus Olymp. LIX. vicit, ejusque e cupresso columnam laudat Pausanias *Eliac poster.* a quo noster Praxidamas omnino diversus est, quippe qui vixit inter utriusque Democriti & Aristoxeni tempora, hoc est, tempore Platonis Olymp. C. Scripsit de musicis vel poetis, teste Isocrate quodam apud Suidam. Audivimus quoque ex Plutarcho Platonicorum plurimos & Peripateticorum optimos de musicis scripsisse, quod de Theophrasto, Demetrio, Heraclide, Peripateticis vel solus probat Laertius lib. V. Aristoxenus, qui itidem Peripateticus fuit. teste Stephano Τάρας & Suida Ἀριστόξ. Aristotelis & Theophrasti quibuscum vivebat exemplo, varia de musicis opuscula reliquit. Hinc propter peritiam musicam κατ' ἐξοχὴν *Musicus* dicitur, apud Lu-

Lucianum *de Parasito* (ubi Nelei parasitum eum fuisse tradit) Quintilianum *Instit. Orat.* lib. I, c. 16, Gellum lib. IV, cap. 11, Athenæum lib. XII, cap. 12, Eusebium *Chronicis ad Olymp.* XXIX, 2. (error hic est in annis, ab aliis dudum notatus) Apollonium *histor. mirab.* XL, Hieronymum *præfat. lib. de Scriptor. Ecclesiast.* aliosque. Opus ejus περὶ Τραγῳδοποιῶν *de Tragœdiarum poetis*, pluribus constitit libris, quorum primum citat Ammonius de differentia verborum in ῥύεσθαι: forte ex hoc potius opere sunt, quæ de Heraclide proxime dixi. Scripsit περὶ αὐλητῶν *de tibicinibus*, teste Athenæo lib. XIV, cap. 8. inde omnino sunt, quæ de Antigenide Thebano tibicine ex Aristoxeno citat Tatianus *contra Gentes*. Et quoniam in eodem opere de tibiis & reliquis instrumentis musicis eum egisse ex Athenæi loco citato constat, inde quoque desumpta arbitror, quæ Athenæus lib. IV, c. 23 & 25, ex Aristoxeno habet. Scripsit περὶ Τραγικῆς ὀρχήσεως, *de Tragica saltatione*, aliquot libros: unde sunt, quæ Athenæus lib. I, c. 17. & 19. & lib. XIV, c. 7. ex Aristoxene adducit. Scripsit quoque περὶ Μουσικῆς, *de Musica* aliquot libros. E quibus sunt illa, quæ de Musicis adducit Athenæus lib. XI, c. 5. de Magodis & Lysiodis, lib. XIV, c. 4. de Hyagnide Phrygio lib. XIV, c. 5. & de hexametris versibus repertis lib. XIV, c. 9. de Laso musico antiquo, Laertius lib. I. *Thal.* de Olympo musico Plutarchus lib. *de Mus.* de rhytmis Marius Victorinus lib. I. artis Gramm. Hinc itaque probabili conjectura conligimus per Praxidamantia Aristoxeni intelligendum librum ejus, quem imitatione Praxidamantis de musicis antiquis scripsit & per Praxidamantia Aristoxeni, non Pythagoricorum numerum apud Jamblichum, sed Musicorum apud Meursium. Proleg. not. ad Aristox. ἁρμον. στοιχ. augendum esse. Aristoxeni τὰ σποράδην ad Mysonis sapientis vitam exponendam Laertius lib. I. adhibet. Sed de Aristoxeno consulendus est Meursius loco citato, Vossius de hist. Græc. lib. I, c. 9. Distinguendus autem est Aristoxenus Musicus noster, ab Aristoxeno Selinuntio, poeta antiquo ante Epicharmi tempora: & Aristoxeno patria & philosophia Cyrenæo, apud Athenæum lib. I, c. 7. & Suidam Ἀριστοξ. & Aristoxeno medico Herophileo, juxta Galenum lib. IV. de differ. pulsf. c. 7. cujus librum XIII. citat idem ibidem cap. X. ubi Alexandri Philalethis discipulus fuisse dicitur.

Caput XV.

1. Eudemus Rhodius mathematicam historiam auxit. 2. Æmulatio discipulorum Aristotelis multos Aristotelicos libros peperit. Ab hoc Ethica Eudemia adpellata. Gelliani codices corriguntur. 3. 4. Varii Eudemi. Eudemus & Euthydemus nomina facile permutantur. Petitus super Eudemiorum adpellatione improbatur. Plinii & Juliani errores circa Erasistratum notantur. Eudemus Medicus variis notis ostenditur: Medici Dogmatici, Empirici, Methodici. Varii Eudemi Medici recensentur. 5. Phanias de poetis, Socraticis. Socratici nominantur. Phanias junior cum nostro confunditur a Vossio.

I.

Eadem ætate florebat alter ille Theophrasti æmulus Eudemus, Rhodius, auditor & discipulus Aristotelis, juxta Simplicium ad lib. I. *Φυσ. ἀκροάσ.* comment. 12. adeoque inter incertæ ætatis scriptores, ut Cl. Vossio placet, lib. III. de Hist. Gr. minime reponendus. Æmulatione condiscipuli Theophrasti, cui *ἀστρολογικῆς ἱστορίας δ'* & *ἀριθμητικῶν ἱστοριῶν ά* Laertius lib. V. tribuit, Eudemus hic *ἱστορίαν περὶ τῶν ἀστρολογουμένων* scripsit, juxta Laertium lib. I. *Thal.* vel *ἀστρολογικὰς ἱστορίας*, juxta Clementem, lib. I. Strom. quo opere Astrologorum vitas & inventa, ipsiusque Astrologiæ ortum & progressum tradidit. Inde sunt, quæ de Thalete habent Laertius & Clemens, locis citatis, quod primus astrologiæ secreta sit rimatus, & eclipsin futuram prædixerit. Ejusdem meminit & Simplicius ad lib. II. de cœlo comment. 46. Propter hunc librum inter scriptores historiæ philosophicæ recensetur, cum historia astrologica pars sit historiæ philosophicæ, sicut astrologia est philosophia quædam Theoretica. Aristoteles lib. IV. Metaph. c. 2. *Τοσ-αῦτα*

αὐτὰ μέρη φιλοσοφίας ἐςὶν, ὅσαιπερ αἱ ὐσίαι. *Tot sunt philosophiæ partes, quot sunt substantiæ.* Atqui astrologia etiam agit de substantia quadam naturali mobili, sed incorruptibili, scilicet cœlo, teste philosopho nostro, lib. XII. Metaph. c. 8. Τὸ δὲ πλῆθος ἤδη τῶν φορῶν ἐκ τῆς οἰκειοτάτης φιλοσοφίας τῶν μαθηματικῶν ἐπιςημῶν δεῖ σκοπεῖν, ἐκ τῆς ἀςρολογίας· αὕτη γὰρ περὶ ὐσίας αἰσθητῆς μὲν, ἀιδίυ δὲ ποιεῖται τὴν θεωρίαν. Αἱ δ᾽ ἄλλαι περὶ ὐδεμιᾶς ὐσίας οἷον ἥτε περὶ τὺς ἀριθμὺς καὶ τὴν γεωμετρίαν. Hinc lib. VI. Metaph. c. 1. τρεῖς εἰσι φιλοσοφίαι θεωρητικαί· μαθηματικὴ, φυσικὴ, θεολογικὴ, & lib. XI, c. 7. τρία γένη τῶν θεωρητικῶν ἐπιςημῶν ἐςι· φυσικὴ, μαθηματικὴ, θεολογικὴ, ubi utrobique per Mathematicam intelligit Astrologiam, ut ita astrologia sit philosophia quædam (ut modum loquendi antiquis consvetum servem) & historia astrologica sit historia philosophica & scriptores historiæ astrologorum optime hic enumerari possint. Geometricas historias hujus Eudemi laudat Simplicius ad lib. I. φυσ. ἀκροασ. comment. XII. Ejus lib. I. φυσικῶν ibidem comm. XXVI, & lib. II. comm. I. adde & comment. XLV, ubi *Rhodius* dicitur, lib. III, comm. XXVIII, ubi secundus φυσικῶν lib. VI comm. CXVI, ubi tertius φυσικῶν citatur.

2. Idem hic Eudemus, ut & Theophrastus atque Phanias, ad magistri æmulationem, Categorias, libros de interpretatione, & Analytica scripserunt: unde est, quod Ptolemæus Philadelphus, qui Aristotelis libros undique conquirendos curabat, in bibliotheca sua Alexandrina XL libros Analyticorum & II Categoriarum habuerit, e quibus quatuor illos, quibus utimur, Analyticorum & unum illum de Categoriis, genuinos Aristotelis libros interpretes judicaverint, ut auctor est Ammonius præfat. Categ. Hunc intelligit Boethius lib. I. de syllogismis hypotheticis ad Symmachum, ubi Aristotelem, Theophrastum & Eudemum, de illis nihil aut parum tradidisse scribit. Hic est, quem de Sophisticis Elenchis scripsisse indicat Galenus, lib. de Sophism. c. 3. Hic omnino est, a quo Ethica Eudemia, quæ alias Aristoteli tribuuntur, adpellationem habent, sive ipse eorum auctor sit, sive ei Aristoteles ista dedicaverit, quorum tamen prius mihi adparet verisimilius. In Veneto quodam Codice antiquo Latino Aristotelis Ethicorum Eudemiorum hæc est inscriptio: *Leonardi Aretini, viri doctissimi & oratoris clarissimi liber de moribus, admodum utilis & necessarius ad Galeotum virum egregium, quem traduxit de Græco in Latinum ex Dialogo principis philosophorum Aristotelis, ad Eudemum* ami-

amicum suum. Liber autem ille Aretini διαλογιςικῶς scriptus, conloquentes habet Aretinum & Marcellinum, neque lectu inutilis est. Hunc Peripateticum Eudemum cum Aristotele & Theophrasto citat omnino Galenus lib. *qua a Iuliano in Hipp. aph. dicta sunt, cap. 5.* Eudemus quidam Rhodius ante Panætium, Stratonicum, & Andronicum Peripateticum vixit, teste Strabone lib. XIV, qui a nostro minime est diversus. Sunt qui hunc Eudemum eumdem esse credant cum Menedemo illo Rhodio, Theophrasti æmulo apud Gellium, XIII, 5. & hunc ex Strabone esse corrigendum. Cui sententiæ refragari nolim, cum Menedemi inter discipulos Aristotelis nullum alias sit nomen; Eudemus vero Theophrasti familiaris passim prædicetur. Hujus, credo, vitam Damas ille scripsit apud Simplicium lib. VI. comment. physic. præfat. Ex Eudemo quodam Rhodio, Magorum sententiam de hominum futura resurrectione & immortalitate citat Laertius præfat. Verum ut Aristotelem de Magis scripsisse idem Laertius docet; si hunc Eudemum cum priore eumdem existimare, non fuerit absonum. Neque alius est, ut opinor, Eudemus ille, qui *de animalibus* scripsit, teste Apuleio *Apologia*, & Æliano, hist. anim. III, 20. 21. IV, 8. 45. 53. 56. V, 7. Apostolio cent. XII, proverb. 9. Fratrem hic Eudemus habuit Bonneum, itidem Rhodium, cujus filio Pasicrati Alpha minus Aristotelis Metaphysicorum tributum a quibusdam fuisse, e Johanne Philopono cognoscimus.

3. Multi autem fuerunt Eudemi hic recensendi. Eudemum quendam Agatharchi excellentis illius pictoris apud Plinium, Hist. Nat. XXXV, 11, & Plutarchum *Pericle* memorati patrem laudat Harpocration Ἀγάθ. Eudemus Olymp. CVI, 4. Athenis Archon fuit, (Prætorem diceret Cicero lib. I. de fin. lib. V. ep. ad Att. 11. quamquam voce *Archon* quoque utitur lib. de Fato. Magistratum verteret Seneca ep. 18. Plinius Hist. Nat. III, 5. XXXIII, 7.) teste Diodoro Siculo, lib. XVI. Bibl, c. 31. Dionysio Halic. *Dinarcho*: apud quem epistola ad Ammæum *Theodemus* corrupte legitur. Anonymus Olymp. ἀναγρ. Olymp. CVI, 4. Theodemum secundum alios Euthydemum dici indicat, ut ita *Eudemus* in *Euthydemus* mutandum sit. Similis error occurrit apud Athenæum, qui II, 18. III, 2. Euthydemum Atheniensem περὶ λαχάνων scripsisse monet, sed lib. IX, c. 2. Eudemus Atheniensis περὶ λαχάνων bis citatur, qui locus omnino ex prioribus est corrigendus: Archonti isti Eudemo vel rectius Euthydemo Aristotelem Ethica, quæ dicuntur Eudemia inscripsisse, fru-

stra

ſtra opinatur Petitus, Miſcell. IV, 10. Sed *forte* addit, neque id certum adfirmare audet. Eudemus Cyprius, *Ariſtotelis familiaris*, teſte Cicerone lib. de divinat. quinto poſt trucidatum Alexandrum Pheræorum tyrannum anno mortuus eſt, in cujus defuncti honorem Ariſtoteles Dialogum, qui inſcribebatur Εὔδημος ἢ περὶ ψυχῆς compoſuit, teſte Plutarcho vita Dionis & conſolat. ad Apollonium. Meminit ejusdem dialogi Eudemi Scholiaſtes ad Platonis Phœdonem, & fragmentum Elegiorum Ariſtotelis.

4. Eudemus quidam, Rhodius Olymp. CXL. ſub Antiocho M. vixit, teſte Polybio Excerpt. Legat. XXI. Eudemus Philotimus, & Herophilus, Medici, tempore Eraſiſtrati vixerunt, teſte Galeno comm. in Hippocr. Aphor. I. Et lib. I. Meth. med. c. 3. Philotimum Herophili Dialectici Medici condiſcipulum facit ſub præceptore Praxagora. De ætate eorum non eſt, quod magnopere laboremus, cum Eraſiſtratus Medicus, Ariſtotelis Stagiritæ e filia nepos, Chryſippi Medici diſcipulus, & Stratonis Medici præceptor, vixerit temporibus *Ptolemæi Philadelphi*, teſte Euſebio in Chronicis: & *Antiochi Soteris Philometoris*, quem amore Stratonices novercæ ægrum deprehendit & ſanavit. Vide Plinium XXIX, 1. Senecam lib. VI. Epit. Declam. Controv. 7. Plutarchum *Demetrio*: Appianum *Syr.* Valerium Maximum V, 7. Galenum lib. de præcogn. ad Poſthumum cap. 6. Lucianum *quomodo hiſtoria ſit ſcribenda & de Syria Dea*. Euſebium lib. I. Chron. ſub Seleuco Nicanore. Julianum Μισοπ. Suidam Ἐρασ. Codinum de orig. Conſtantinopolit. Errat in nomine Eraſiſtrati Plinius, VII, 37. In patria Iulianus μισοπ. ubi Samium adpellat, qui Ceus erat. In ætate vero Plinius lib. XIV, c. 7, ubi circiter DC annum urbis Romæ Eraſiſtratus vixiſſe dicitur, qui circiter CCCCL. A. U. vixiſſe rectius diceretur, cui Eraſiſtrato & Eudemo cum Ariſtoteles ille junior Ariſtotelis Stagiritæ e filia itidem nepos σύγχρονος fuerit, ab hoc juniore Ariſtotele *Ethica ad Eudemum* noſtrum, & poſtea dialogum *de anima* ſcripta eſſe, quibusdam videri poſſent, qui fidem Ciceroni de Alexandro Pheræo habere nolint. Eudemus Antiochi illius Philometoris Theriacam ita dictam & Plinio XX, 24. notam verſibus conſcripſit, teſte Galeno, lib. II, de Antid. cap. 14. (CIV) ſed videtur idem eſſe cum priore, cum coævi fuerint & Medici. Idem, puto, eſt ille, cujus Diſcorides Ἀναζ. meminit, libro Ther. cap. I. Eudemus & Herophilus velut perfecti Anatomici. Cratevas vero & Dioſcorides velut medicamentorum metallicorum peritiſſimi laudantur Galeno,

leno, comm. 1. in libr. Hippocr. de nat. hum. §. 6. Sed paullo post priscos Medicos: Dioclem, Praxagoram, Erasistratum, Plistonicum, Philotimum, Dieuchen, Chrysippum, Antigenem, Medium, Euryphrona, opponit recentioribus Medicis anatomicis: Herophilo & Eudemo, quos nullus ad tempora usque Marini & Numesiani æqualis sui sequutus sit, qui illorum inventis quidquam addiderit. Iterum lib. an sanguis in act. nat. contin. cap. 8. Hippocrate, Praxagora, Philotimo, Diocle, Plistonico, posteriorem esse Herophilum indicat. Unde Eudemum & Herophilum anatomicos diversos facere ab illis, qui Erasistrato & Philotimo supra æquales dicebantur, Galenus videtur, sed videtur saltem. Eosdem anatomicos Eudemum & Herophilum, laudat idem Galenus lib. III. de loc. aff. cap. 10. quod primi post Hippocratem nervorum anatomen accurate scribentes, non mediocrem medicis dubitandi occasionem præbuerint. Erroris tamen in anatomia artuum eum arguit Galenus, lib. III. de usu partium cap. 8. Philotimum, Herophilum, Eudemum & Erasistratum, ut coævos laudat Galenus comm. VI. in Hippocr. aphorismos §. 1. Eudemus quidam orator Megapolitanus, Philopœmenis Ducis præceptor, apud Plutarchum *Philopœm.* memoratur. Eudemus Milesiorum legatus, ad Ptolemæum Philometora Ægypti Regem Olymp. CLII, 3. mittitur, teste Polybio Ecl. legat. LXXXI. Eudemus medicus methodicus memoratur a Galeno lib. I. Meth. Med. c. 7. ubi hi recensentur methodici: Themison, Thessalus, Proculus Rheginus, Antipater Eudemus, Mnaseas, Philo, Dionysius, Menemachus, Olympicus, Apollonides Cyprius Olympici discipulus, Soranus, Iulianus Galeno æqualis & Apollonidis Cyprii discipulus. Auctor libri, qui Medicus inscribitur, & in Galeni operibus exstat, postquam Logicæ sectæ medicos, Hippocratem Coum, Dioclem Carystium, Pragoram Coum, Herophilum Chalcedonium, Erasistratum Ceum, Mnesitheum Atheniensem, Asclepiadem Bithynum: & post ea Empiricos enumeraverat, addit Themisonem Laodicenum, Syrum, relicto Asclepiade, methodicam introduxisse sectam, quam Thessalus Trallianus post absolverit, quem sequuti: Mnaseas, Dionyeus, Proclus, Antipater, Olympicus Milesius, Menemachus Aphrodiseus, Soranus Ephesius. Verum Asclepiades ille Pompeji M. ævo florebat juxta Plinium XXVI, 3. & Suidam Ἀσκληπ. cujus auditor Themison fuit, ut ex Plinio XXIX, 1. & Galeno constat. *Themison nuper*, ait Celsus III, 4. fuit

fuit paullo ante Thessalum, teste Cælio Aurel. Chronion V, 1. Citat eum Plinius, qui sub Vespasiano teste ipso II, 7. & præfatione: & anno a Virgilii morte nonagesimo, teste ipso XIV, 1. floruit. Citat eum quoque Iuvenalis Plinio æqualis. Thessalus Themisonis discipulus sub Nerone floruit, teste Plinio XXIX, 1. & Galeno lib. I. Meth. Med. cap. 2. Illius autem Themisonis (non alterius Themisonis medici, quem servum suum adpellat Apulejus *Apologia*) sectator fuit Eudemus methodicus noster, teste Galeno supra, & Cælio Aureliano lib. II. acut. morb. c. 38. Eudemus Liviæ Drusi a Sejano corruptæ medicus & ipse ejusdem criminis reus sub Tiberio floruit, de quo Plinius XXIX, 1. Tacitus lib. IV. Annalium. Idem hic sit cum priore Methodico, non facile adfirmaverim, licet tempora non repugnent. Eudemus senex, medicus Pergamenus laudatur Galeno lib. VI. Meth. Med. c. 6. Forte hic est Eudemus ille senior, cujus pastillum describit idem lib. IX. de compos. Medic. sec. loca cap. V. §. 2. Eudemus quidam philosophus Peripateticus cum Alexandro Damasceno præceptore suo Athenis postea Peripateticæ philosophiæ professore, Romæ multas anatomias a Galeno coram Flavio Boetho & Claudio Severo utriusque Coss. Peripateticis administratas vidit initio Imperii M. Antonini, teste Galeno lib. I. de anat. admin. c. 1. lib. de prævogn. ad Posth. cap. 2. 5. Idem opinor, est Eudemus ille Peripateticus, cui anno ætatis LXIII. quartana laboranti Galenus Romæ initio principatus M. Antonini summa pariter felicitate & laude pristinam restituit sanitatem. Vide eum lib. de prævogn. ad Posth. cap. 2. & 3. & comment. II. in lib. Hippocr. de victus rat. in morb. ac §. 29. Eudemus rhetor, præter alia quoque Lexicon aliquod scripsit, quo rhetores cæterique docti non sine fructu usi sunt, teste Suida Εὔδημος. Eudemum quendam nominat Lucianus *Lexiphane*. Eudemus Patarenus Concilio Niceno subscripsit, ut constat ex manuscripto Arabico apud Seldenum notis ad Eutych. Hactenus de Eudemis, quos ita distinxisse antiquitatis studiosis minime ingratum fore confido.

5. Iisdem temporibus vivebat Phanias, Aristotelis auditor, ab oppido natali Eresius (non Ephesius aut Ephestius fuit, ut editio Francofurtensis *Plutarchi* habet, vita Solonis, & in elencho auctorum T. I. præfixo neque Αἰρέσιος, juxta eandem L. de orac. defectu) Lesbius vero ab

ro ab insula natali dictus est. Suidas eum Phæniam quoque adpellatum fuisse notat, forte ut Charis, cujus ἀχρόνων citat scholiastes Apollonii ad 4 ἄργον etiam Chæris dicitur scholiastæ Pindari Pyth. 4. Nem. 1. Fuit philosophus Peripateticus, & aliquot libros περὶ ποιητῶν, *de poetis*, scripsit, quorum *secundum* laudat Athenæus VIII, 12. ejusdem περὶ Σωκρατικῶν, *de Socraticis*, laudat Laertius lib. VI. *Aristipp.* Cujusmodi Socratici fuerunt: Æschines, Antisthenes, Aristippus, Aristoteles, Bryso, Cebes, Coriscus, Crito, Critobulus, Ctesippus, Diodorus, Epigenes, Erastus, Euclides, Glauco, Hermogenes, Lysanias Sphettius, Neleus, Phædon, Plato, Simmias, Simon, Stilpo, Xenophon. Ex illo autem de Socraticis opere omnino petitum est, quod de Aristippo tradit Laertius lib. II, primum eum e Socraticis mercedem pro informatione exegisse, & quæstu philosophatum esse. Ad Solonis quoque & Themistoclis vitam tradendam eum citat Plutarchus *parall.* Forte & hic locum haberent ejus τὰ πρὸς τὰς Σοφιςάς, unde locum adfert Athenæus XIV, 9. Lysiæ orationem ὑπὲρ Φανίυ παρανόμων citat Athenæus XII, 13. Verum alius sit necesse est Phanias isque antiquior, si oratio auctorem non mentitur, quandoquidem Lysias Olymp. C, 2. mortuus fuit, ante natum nostrum Phaniam. Sed multæ orationes Lysiæ fuerunt suppositæ. De quo supra: potuere tamen & plures Lysiæ fuisse. Alius quoque est Phanias ille Stoicus, Posidonii Apameensis Stoici γνώριμος, cujus librum primum τῶν Ποσειδωνείων σχολῶν citat Laertius lib. XII. *Zen.* Quoniam vero hic Posidonius Ciceronis & Pompeji M. magister fuit, Phanias hic eorum æqualis fuit. Unde minus recte Vossius de Hist. Gr. I, 9. has Posidoneas scholas Phaniæ Peripatetico dudum ante natum Posidonium defuncto tribuit.

CAPUT

CAPUT XVI.

I. 2. Dicæarchus, Peripateticus, Musicus, fabularum hypotheses, inscriptiones, quæ iterum editæ & harum quæ nomen retinuerint, mutaverint, quibus qui vicerint, victi, exposuit libro de certaminibus musicis (a quibus Gymnica erant diversa.) Certabant poetæ fabulis proposito præmio. Tragici tetralogia certabant quatuor istis Græcorum festis, Dionysiis, Lenæis, Panathenæis, Chytris. Tetralogia Philoclis, Æschyli, Euripidis, Xenoclis, Platonis. Trilogiam Grammaticorum quidam nominabant exclusis Satyricis. Sophocles neglecta Tetralogia singulis fabulis certavit. 3. Dicæarchus de certaminibus Dionysiacis, Panathenaicis, Olympicis, de victoribus eorumque ordine, victis, præmiis, dramatibus sive fabulis, ritibus, antagonistis egit. Erant alibi quoque locorum certamina musica. Dicæarchus de musica scripsit, ubi de antiquis musicis, eorum fabulis, saltationibus. Hujus forte pars erat illud de certaminibus opusculum. 4. Edidit etiam commentarium in Alcæum. Scripsit item de vitis variorum, septem Sapientum, Homeri, Pythagoræ, Euripidis, Platonis. Aristoxeno æqualis fuisse ostenditur. Habuit & sibi homonymum. Varia auctorum loca subinde emendata, inlustrata.

I.

ARistotelis quoque discipulus, & Aristoxeni æqualis fuit Dicæarchus, Messenius, qui poetarum & musicorum historiam egregie inlustravit. De poetarum fabulis egit, quanquam operis titulum ignoramus,

 nisi

nisi forte hypotheses fuerunt fabularum Euripidis & Sophoclis, de quibus Sextus Empiricus, lib. III. adversus Mathem. p. m. 84. ubi de triplici vocis ὑπόθεσις significatione agit: Καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ἡ δραματικὴ περιπέτεια. Καθὸ καὶ τραγικὴν, καὶ κωμικὴν ὑπόθεσιν εἶναι λέγομεν. Καὶ Δικαιάρχου τινὰς ὑποθέσεις τῶν Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους μύθων οὐκ ἄλλο τι καλοῦντες ὑπόθεσιν, ἢ τὴν τοῦ δράματος περιπέτειαν. Notavit in eo fabulæ cujusque nomen & inscriptionem. Hypothesis Ajacis Lor Sophoclis: Δικαίαρχος καὶ Αἴαντος θάνατον, ἐπιγράφει· ἐν δὲ ταῖς διδασκαλίαις ψιλῶς Αἴας ἀναγέγραπται. Et cum fabularum editio aliquo casu quandoque interrumperetur atque impediretur, ut eam iterare opus habuerint poetæ; idem Dicæarchus diligenter notavit, quæ cujusque poetæ fabulæ alteram editionem seu actionem passæ fuerint. Auctor hypoth. ad Aristophanis Ranas. οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν καθ' ἣν διαλλάττει τοὺς ἐντίμους τοῖς ἀτίμοις, καὶ τοὺς πολίτας τοῖς φυγάσιν, ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος. Et in altera ejusdem fabulæ hypothesi: οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα, διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν, ὡς καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος. Iteratæ sive recentatæ illæ fabulæ διεσκευασμέναι, ἐπιδιεσκευασμένα, & διασκευαὶ dicebantur. Vide omnino Galenum comment. in lib. Hippocr. de vict. rat. in morbis acut. §. 5. Quandoque autem istæ fabulæ recentatæ nomen habebant a priore diversum. Sic Epicharmi fabula *Hebes nuptiæ*, iterata *Musæ* dicta est, teste Athenæo III, 26. Aristophanis δευτέρας Θεσμοφοριαζούσας, Demetrius Trœzenius Θεσμοφοριασάσας inscripsit, teste eodem I, 23. aliquando utriusque idem nomen erat, cum addito tamen distinctionis signo *prior*, *posterior*, ut Aristophanis Νεφέλαι πρότεραι, δεύτεραι. Tandem Dicæarchum indicasse observamus, quibus dramasi sive fabulis quisque vicisset, quibus victus esset. Sic Sophoclem, cum Oedipum tyrannum suam ederet, a Philocle esse victum, Dicæarchus scripsit hypothesi fabulæ ejus teste. De his omnibus Dicæarchus forte egit libro, quem inscripsit περὶ μουσικῶν ἀγώνων, *de certaminibus musicis*. Scholiastes Aristophanis ad Vespas fol. 10. Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ Μουσικῶν ἀγώνων, ὅτι τρία γένη ἦν ᾠδῶν. Τὸ μὲν ὑπὸ πάντων ᾀδόμενον. τὸ δὲ καθ' ἕνα ἑξῆς, τὸ δ' ὑπὸ τῶν συνετωτάτων, ὡς ἔτυχε τῇ τάξει, ὃ δὴ καλεῖσθαι διὰ τὴν τάξιν σκολιόν. Eadem habet ad Ranas, fol. CCLXXIII, utrobique pro καθ' ἕνα legendum putamus & restituimus τὸ δὲ καθ' ἕνα.

2. Di-

2. Diversa autem hæc musica certamina sunt a certaminibus Gymnicis, de quibus Scholiastes Aristophanis ad aves, fol. DLV. ὀκτὼ δ' εἰσιν ἀγωνίσματα· στάδιον, δίαυλος, δόλιχος, ὁπλίτης, πυγμὴ, παγκράτιον. πάλη καὶ ἅλμα. Laudat Ἀγῶνας θυμελικοὺς, Athenæus XV, 16. Desideramus hic Theodori Hierapolitæ librum περὶ ἀγώνων, cujus meminit Athenæus, X, 2. In musicis autem certaminibus poetæ sortito committebantur, qui præmio proposito, dramasi & carminibus certabant. Tragicos quatuor dramatibus, quæ *Tetralogia* dicebantur, certasse, auctor est Laertius lib. III, Plat. ἐκεῖνοι τέτρασι δράμασι ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ληναίοις, Παναθηναίοις, Χύτροις, ὧν τὸ τέταρτον ἦν Σατυρικὸν, τὰ δὲ τέτταρα δράματα ἐκαλεῖτο Τετραλογία. Tetralogiæ Philoclis mentionem facit Aristoteles Didascaliis, apud Scholiasten Aristophnis ad aves, fol. DLIV. Φιλοκλεῖ ἐστι δρᾶμα Τηρεὺς ἢ ἔποψ, ὁ Σοφοκλῆς πρῶτον τὸν Τηρέα ἐποίησεν εἶτα Φιλοκλῆς — εἴη ἂν οὖν τὸν ἔποπα ἐσκευοποιηκὼς τῇ πανδιονίδι τετραλογίᾳ, ἣν καὶ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς διδασκαλίαις ἀναγράφει. Tetralogiam quandam Æschyli memorat Anonymus, Ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Olymp. LXXX, 2. Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα Αἰσχύλου Ἀγαμέμνων. Πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, χοηφόροις, Εὐμενίσι, πρωτεῖ Σατυρικῷ. Idem fere Didascalia Agamemn. Æschyli: Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος, Φιλοκλέους ὀλυμπιάδι ὀγδοηκοστῇ (non εἰκοστῇ ὀγδόῃ, ut vulgo legitur.) ἔτει δευτέρῳ· πρῶτος Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, χοηφόροις, εὐμενίσι, πρωτεῖ Σατυρικῷ. Eandem memorat Τετραλογίαν Aristophanis Scholiastes ad Ranas, fol. CCLXV. Ἐξ Ὀρεστίας τετραλογίαν φέρουσι τὴν Ὀρεστίαν αἱ διδασκαλίαι· Ἀγαμέμνονα, χοηφόρους, Εὐμενίδας, πρωτέα σατυρικόν. Ἀρίσταρχος (sic omnino pro Ἀριχος legendum est, ut bene monuit Casaubonus ad Laertium) καὶ Ἀπολλώνιος τριλογίαν λέγουσι χωρὶς τῶν Σατυρικῶν. Quod autem Aristarchus & Apollonins Satyricum drama a reliquis separare voluerunt, in hoc sequutus est eos auctor vitæ Æschyli, nisi is forte eorum alter est: ἐβίωσε δὲ ἑξήκοντα καὶ τρία ἔτη, ἐν οἷς ἐποίησε δράματα ἑβδομήκοντα. Καὶ ἐπὶ τούτοις σατυρικὰ ἀμφὶ τὰ πέντε. Huc facit illa Aristarchea tripartita Platonis librorum divisio apud Laertium. lib. III. Ἔνιοι δὲ ὧν ἐστι καὶ Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς εἰς τριλογίας ἕλκουσι τοὺς διαλόγους Sed hæc Aristarchi & Apollonii, qui omisso Satyrico dramate τριλογίαν introducere conati sunt, sententia paucis fuit probata. Geminam hujusmodi Tetralogiam memorat Ælianus Hist.

Var. II, 8. Κατὰ τὴν πρώτην καὶ ἐννενηκοστὴν (sic legendum pro ἕκτην) ὀλυμπιάδα, καθ' ἣν ἐνίκα Ἐξαίνετος ὁ Ἀκραγαντῖνος στάδιον, ἀντηγωνίσαντο ἀλλήλοις Ξενοκλῆς καὶ Εὐριπίδης. Καὶ πρῶτός γε ἦν Ξενοκλῆς, ὅς τίς ποτε οὗτός ἐστιν, Οἰδίποδι καὶ Λυκάονι καὶ Βάκχαις καὶ Ἀθάμαντι Σατυρικῷ. Τούτου δεύτερος Εὐριπίδης ἦν, Ἀλεξάνδρῳ, καὶ Παλαμήδῃ, καὶ Τρῳάσι, καὶ Σισύφῳ Σατυρικῷ. Eadem habet Anonymus Ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Olymp. XCI, 1. de Æschylo similiter Anonymus descriptione ad Olymp. LXXVI, 4. Αἰσχύλος τραγῳδοῖς ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ. Idem habet auctor hypotheseos Persarum Æschyli: ἐπὶ Μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, Πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, Προμηθεῖ. Ælianus Histor. Var. II, 30. Platonem tradit, cum heroicis carminibus pangendis se minus idoneum animadverteret, ad tragoediam animum adplicuisse, & Tetralogiam quandam proximis Dionysiis edendam, elaborasse. Ecce verba: Ἐπέθετο οὖν τραγῳδίᾳ καὶ δὴ καὶ τετραλογίαν εἰργάσατο. Καὶ ἔμελλεν ἀγωνιεῖσθαι, δοὺς ἤδη τοῖς ὑποκριταῖς τὰ ποιήματα. Πρὸ τῶν Διονυσίων δὲ παρελθὼν ἤκουσε Σωκράτους καὶ ἅπαξ αἱρεθεὶς ὑπὸ τῆς ἐκείνου Σειρῆνος, τοῦ ἀγωνίσματος οὐ μόνον ἀπέστη τότε, ἀλλὰ καὶ τελέως τὸ γράφειν τραγῳδίαν ἀπέρριψε καὶ ἀπεδύσατο ἐπὶ Φιλοσοφίᾳ. Aliter Sophocles, qui neglecta Tetralogia, singulis dramatibus certavit. Suidas Σοφ. καὶ αὐτὸς ἦρξε τοῦ δρᾶμα πρὸς δρᾶμα ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ μὴ τετραλογίαν, ubi editi mendose στρατολογίαν legunt,

3. Quia vero Tetralogiæ istæ Dionysiis, Lenæis, Panathenæis & Chytris Atheniensium festis edebantur, Dicæarchus, qui de certaminibus hisce musicis scripsit, seorsim *περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, de certaminibus Dionysiacis*, egisse videtur. Scholiastes Aristophanis ad aves, fol. DCVI. Ἀντίπατρος δὲ καὶ ὁ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον Λᾶσον τὸν Ἑρμιονέα. Οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος Ἀρίωνα τὸν Μηθυμναῖον. Δικαίαρχος (male in editis est Δήμαρχος) μὲν ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων. Ἑλλάνικος δὲ ἐν τοῖς Κραναϊκοῖς. Dionysiis enim certabant musici. Scholiastes Aristophanis ad Νεφ. fol. CXLIII. Τοῖς Διονυσίοις τοὺς κυκλικοὺς χοροὺς ἵστασαν, καὶ ἠγωνίζοντο οἱ κωμικοὶ καὶ οἱ τραγικοὶ ποιηταὶ, ἀναγορεύοντες τὰ ὑπόγυιον αὐτοῖς πεποιημένα δράματα. Idem fol. CLVI: ἐν τοῖς Διονυσιακοῖς ἀγῶσι τὰ δράματα ἤγετο καὶ ἐδιδάσκετο. Hinc

Διο-

Διονυσιακὸν θέατρον, apud Laertium lib. III. *Plat.* *Διονυσιακοὶ ἀγῶνες* apud Laertium lib. VI. *Diog.* & Scholiasten Aristoph. loc. cit. *δρᾶμα Διονυσιακὸν* apud eundem, initio Νεφ. fol. CXXII. *Νίκας Διονυσιακὰς* libro singulari complexus est Aristoteles, juxta Laertium. De Panathenaicis quoque seorsim egit Dicæarchus noster, citat quippe eum *ἐν παναθηναϊκῷ*, Scholiastes Aristoph. ad Vespas. fol. CCCCLXVII. *ὁ μέν τοι Δικαίαρχος ἐν τῷ παναθηναϊκῷ, οὐκ οἶδα ἐξότου ποτὲ καὶ τὰς γραῦς ἐν ταῖς παναθηναίοις ὑπείληφε θαλλοφορεῖν.* ubi & cæteros ritus in Panathenæis servari solitos tradidisse videtur. Habebatur quoque ejusmodi agon musicus Olympiæ in Peloponneso. Horatius lib. IV. carm. 2.

Sive quos Elea domum reducit.

ubi Scholiastes: *In eodem agone poeta heroum laudibus decantandis & accepto themate certabant, & palma coronabantur.* Pausanias Eliac. II. *ἐν τούτῳ τῷ γυμνασίῳ καὶ βουλευτήριόν ἐστιν ἠλείοις, καὶ ἐπιδείξεις ἐνταῦθα λόγων τε αὐτοσχεδίων, καὶ συγγραμμάτων ποιοῦνται παντοίων.* Hic Aristophanes Vespas suas docuit. Testis est hypothesis ejus fabulæ. *Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμινίου*, non *Ἀμυνίου*, ut vulgo adpellatur, Aminias enim Archonti Olymp. LXXXIX, 2. nomen erat, quem cum libere & impune traducere non liceret, Aristophanes illum mutato paullum nomine *Ἀμυνίαν*. *Amyniam* adpellat & traducit, observante Scholiaste ad Νεφέλας. *Τὸν ἄρχοντα διασύρειν βουλόμενος, τῇ Ἀμυνίου προσηγορίᾳ ἐχρήσατο· τότε γὰρ ἦρχεν Ἀμινίας προνάπου υἱός. Ἐκεῖνον οὖν ἐπισκῶψαι θελήσας, περιέτρεψε τὸ ι εἰς υ καὶ περιεγραμμάτισε γελοίως. Ἐπεὶ παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις ὁ νόμος φανερῶς ἐκώλυε τὸν ἄρχοντα κωμῳδεῖν. Ἀμυνίαν δ' αὐτὸν εἶπεν, ἀντὶ τοῦ Ἀμινίαν, διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει ὀλυμπίων·* Anonymus Ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Olymp. LXXXIX, 2. Archonte Aminia *τῷ αὐτῷ καὶ Σφῆκες ὀλυμπίων ἐν τῇ πόλει, καὶ τὸ δεύτερον ἐς λήναια.* Videtur Dicæarchus de hoc agone musico Olympiæ itidem scripsisse libro Ὀλυμπικῷ. Athenæus XIV, 3. *Τοὺς δ' Ἐμπεδοκλέους καθαρμοὺς ἐρραψῴδησεν ὀλυμπιάσι Κλεομένης ὁ Ῥαψῳδὸς, ὥς φησι Δικαίαρχος ἐν τῷ Ὀλυμπικῷ.* Petitus Miscell. I, 7. 10. per *πόλιν Ὀλυμπίων* intelligit Athenas, & *Ὀλύμπια τὸν Ἀθήνησιν ἀγῶνα* interpretatur. Sed vellem auctores suæ sententiæ laudasset, sine quibus nihilo plus fidei merebitur, quam si per *Ὀλυμπίων πόλιν* Spartam, vel aliam

quam

quamcunque Græciæ urbem intelligeret. Erant & alibi locorum certamina ejusmodi musica a Dicæarcho omnino recensita. Neque dubium mihi est, quin de victoribus, victis, præmiis, dramatibus, ritibus & reliquis disseruerit, & musicam historiam perfecte tradiderit. Victores enim notari moris erat, & quotus quisque ordine vicisset. Aristophanes Grammaticus Didascalia Phæniss. Eurip. Ἐδιδάχθη ἐπὶ Πυθιοδώρου ἄρχοντος κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν ἑβδόμην Ὀλυμπιάδα. Πρῶτος Εὐφορίων, δεύτερος Σοφοκλῆς, τρίτος Εὐριπίδης. Μήδεια, Φιλοκτήτης, Δίκτης, Θερισταὶ Σάτυροι, οὐ σώζεται. adde Anonymum Ὀλυμπ. ἀναγρ. Olymp. LXXXVII, 1. Didascalia Aristophanis Ἀχαρν. Ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυμένους (lege Εὐθυδήμου, ut recte observat Petitus) ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου. Καὶ πρῶτος ἦν, δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις, οὐ σώζεται. Τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις. confer Didascaliam Βατρ. & Ἱππ. Adnotabantur & ii, cum quibus poeta certaverat. Hypothesis Pluti Aristophanis: Ἐδιδάχθη ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν. Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ. Anonymus Ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Olymp. LXX, 1. Πρατίνας Πυῤῥωνίδου ἢ ἐγκωμίου Φλιάσιος, ποιητὴς τραγῳδίας ἀντηγωνίζετο Αἰσχύλῳ καὶ Χοιρίλῳ. Victoriarum numerum quoque observabant. Anonymus vita Æschyli, νίκας τὰς πάσας εἴληφε τρισκαίδεκα. Verum liber hic Dicæarchi περὶ μουσικῶν ἀγώνων, de quo diximus, omnino pars fuit ejusdem operis περὶ μουσικῆς, *de musica*, quo & de ipsis antiquis musicis atque poetis eorumque fabulis, de saltationibus, & de certaminibus musicis eum egisse verisimile est. Meminit ejus operis Scholiastes Aristophanis, Νεφελ. fol. CXCIX. Δικαίαρχος ἐν τῷ Μουσικῷ, ubi inde adfert, consrevisse cantores in conviviis ex antiqua traditione manibus gestare lauri vel myrti ramum. Plutarchus *Theseo* & Athenæus, I, 11. de saltationis quadam specie Dicæarchi testimonium adferunt.

4. Præter hunc *de musica* librum, scripsisse quoque videtur ***commentarium in Alcæum poetam.*** Docet hoc Athenæus XI, 2. Δικαίαρχος μὲν ὁ Μεσσήνιος, ὁ Ἀριστοτέλους μαθητὴς, ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου μικροῖς φησὶν αὐτοὺς ἐκπώμασι κεχρῆσθαι, καὶ ὑδαρέστερον πεπωκέναι, & lib. XV, c. 1. Δικαίαρχος ὁ Μεσσήνιος (non Μιλήσιος ut olim legebatur) ὁ Ἀριστοτέλους μαθητὴς ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου καὶ τὴν λατάγην φησὶν εἶναι Σικελικὸν ὄνομα. Eadem habet Scholiastes Aristophanis ad *Pacem*, fol. DCCXVI.

DCCXVI. Iterum Athenæus XV, 2. Ὅτι δὲ ἐσπούδαστο παρὰ τοῖς Σικελιώταις ὁ Κότταβος, δῆλον ἐκ τοῦ καὶ οἰκήματα ἐπιτήδεια τῇ παιδιᾷ κατασκευάζεσθαι, ὡς ἱστορεῖ Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ Ἀλκαίου. οὐδ' ἀπεικότως οὖν οὐδ' ὁ Καλλίμαχος Σικελὴν τὴν λάταγα προσηγόρευε. eadem habet Varinus Κότταβος. Libros aliquot περὶ βίων, *de Vitis*, edidit Dicæarchus. Primum eorum citat Laertius, lib. III. Plat. εἰσὶ δὲ οἳ καὶ παλαῖσαί φασιν αὐτὸν Ἰσθμοῖ, καθὰ καὶ Δικαίαρχος ἐν πρώτῳ περὶ βίων. Ex hoc περὶ βίων opere sunt omnino, quæ *de Pythagora* ex eo citant Plutarchus, Sympos. VIII, 2. Gellius XIV, 11. Laertius lib. VIII. Pyth. & Porphyrius vita Pyth. & de *Homero* & *Euripide* Plutarchus lib. quod non viv. juc. sec. Ep. γράφειν περὶ Ὁμήρου καὶ περὶ Εὐριπίδου, ὡς Ἀριστοτέλης, καὶ Ἡρακλείδης, καὶ Δικαίαρχος. De *Euripide* eum egisse docet quoque Plutarchus lib. de ει apud Delphos p. *de Platone* Laertius lib. III. De *sapientibus Græcia* eum egisse docet hic locus Laertii lib. I. Thal. Δικαίαρχος τέσσαρας ὡμολογουμένους ἡμῖν παραδίδωσι Θαλῆν, Βίαντα, Πιττακόν, Σόλωνα. Ἄλλους δὲ ὀνομάζει ἕξ, ὧν ἐκλέξασθαι τρεῖς, Ἀριστόδημον, Πάμφιλον, Χείλωνα Λακεδαιμόνιον, Κλεόβουλον, Ἀνάχαρσιν, Περίανδρον. Sed ex eodem περὶ βίων opere omnino sunt. Anonymus auctor vitæ Æschyli ex Dicæarcho Messenio quædam citat: Τὸν τρίτον ὑποκριτὴν αὐτὸς Αἰσχύλος ἐξεῦρεν· ὡς δὲ Δικαίαρχος ὁ Μεσσήνιος, Σοφοκλῆς. Sed hæc ad librum de Musica potius, ubi de Tragicis egit, quam ad librum περὶ βίων referendum judico. Epistolam Dicæarchi ad Aristoxenum citat Cicero lib. XIII. ep. ad Attic. 32. *Alteram a te.* erat enim Aristoxeni æqualis. Idem lib. I. Tusc. Quæst. *Dicæarchum vero cum Aristoxeno æquali & condiscipulo suo doctos sane homines omittamus.* Quis autem & cujas hic fuerit Dicæarchus, ex locis quibusdam ultimo citatis colligimus, in quibus Messenius & Aristotelis discipulus, & Aristoxeni æqualis dicitur. Quæ nisi essent, alteri illi Dicæarcho, Lacedæmonio, Grammatico, Aristarchi Grammatici auditori, opera ista Grammatica, quippe potius tribuerem. Fuit & Dicæarchus Telesinus, frater Helenæ cujusdam apud Photium Ecl. CXC. Atque hæc de Dicæarcho dicta sufficiant, quæ maximam partem nudis auctorum verbis exponere visum. Plura de eo in *Grammaticis nostris*.

CAPUT XVII.

1. Heraclides Ponticus, Platonis auditor, perperam Dionysio Metathemeno æqualis statuitur a Laertio. De Pythagoreis, Homero, tribus Tragicis egit, sed fide parum bona. 2. Chamæleon Heraclidem civem plagii merito incusat. Scripsit de poetis. Notæ ætatis esse ostenditur contra Vossium. De Satyris egit. Satyrica dramata. 3. Philo inique philosophos Athenis pulsos probat, quem refutat. 4. Demochares scripta Apologia Sophoclis contra Philonem & philosophos. Probatur Philonis sententia populo Atheniensi, revocantur philosophi, multatur Sophocles.

I.

GEminum par adversariorum hic dabimus, Heraclidem & Chamæleontem: Democharem & Philonem. Chamæleon condiscipulum suum Heraclidem plagii insimulat. Demochares Rhetor, philosophos exilio multandos curat, eos illo liberat Philo: Heraclides Heracleotes Ponticus auditor fuit *Pythagoreorum* juxta Laertium, lib. V. Heracl. *Platonis*, juxta Ciceron. lib. I. de Divin. lib. III. de LL. Laert. III, Strab. XII. *Speusippi*, juxta Laertium lib. V. Heracl. *Aristotelis*, teste eodem lib. V. Heracl. Æqualem Dionysii Metathemeni perperam eum facit Laertius, lib. V. *Heracl.* de quo tamen infra in Heraclide Lembo pluribus. Illius Heraclidis vitam Laertius lib. V. describit & libros recenset. Scripsit περὶ βίων duos libros. Inde sunt, quæ de Solone quatuor locis adfert Plutarchus *Solone:* de Themistocle *Themistocle:* & de Pericle duobus locis, *vita Periclis;* quanquam priore in *Pericle* loco, quæ de Artemone Mechanico περιφορήτῳ testudinis & arietis apud Servium forte inventore, Plutarchus ex Heraclide hoc Pontico citat, eadem ex Chamæleonte Pontico citat Athenæus XII, 9. ut plagii eum ipse Chamæleon jam tum

non

non immerito accusasse videatur, apud Laertium lib. V. Her. Neque aliunde sunt petita, quæ de Sibylla octava, quod Soloni & Cyro æqualis fuerit, habet Varro lib. rerum divin. ap. Lactant. I, 6. Idem Varro hunc omnino laudat apud Nonium *Vulgus* & *contendere*. De Archimedis vita ab Heraclide descripta, quid sentiendum sit, infra dicam. Laertius inter historica ejus librum περὶ Πυθαγορείων, *de Pythagoreis* recenset, Pythagoreorum quippe discipulus, de Pythagoreis optime scribere potuit. Inde sunt depromta, quæ ex Heraclide Pontico, de Pythagoræ Μετεμψυχώσει dicuntur apud Laertium, lib. VIII. Pyth. & ex eodem de Pythagora, quid de summo bono humano sentiat, tradit Clemens Alex. lib. II, Strom. De Homero varia scripsit, duos scilicet libros περὶ τῆς Ομήρε καὶ Ησιόδε ἡλικίας duos itidem περὶ Αρχιλόχε καὶ Ομήρε, teste Laertio. Librum primum de Homero celebrat Eustrathius lib. III. Ethic. cap. I. λέγει δὲ καὶ περὶ Αχύλε καὶ Ηρακλείδης ὁ Ποντικὸς, ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ομήρε. Vix autem diversum ab altero eorum, quæ Laertius laudat, hoc opus fuit. Operis ejus de Homero meminit quoque Plutarchus lib. *quod non viv. juc. sec. Epic.* & Dio orat. LIII. Chamæleon Heraclidem sibi ea, quæ de Homero scripsit, suffuratum esse, olim conquestus est, teste Laertio lib. V. Her. Porro librum ejus περὶ τῶν Τριῶν τραγῳδοποιῶν, *Æschylo* videlicet, *Sophocle* & *Euripide*, & alterum περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν, laudat Laertius, loc. cit. Fidem ei in omnibus tuto haberi non posse, antiqui judicarunt, quod non modo alienis per furta, sed falsis quoque per figmenta lectorem decipiat. Cicero de eo lib. I. de Nat. Deor. *Ex eadem Platonis schola Heraclides Ponticus puerilibus fabulis refersit libros.* Plutarchus vita Camilli, postquam Heraclidis Pontici Romæ a Gallis captæ temporibus, vicini sententiam de Roma Græca urbe ab Hyperboreis capta adtulerat sibi, & veritati minime consentaneam, Heraclidem ita ἐν τῷ περὶ ψυχῆς incommode loquutum perstringit & adpellat μυθώδη καὶ πλασματίαν. Laertius lib. 8. *Emped.* ubi Heraclidis Pontici falsam de Empedoclis morte sententiam rejecisset, addit: ἀλλὰ διὰ παντὸς ἐστιν Ηρακλείδης τοιῦτος παραδοξολόγος, καὶ ἐκ τῆς σελήνης πεπτωκέναι ἄνθρωπον λέγων.

2. Chamæleon Heraclea Pontica oriundus, Peripateticus fuit philosophus, de quo infra in Megaclides L. IV. Scripsit aliquot libros περὶ

περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας, *de antiqua comœdia*, e cujus operis *sexto* libro locum de Anaxandride Dithyrambico Athenæus IX, 4. de Hegemone Thasio vero Epicharmi æquali teste Athenæo, XV, 16. & inter incertæ ætatis poetas idcirco cum Vossio non numerando idem IX, 17. locum adfert. Inde quoque omnino, quæ de Platone Comico habentur apud eundem XIV, 6. Scripsit de *Homero*, teste Tatiano, πρὸς ἑλλ. & Eusebio, de præp. Evang. X, 2. e quo Heraclides ea, quæ de Homero scripsit, suffuratus est, teste Laertio, lib. V. de *Æschylo*, teste Athenæo I, 19. IX, 4. X, 7. de *Alcæo*, teste Athenæo X, 8. de *Anacreonte*, teste eodem XII, 9. Verum, quæ hic de Artemone adferuntur e Chamæleonte, eadem ex Heraclide Pontico citat Plutarchus *Pericle*, ut ita vera esse videantur, quæ de Heraclidis furacitate scribit Laertius, lib. V. scilicet, quod Chamæleon conquestus sit, sua esse, sibique subtracta, quæcunque de Hesiodo & Homero scribat Heraclides. Unde ætatem quoque Chamæleontis, quam incertam putat Vossius lib. III. de Hist. Gr. intelligimus, quod Heraclidi fuerit æqualis. At Heraclides Aristotelis auditor fuit, de quo Aristoxenus Aristotelis discipulus itidem egit. Sed res non caret dubio. Forte alius Heraclides, alius Aristoxenus. Sed ad Chamæleonta nostrum: Scripsit hic quoque de *Alcmane*, idque ex Archyta Harmonico depromsit, teste Athenæo, XIII, 8. De *Clinia Pythagoreo*, teste eodem XIV, 5. de *Laso*, antiquo musico & Dythrambico, eodem teste VIII, 4. De *Pindaro*, teste eodem, XIII, 4. De *Sappho*, teste eodem, XIII, 7. De *Simonide*, eodem teste, X, 22. XIII, 9. XIV, 21. De *Stesichoro*, eodem teste, XIV, 3. De *Thespide*, teste Suida & Michaele Apostolio, utroque in οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. De saltatione eum egisse docet Athenæus, XIV, 6. Lycurgum rhetorem Platonis fuisse discipulum tradit Chamæleon apud Laertium lib. III. Scripsit quoque *de Satyris* περὶ Σατύρων, teste Suida: Ἀγριος Κύκλωψ, & Michaele Apostolio proverbio: Ἀπώλεσας τὸν οἶνον. Σάτυροι autem significabant etiam ipsa satyrica dramata. Ita ex quatuor illis dramasi, quibus poetæ olim certabant, quartum erat Σάτυρος, de quo vide quæ in *Dicæarchus* diximus. *Cum* Σατύρους *docebis, voca me*, inquit ille apud Aristophanem, Θεσμοφ. Athenæus X, 3. μαρτυρεῖ περὶ τούτων Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς γράψας Σατύρους εἰς Μενέδημον. Drama autem, quod hic Σάτυρος dicitur, idem σατυρικὸν δρᾶμα nuncupatur eidem lib. II, cap. 14. Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς ἐν σατυρικῷ δράματι, ὃ ἐπὶ καταμωκήσει ἔγραψεν εἰς Μενέδημον τὸν φιλόσοφον. Laertius

tius lib. II. drama illud Σατύρες adpellat, sed ἐγκώμιον philosophi fuisse indicat: insectatus enim est Menedemi nimiam frugalitatem, quam in laude ponendam duxit Laertius. Scripsit & Timon Σατύρες, teste Laertio lib. IX, *Tim.* & Ecphantides teste Athenæo III, 17. Ejusmodi Σάτυρος fuit *Omphale* Achæi poetæ Eretriensis, ætate Euripidis apud Laertium lib. II, *Mened.* Ejusdem *Æthon* apud Athenæum VI, 20. IX, 1. 4. X, 7. quem Cæcilius suum fecit, citante Festo *Numerro*, *Ore*, *Sentinare*, ubi pro *Æthrione* legendum *Æthone*, uti e Menandro idem Cæcilius plerasque vertit, observante Clem. Alex. Strom. VI. Æthon autem dicebatur Erisichthon Myrmidonis F. ob famem illam inexplebilem, qua a Cerere puniebatur. Vide Ovidium Metam. lib. VIII, Athenæum X, 4. Meursium ad Lycophrona fol. CCCXXXVII. Erat quoque Æthon nomen equi Solis, Plutonis, Hectoris, Pallantis. Porro Achæi Ἀλκμαίων Σατυρικὸς laudatur Athenæo, IV, 22. Ἥφαιστος Σατυρικὸς, & Ἶρις Σατυρικὴ eidem. Astydamantis Tragici Ἡρακλῆς Σατυρικὸς eidem, X, 1. Pythonis Cathanensis Ἀγὴν Σατυρικὸς eidem, XIII, 6. Æschyli κήρυκες Σατυρικοὶ Polluci, Onomast. X, 49. Euripidis Autolycus eidem X, 46. sed hæc Grammatici potius fori, quam Historici.

3. Philo, Aristotelis familiaris, *Apologiam pro philosophis contra Sophoclem*, qui eos Athenis ejecerat, scripsit, uti & Phanias eodem fine, πρὸς τὲς Σοφιςὰς scripsisse videtur. Pollux lib. IX, cap. 5. Orationem Lysiæ πρὸς Φίλωνα citat. Forte a Lysia quodam juniore adversus hunc Philonem scripta est. Vel scholastica est oratio & ficti argumenti, more olim recepto: Sed de hoc Philone jam in *Demochares* pluribus agemus.

4. Demochares, Rhetor, Demosthenis *sororis filius*, *orationes scripsit aliquot, & earum rerum historiam, quæ erant Athenis ipsius ætate gestæ, non tam historico quam oratorio genere perscripsit*, ut Ciceronis *Bruto* verbis utar. Scripsit pro Sophocle contra Philonem. Δημοχάρης ὁ ῥήτωρ ἐν τῷ ὑπὲρ Σοφοκλέους πρὸς Φίλωνα, ait Athenæus, XI, 15. Scilicet rhetores philosophis sese Athenis opponebant. Ita Socratis damnationem urgebat pro plebe Anytus, pro rhetoribus Lycon, pro poetis Melitus, teste Laertio, lib. II. *Socr.* Theophrasti quoque & Ptolemæi Soteris ætate, rhetores jam eo rem deduxerant, ut philosophi Athenis pellerentur, idque lege Sophoclis Amphiclidæ F. (non *Sophoclidis* F. ut habet

habet Meursius de Fort. Athen. cap. 8. quem tamen errorem typographo vel librario potius adscripserim; neque enim ullus Sophocles Sophoclidis F. notus est, Sophoclem Sophoclis F. Sophoclem Theophili F. Sophoclem Sostradidæ F. Sophoclem Sophili F. & nostrum Amphiclidis F. ex historiis novimus.) Factum illud est Olymp. circiter CXX. cum paullo ante Demetrius Phalereus philosophus Peripateticus, Athenis pulsus esset, ut modo audiemus. Laertius hac de re, lib. V. *Theophr.* Τούτου δὲ ὤν, ὅμως ἀπεδήμησε πρὸς ὀλίγον, καὶ οὗτος, καὶ πάντες οἱ λοιποὶ φιλόσοφοι Σοφοκλέους τοῦ Ἀμφικλείδου νόμον εἰσενεγκόντος, μηδένα τῶν φιλοσόφων σχολῆς ἀφηγεῖσθαι, ἂν μὴ τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ δόξῃ· εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. *Quum esset hujusmodi, tamen secessit ad tempus & ipse, & philosophi reliqui: quippe Sophocles, Amphiclida filius legem tulerat, uti ne quis philosophorum praeesset schola, nisi id senatus ac plebs decrevisset; qui secus faceret, capitale esset.* Pollux lib. IX, c. 5. Ἐστὶ δὲ νόμος Ἀττικὸς, κατὰ τῶν φιλοσοφούντων γραφεὶς, ὃν Σοφοκλῆς Ἀμφικλείδου Σουνιεὺς εἶπεν, ἐν ᾧ τινα κατ' αὐτῶν προσταγμάτων ἐπήγαγεν, μὴ ἐξεῖναι μηδενὶ τῶν σοφιστῶν διατριβὴν κατασκευάζεσθαι. *Est & lex quædam Attica contra philosophos scripta, quam Sophocles Amphiclidis filius Sunicus tulit, qua contra illos statuis, non licere cuiquam sophistarum scholam instituere.* Hic populum Sophoclis cognoscimus, quod Σουνιεὺς fuerit, ut & Demetrius ille Cynicus apud Lucianum *Toxari.* Unde Meursius suum de populis Atticæ librum, voce Σούνιον augere potuisset. Meminit hujus philosophorum exilii quoque Athenæus, XIII, 9. & Alexis Comicus *Equo* ibidem. Simile exilium non modo Astrologi & Magi sub Augusto, apud Dionem lib. XLIX. Eusebium & Hieronymum *Chronicis.* Itemque Mathematici sub Tiberio, teste Cassiodoro *Chronicis,* Suetonio *Tiberio,* Tacito Annal. II, 32. 5. Hermanno Contracto Chronicis ad annum Tiberii secundum. Et sub Vitellio, juxta Tacitum Hist. II, 62, 3. itemque sub Domitiano juxta Marianum Scotum, ad A. C. XCII. sed & ipsi philosophi aliquoties perpessi sunt. Ejecit eos regione sua Antiochus, teste Athenæo, XII, 12. Lysimachus, eodem teste, XIII, 9. Epicurei exulare jubentur a Messeniis, teste Æliano, Histor. Var. IX, 12. Athenæo, XII, 12. Sexto Empir. adv. Math. fol. LXIX. & a Romanis, teste Gellio, XV, 11. Æliano, loco citato; & a Thebanis, Spartiatis & Argivis, teste Tertulliano *Apolog.* Philosophos bis pellit Domitianus apud Suetonium, XII, 10. Gel-

Gellium XV, 11. ubi Epictetus quoque cessisse dicitur: Eusebium Chron. ad Olymp. CCXVII, 1. vel juxta Hieronymum ad Olymp. CCXVI, 4. & CCXVIII, 3. ad annum 8 & 15 Domitiani, Marianum Scotum Chron. ad annum 9 & 14. Domitiani, Philostratum lib. VII. Plinium lib. III. epist. 11. Lucianum *de morte Peregrini*, qui tamen iterum pulsi, sub Nerva reversi sunt, teste auctore Chronograph. ex Idacio lib. II, c. 37. apud Canis. T. II. Ant. Lect. Cum vero rhetorum & plebis violentia atque furor in philosophos ita saeviret, Philon Aristotelis philosophi necessarius, orationem quandam edidit contra Sophoclem, qua calumnias, quas rhetores in philosophos jaciebant, abstersit & ab iisdem removit, neque tanti facinoris se caeterosque philosophos reos esse probavit, de quo diximus. Huic Philoni alia oratione respondet Demochares rhetor, Sophoclis defensionem suscipiens. Athenaeus XIII, 9. Καὶ Σοφοκλῆς, ὅςις ψηφίσματι ἐξέλασε πάντας φιλοσόφους τῆς Αττικῆς. Καθ' οὗ λόγον ἔγραψε Φίλον Αριςοτέλους γνώριμος· ἀπολογίαν ὑπὲρ τοῦ Σοφοκλέους Δημοχάρους πεποιηκότος τοῦ Δημοσθένους ἀνεψιοῦ. *Et Sophocles, qui decreto omnes philosophos Attica ejecit, contra quem orationem scripsit Philo, Aristotelis familiaris. Pro Sophocle vero apologiam scripsit Demochares, Demosthenis e sorore nepos.* Minime vero dubitandum, quin hac oratione Demochares multas philosophorum fraudes atque machinas, impia facinora, vitia omnia exposuerit, ut jure eos pulsos esse omnibus probaret. Constat hoc ex Aristoclis philosophi libro septimo de philosophia apud Eusebium, lib. XV. praep. Evang. cap. πῶς γάρ· Τὴν μὲν γὰρ Δημοχάρους κατηγορίαν κατὰ τῶν φιλοσόφων τί χρὴ λέγειν; οὐ γὰρ Αριςοτέλην μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους κακῶς εἴρηκεν. Ετι γε μὴν αὐτὰς τὰς διαβολὰς σκοπῶν ἄντις ληρεῖν αὐτὸν φαίη· λέγει γὰρ ἐπιςολὰς Αριςοτέλους ἁλῶναι κατὰ τῆς πόλεως τῆς Αθηναίων, καὶ Στάγειραν τὴν πατρίδα προδοῦναι Μακέδοσιν αὐτόν. Ετι δὲ κατασκαφείσης Ολύνθου, μηνύειν ἐπὶ τοῦ λαφυροπωλείου Φιλίππῳ τοὺς πλουσιωτάτους τῶν Ολυνθίων. *Sed quid attinet hic Democharis contra philosophos criminationes recensere? non enim Aristotelem solum, sed & alios quoque philosophos maligne perstringit. Equidem si quis istas probe consideret calumnias, nefarie loquutum hunc esse dicet. Ait enim epistolas se Aristotelis invenisse contra Athenienses: nec non Stagiram patriam suam eum Macedonibus prodidisse: praeterea eversa jam Olyntho ditissimos quosque Olynthiorum Philippo indicasse spoliandos.* Considerata utriusque Philonis

lonis & Democharis oratione, Senatus Atheniensis iniquam Sophoclis legem abrogavit, & revocatis sequente anno ab exilio philosophis, Sophocli multam irrogavit. Laertius lib. V. *Theophr.* ἀλλὰ αὖθις ἐπανῆλθον εἰς νέωτα, Φιλλίων⊕ (Φίλων dicitur Athenæo supra) τὸν Σοφοκλέα γραψαμένȣ παρανόμων. Ὅτε καὶ τὸν νόμον μὲν ἄκυρον ἐποίησαν Ἀθηναῖοι, τὸν δὲ Σοφοκλέα πέντε ταλάντοις ἐζημίωσαν, καθοδόντε τοῖς φιλοσόφοις ἐψηφίσαντο, ἵνα καὶ Θεόφραστ⊕ κατέλθῃ, καὶ ἐν τοῖς ὁμοίοις ᾖ. *Verum sequenti anno denuo reversi sunt philosophi, cum Phillio Sophoclem violatarum legum reum egisset. Quo tempore Athenienses ea lege abrogata, Sophoclem talentis quinque multarunt, & philosophis reditum decreverunt, ut & Theophrastus rediret, scholamque ut antea regeret.* Plura de Demochare scire qui volet, Vossium adeat de Histor. Græc.

CAPUT XVIII.

Clearchus Solensis Peripateticus de vitis variorum populorum & hominum, de Pythagora, septem sapientibus, Platonis laude, Josephi fabula de Aristotele ex Clearcho examinatur. 2. Clearchi libri. Σχολαστικὸς antiquis ignotum sensu Josephi. Sic & voces Ἰȣδαῖ⊕, Ἰȣδαία, Ἱερȣσαλὴμ Aristoteli & antiquioribus ignotæ. Error Ficini & Genebrardi refutatur, qui Aristotelem Iudæum fuisse crediderunt. Cunæus non minoris audaciæ quam eruditionis. Num Aristotelis Alexandro M. comes expeditionis fuerit, inquiritur. 3. Demetrius Phalereus, an Alexandrinæ bibliothecæ sub Philadelpho præfuerit, disquiritur. 4. Scripsit de Poetis, Socrate, Demosthene.

1.

SUb Ptolemæo Sotere memorari quoque debet Clearchus Solensis, qui discipulus Aristotelis fuit. Κλέαρχος ὁ Σολεύς, εἷς τῶν Ἀριστοτέλους μαθητῶν, ait, Pollux Onomast. lib. II. c. 4. §. 31. ubi paullo post §. 33. absolute ὁ Σολεύς dicitur. Κλέαρχος ὁ Σολεύς οὐδενός ὢν δεύτερος τῶν τοῦ σοφοῦ Ἀριστοτέλους μαθητῶν, inquit Athenæus, libro XV. Varia scripsit, teste Suida ἐπαύξασθαι. Aliquot libros περὶ βίων, *de Vitis* diversorum hominum & populorum ab eo confectos observamus. Κλέαρχος ἐν τοῖς περὶ βίων, ait Athenæus VIII, 7. IX, 12. XII, 9. *Primum* librum ejus operis citat Athenæus, lib. VI, c. 6. *secundum* idem, IV, 14. XIV, 10. XV, 8. *quartum* idem, XII, 2. 3. & 5. ubi aliquoties de luxu quorundam populorum adducitur, & cap. 11. ejusdem libri, ubi de Dionysii libidine agit. *Quintum* citat idem X, 4. XII, 3. 7. & 12. ubi de variorum luxu egisse indicatur. *Octavum* idem XII, 12. Ex iisdem libris omnino sunt, quæ de quorundam luxu e Clearcho citat Athenæus, XII, 6. 10. 11. XIII, 6. Vix aliunde sunt, quæ de Pythagora citat Gellius, IV, 11. *Pythagoram vero ipsum sicuti celebre est, Euphorbum primo se fuisse dictitasse; ita hæc remotiora sunt his, quæ Clearchus & Dicæarchus memoriæ tradiderunt, fuisse eum postea Pyrandrum, deinde Callicleam, deinde fœminam pulcra facie meretricem, cui nomen fuerat Alce.* Item quæ de phiala septem sapientibus invicem missa adfert Laertius lib. I. Thal. Δαίδαχος ὁ Πλατωνικός, καὶ Κλέαρχος, Φιάλην ἀποσαλῆναι ὑπὸ Κροίσου Πιττακῷ καὶ οὕτω περιενεχθῆναι. Et de Pittaco eodem libro. Τούτῳ γυμνάσιον σῖτον ἀλεῖν, ὥς φησι Κλέαρχος ὁ φιλόσοφος. Clearchum ἐν Πλάτωνος ἐγκωμίῳ, *de laude Platonis*, laudant Laertius lib. III, Plat. & Hieronymus lib. I. adversus Jovin. quorum verba cum supra adduxerimus, hic eadem repetere supervacaneum ducimus. Josephus quoque libro primo de antiquitate gentis Judaicæ (ut recte Origenes lib. I. contra Celsum citat) sive lib. I. contra Apionem (ut communem citandi consvetudinem servem) locum prolixum e Clearchi libro de somno adfert, in quo Aristoteles cum Hyperochide loquitur, seque cum suorum scholasticorum nonnullis in Asia a Judæo quodam multa didicisse narrat. Verba ejus quippe prolixa, adscribere non lubet. Clemens Alex. lib. I. Strom. hæc præterea addit, quæ Iosephus non ha-

P bet:

bet: Κλέαρχος ὁ Περιπατητικὸς εἰδέναι φησί τινα Ἰουδαῖον, ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο. *Clearchus Peripateticus, Iudaeum se novisse dicit, qui cum Aristotele fuerit conversatus.* Eusebius, lib. IX. de præp. Evang. e Josepho & Clemente, quæ adduximus verba repetit. Petrus Cunæus lib. I. de Rep. Hebr. cap. 4. Aristotelem false nimis & temere perstringit, quod hic apud Clearchum statuat, Judæos ab Indiæ sapientibus esse propagatos. Verba Cunæi hæc sunt: *Portentosum est, & cum summa inscitia conjunctum, quod Aristoteles apud Clearchum autumavit: Judaeos esse ab India sapientibus propagatos, sed nomen mutavisse. Quippe philosophos illos, qui apud Indos Callani adpellantur, in cava Syria Judaeos dici. Pudet me anilitatis, adeo hoc nihili est.*

2. Ut autem constet, quid de his sentiendum sit, notandum (1) Clearchi plurimos quidem libros passim ab auctoribus citari. Librorum περὶ σκελετῶν secundum, laudat Athenæus, IX, 13. Ex iisdem omnino sunt, quæ habet Pollux II, 4. §. 31. & alibi. ἐρωτικὰ ejus citat Athenæus XII, 12. XIII, 2. 4. 6. 7. *Primum* eorum citat idem XIII, 7. XIV, 3. XV, 3. *Secundum* idem, XIV, 9. περὶ γρίφων citat idem X, 15. 16. 19. 20. 21. 22. ex hoc opere petita sunt, quæ de ænigmate ex Clearcho tradit Eustathius Il. θ fol. DXCIX. librum primum περὶ Φιγαλίας, Athenæus XII, 8. περὶ γραφῶν idem VII, 1. XIV, 3. 16. nisi forte pro γραφῶν legendum γρίφων. περὶ παροιμιῶν idem IV, 16. VII, 8, 19. X, 22. (ubi de griphis egisse indicatur, ut hic liber vix diversus sit ab eo περὶ γρίφων) XIII, 1. XV, 10. περὶ τῶν ἐν τῷ ὑγρῷ idem VII, 19. περὶ παιδείας Hesychio μανέρως. περὶ τοῦ πανικοῦ, τακτικὰ, περὶ θινῶν, περὶ νάρκης, περὶ φιλίας alibi. Librum vero ejus περὶ ὕπνου, apud solum Josephum, & qui eum sequuntur, memorari observamus.

(2) Cum jam a multis annis Aristotelis familiares, quorum apud scriptores facta est mentio, notaverim, Hyperochidem tamen non nisi apud Josephum observo, cæteris omnibus ignotum. Hyperochidem quendam memorat Thucydides l. 6. sed nihil hoc ad nostrum.

(3) Vox σχολαστικῶν in ea, qua usurpatur, significatione vix legitur apud antiquos, & ætatem sapit inferiorem. Neque enim loca, in quibus juvenes erudiebantur, scholas Aristotelis ævo memini dicta esse, neque

neque eos qui docebantur, scholasticos. In exedris, diatribis, Athenæis, leschis, didascaliis, Lyceo, Academia, peripato pueros esse informatos novi, scholarum mentionem factam nondum observavi. Apostolius proverb. λέσχη ἐγκάθη. ἐπὶ τῶν διαλεγομένων καὶ φιλοσοφούντων. Τὸ γὰρ παλαιὸν, αἱ καθέδραι, καὶ οἱ τόποι, ἐν οἷς εἰώθασιν ἀθροιζόμενοι φιλοσοφεῖν λέσχαι ἐκαλοῦντο· οὕτω φησὶ καὶ Ἱεροκλῆς ἐν πρώτῃ φιλοσοφουμένων. Minus vero notum σχολαστικὸς pro *discipulus*, vel *qui informatur in schola.* Quod Theophrastus epistola quadam σχολαστικὸν usurpaverit, indicat Laertius lib. V. Th. verum suspectæ sunt pleræque antiquorum epistolæ: & licet genuina esset epistola, tanquam insolens vocabulum adducitur.

(4) Voces Ἰουδαῖος, Ἰουδαία, Ἱερουσαλήμ, Aristoteli & æqualibus ei scriptoribus, & multo magis antiquioribus ignotæ sunt, & frustra eas in illis quæsiveris. Palæstinæ tamen & mortui maris meminit Philosophus lib. II. Meteor. c. 3. Josephus, ut antiquitatem aliquam suæ genti conciliet, sine delectu, quod vel speciem veri habet, adducit. Quid enim σόλυμοι gentilium ad solyma Palæstinæ?

(5) Cum multi Aristotelis vitam & res gestas descripserint, ejus tamen historiæ nullam præter Josephum, & qui eum sequuntur, mentionem quisquam ullibi facit. Laertius lib. V. ubi studiose ea, quibus Aristotelis vita inlustrari posset, adfert, silentio illam præterit, certo argumento de Aristotele Stagirita eam non esse intelligendam. Idem Laertius præfatione sic loquitur: Κλέαρχος ὁ Σολεὺς ἐν τῷ περὶ παιδείας, καὶ τοὺς γυμνοσοφιστὰς ἀπογόνους εἶναι τῶν Μάγων φησίν. Ἔνιοι δὲ καὶ τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τούτων εἶναι. *Clearchus Solensis L. de disciplina, etiam gymnosophistas a Magis descendisse adseverat. Quidam etiam Judæos ex iis originem duxisse tradunt.* Certum est, Aristotelis gravissimi auctoris testimonio hanc sententiam probaturum fuisse Laertium, si ipsi quidquam vel de ista fabula constitisset, vel eam genuinam judicasset. Idem Laertius lib. II. Socr. φησὶ δ' Ἀριστοτέλης, Μάγον τινὰ ἐλθόντα ἐκ Συρίας εἰς Ἀθήνας, τά τε ἄλλα καταγνῶναι τοῦ Σωκράτους καὶ δὴ καὶ βίαιον ἔσεσθαι τὴν τελευτὴν αὐτῷ. *Refert Aristoteles, Magum quendam ex Syria profectum Athenas, Socratem pluribus in rebus reprehendisse, violentamque illi mortem prædixisse.* Credo hæc ex Aristotelis

Magico,* quod idem præfatione citat, petita esse: qui liber non Aristotelis, sed incerti auctoris est, teste Suida Ἀντισθένης, e quo omnino sua hausit Clearchus. Latina versione Josephi verborum istorum, quæ citavimus, nonnulla male distinguente, seducti sunt Ficinus & Genebrardus, ut Aristotelem Judæum fuisse statuerent. Antiqua Trapezunti versio pro verbis illis ita distinctis: *Atque ille, inquit Aristoteles, Judaus erat,* hanc pravam distinctionem adhibuit: *Atque ille, inquit, Aristoteles Judaus erat.* Pessime! Hinc Marsilius Ficinus lib. de Christ. Relig. c. 16. *Clearchus,* inquit, *Peripateticus scribit Aristotelem fuisse Judaum.* Et Genebrardus ad A. M. MMDCLXX. *Ea de caussa fortasse Clearchus Peripateticus scripsit Aristotelem fuisse Judaum.*

(6) Tandem ista Josephi fabula aliis contradicit, cum Aristoteles nunquam peragratus sit Asiam. Equidem non ignoro, Solinum cap. 14. & Ammonium vita Aristotelis statuere, Alexandro M. comitem expeditionis Aristotelem fuisse, eamque sententiam confirmat liber Quæstionum Babylonicarum spurius, quem Aristoteli tribuit Guevara Horolog. Principum lib. II, cap. 27. Multos sane doctos viros Alexander Magnus comites habuit Callisthenem, Anaxarchum Eudæmonicum, (qui Dalechampio interpreti Anaxander perperam apud Athenæum VI, 13. dicitur) Craterum, Æschriona, Androsthenem, Aristobulum, Clitarchum, Anaximenem Lampsacenum,** Nearchum, Onesicritum & plures. Aristotelem vero, qui Alexandro comitem jungat præter eos, quos indicavi, reperies neminem. Erroris autem hos convincit Chronologia vitæ Aristotelis plurimorum auctorum gravissimorum testimonio atque consensu firmata, quæ Aristotelem Athenis docuisse refert, cum Alexander Asiam sibi subjugaret. Sed tantum de ista fabula, quæ sive Clearchi cujusdam, sive alterius sit, ejus certe non est, qui Aristoteli æqualis fuit. Multi enim fuere Clearchi. Sic Plutarchus lib. *de facie in luna,* Clearchum quendam cum Aristotele loquentem inducit, non illo antiquo, sed juniore quodam Peripatetico.

3. Extremis Ptolemæi Lagi temporibus celebris erat Demetrius Phalereus, Himeræi, ab Antipatro occisi frater, juxta Plutarchum, *Demosth-*

* *quod de Zoroastre & Magia circumferebatur.*
** *supra p. 58.*

mosth. Philosophus Peripateticus, Theophrasti auditor, Menandri Comici Olymp. CIX, 3. nati, & Dinarchi rhetoris familiaris fuit. Frustra nonnulli credunt a Josepho seducti (quod dudum jam Scaliger monuit) hunc Demetrium Alexandrinæ bibliothecæ sub Philadelpho Ptolemæo fuisse præfectum, ejusque suasu Biblia Hebræa in Græcum sermonem translata. Demetrius enim Phalereus ubi per decennium Atheniensium Reip. quæ sub Cassandri potestate erat, tanta cum laude præfuisset, ut CCCLX statuas

Quot luces habet annus absolutus

juxta Varronem hebdomadum opere apud Nonium, ei locandas populus decreverit, conversis post rebus & Athenis Olymp. CXVIII, 1. a Demetrio Poliorcete Antigoni filio & duce occupatis statuæ ejus dejectæ sunt, & ipse capitis absens damnatus ad Ptolemæum Lagiden in Ægyptum fugit. Huic cum consuluisset, ut filium ex Eurydice natum Ptolemæum Κεραυνὸν, neglecto altero filio Philadelpho, quem e Beronice susceperat, regni successorem constitueret, nihilque suo consilio profecisset, a Philadelpho regni successore post matris mortem in provinciam relegatur: in qua cum graviori pœnæ reservaretur, aspidis morsu misere interiit. Neque series & ordo successionis in bibliotheca Alexandrina Josephi sententiam probat, quam hic damus.

Demetrius Phalereus
Tertullianus adv. Gentes c. 18.
sub Lagide.
|
Zenodotus Ephesius
sub eodem Lagide teste Suida Ζην.
|
Eratosthenes,
sub Evergete: Suidas.
|
Apollonius,

sub Evergete, Suidas.

|

Aristonymus,
sub Evergete, non Philadelpho, ut Suidæ codices legunt, nisi fortassis pro Philadelphus legendum Philopator.

|

Chæremon
Stoicus sub Tiberio. Suidas.

|

Dionysius
Alexandrinus sub Nerone, Suidas.

4. Scripsit plurima, quæ recenset Laertius lib. V. Dem. Quanquam ἡ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφὴ in hoc catalogo a Laertio est oblivione quadam prætermissa, quam non modo ipse alibi citat lib. I. *Thal.* & lib. II. *Anax.* sed & Plutarchus *Aristide* Scholiast. Aristoph. Νεφελ. fol. CXXV. Scripsit περὶ ποιητῶν, *de poetis*, teste Suida Δημητρ. Tzetzes ad Lycophrona præfatione. Ejus *de Antiphane* librum memorat Laertius lib. V. *Demetr.* incertum est, quem librum illius signet. Cicero lib. II. de LL. *Posteaquam, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt.* De *Socrate* etiam librum scripsit, teste Laertio lib. V. *Dem.* Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει, ait Plutarchus *Aristide, p.* ubi quædam inde adfert, quod etiam facit Laertius lib. II. *Socrate,* & lib. IX. *Heracl.* ubi ἡ Σωκράτους ἀπολογία dicitur & *Diog.* Ejusdem libri meminit iterum Plutarchus vita Solonis & Demosthenis in parall. maj. Neque alium intelligit librum Athenæus XIII, 1. ubi Socratem duas uxores habuisse refert e Callisthene, Demetrio Phalereo, Satyro Peripatetico, Aristoxeno, quos ab Aristotele ad id statuendum provocatos scribit, qui libro περὶ εὐγενείας id tradiderit: e quo Aristotelis libro id citat Plutarchus parall. maj. vita

Ari-

Aristidis f. de Demosthene egit teste Cicerone lib. de petitione Consulatus. *Ejus facultatis adjumenta, quæ tibi scio esse seposita, ut parata ac promta sint, cura: & sæpe quæ de Demosthenis studio & exercitatione scripsit Demetrius, recordare.* Non pauca ex eo opere promit Plutarchus *parall. Dem.* Demetrium Phalereum Judæorum meminisse tradit Josephus lib. I. *de antiqu. gentis Jud.* Clemens Strom. I. eum Demetrium ἁπλῶς nominat, eique tribuit librum de Regibus Judæorum. Hieronymus de script. Ecclesf. in *Clemente* itidem Demetrium eum nominat sine addito. Demetrium quendam de Judæorum Regibus scripsisse credo Clementi: Phalereum ejus libri auctorem esse, Josepho non credo: sed glossematis loco habendam esse vocem *Phalereus* adserere malim: vel junior fuerit Demetrius Phalereus & a priore diversus. Vide Vossium de Hist. Gr. lib. III. Alium quoque esse Demetrium Phalereum oportet, qui de Nicandro egit, si verba sunt sana apud Stephanum χορόπη.

CAPUT XIX.

1. Alexis de Pythagora & Pythagoreis. 2. Xanthus Musicus de Empedocle & Lesche poetis egit. Parvæ Iliadis auctor. Xanthus Lydus alius, cujus scripta aliis notha visa. Vossii error. 3. Hecatæus de Ægyptiorum philosophia, a quo Pyrrhonius ille Hecatæus forte diversus. 4. Berosus de Chaldæorum philosophia scripsit. 5. Lycus sola Pythagoræ mentione hic locum vix meretur.

1.

Sequitur Alexis, Poeta Comicus, de cujus ætate vel ex eo constare potest, quod exilii philosophorum circa hæc tempora meminerit. Verba ejus ex *Equo* fabula hæc habet Athenæus XIII, 9.

Τȣ̃τ' ἐςιν Ακαδημία, τȣ̃το Ξενοκράτης·
Πολλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ,
Καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τȣ̀ς τὰς τῶν λόγων.
Ως Φασί, δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις,
Ες κόρακας αἴρειν Φασὶν ἐκ τῆς Αττικῆς.

Academia hoc est, hoc Xenocrates;
Demetrium bonis multis dii cumulent,
Ac legumlatores, quod eos, qui verborum,
Vt ajunt, facultatem juvenes docent,
Iusserunt in malam crucem abire ex Attica.

Intelligitur autem Demetrius Antigoni filius, Poliorcetes dictus: pulso enim Athenis Olymp. CXVIII, 1. Demetrio Phalereo, & libertate populo Atheniensi per Demetrium Poliorceten reddita, cum in profugum & absentem Phalereum sæviri non poterat, statuæ ejus dejectæ, & philosophi, quorum fuerat patronus, ipse quippe philosophus, exulare jussi sunt. At Xenocrates vixit, dices, cum exularent philosophi, teste Alexide: cum vero Xenocrates Olymp. CXVI, 1. decesserit, aliud fuerit, necesse est, philosophorum exilium, de quo Alexis loquitur, atque id, quod post pulsum Olymp. CXVIII. Demetrium Phalereum contigit. Sed non constat de mente Alexidis, de vivo loquatur Xenocrate an de pictura ejus. Utcunque ea sint, nihil decedit nostræ de Alexidis ætate sententiæ, quam inde insuper conligimus, quod Menandri Olymp. CXXII. juxta Eusebium mortui fuerit patruus, juxta quosdam apud Suidam. Historiæ Pythagoricæ scriptis suis aliquod adjumentum adferre voluit. Gellius Noct. Att. IV, 11. de eo: *Alexis poeta in comœdia, qua Pythagora vita inscribitur, docet.* Athenæus quoque lib. III, cap. 34. ex eadem omnino comœdia, sed titulo *Pythagorizusa*, nonulla de Pythagoreis adducit. Est qui Gellium hic ex Athenæo corrigendum censeat, neque magnopere repugno. Utrolibet autem modo inscripta fuerit comœdia, Pythagoræ tamen & Pythagoreorum vitam atque mores comicus ea exposuit & traduxit. Idem Athenæus lib. IV. δειπνοσοφιςῶν cap. 17. pluscula de Pythagoreorum vita & victu ex eodem adfert, quæ, quod prolixa sint, apponere non lubet. Item forte est Alexis Platonis παιδικὰ apud Laertium, Lib. III.

Apu-

Apulejum *Apologia*, Alexin libertum memorat Cicero ad Attic. V, 20. VII, 2.

2. Xanthus, Musicus Atheniensis, Theophrasti æqualis, & Arcesilai Pitanæi magister, teste Laertio lib. IV, *Arces.* Hic omnino est, qui historiam eruditorum scripsit. Ejus de Empedocle Pythagoreo laudat Laertius lib. VIII, *Emped.* De Lesche quædam ex eo adfert Clemens Alex. lib. I. Strom. Dicitur autem Lesches ille Æschyleni F. Pyrrhæus & Lesbius, quod e Pyrrha Lesbi civitate, quæ mari, teste Plinio Hist. Nat. II, 92. & V, 31. fuit hausta, oriundus esset. Fuit poeta Græcus, & scripsit Ἰλίυ πέρσιν, *Ilii devastationem*, teste Pausania, Phocicis & Bœoticis. Meminit Ἰλίυ πέρσεως Aristoteles, libro de poetica superstite, (reliqui enim interiere) c. 23. Eusebius Chronicis num. Abrahamæo MCCCLX, & Scholiastes Pindari Νημονικῶν VI. cujusmodi Ἰλιο πέρσιδα scripsit Sacadas Argivus, teste Athenæo XIII, 9. Parvæ Iliados auctorem Leschen quidam fuisse credunt, sed verius illius auctor Stasinus ab aliis statuitur. Fuit præter hunc Xanthus quidam Lydus antiquior Olymp. LXX. celebris, qui Lydiaca scripsit, quorum librum *primum* citat Stephanus Λυδία: *secundum*, Hesychius Milesius Ξάνθος. *Tertium*, Stephanus vel rectius Hermolaus Βυπάτεια. *Quartum*, idem. Σιδήνη. Plura vide apud Vossium de Hist. Gr. I, 2. IV, 5. Verum Xanthi hujus antiqui scripta supposititia esse habita, verumque eorum auctorem fuisse Dionysium Scythobrachiona, judicavit Artemo Cassandreus ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς βιβλίων, *libro, quo libros quosque ad suos auctores retulit*, apud Athenæum libro XII. Huic prisco Xantho historiam eruditorum tribuit Vossius loco posteriore citato. Sed cum Empedocles Olymp. LXXXIV. demum floruerit, vix temporis ratio admittet, ut Empedoclis historiam prisco Xantho tribuamus. Dici posset, Xanthum Lydum, cui *Magica* tribuit Laertius proœm. & Clemens lib. III. Strom. de Empedocle Mago in Magicis suis egisse. Sed quid fiet de Lesche, quem Magum fuisse non constat? Laertius etiam expresse lib. VIII. Ξάνθος ἐν τοῖς περὶ αὐτοῦ: Neque ætas tamen admittet, ut de Empedocle Xanthus egisse dicatur.

3. Hecatæus Abderita, omnino περὶ τῆς Αἰγυπτίων φιλοσοφίας aliquot libros vulgavit, e quorum *primo* Laertius præfat. adducit, Ægyptios solem & lunam per scarabeum, draconem, accipitrem, aliaque animalia indicare solitos fuisse. Indidem omnino hausit Laertius

ea, quæ de diis ex magorum sententia genitis ibidem habet. Eundem esse credo Hecatæum, qui sub Ptolomæo Lagi historias Ægyptiacas scripsit, teste Diodoro I, 46. Hecatæum Abderitam, Pyrrhonis philosophi discipulum facit Laertius, lib. IX, *Pyrrh.* Philosophum eum fuisse, & *ἐπὶ τῶν διαδοχῶν*, *sub successoribus* Alexandri scilicet vixisse, tradit Suidas. Potest hic cum priore esse idem, cum tempora non plane repugnent, sed minus dubii erit, si distinguantur. *

4. Berosus, qui paullo post Aristotelis tempora floruit, inter alia quoque de Chaldæorum philosophia scripsit, teste Josepho lib. I. de antiq. gentis Jud. plura de Beroso suggerent Fridericus Tilemannus, historiarum & antiquitatum in Academia Wittebergensi Professor quondam celeberrimus, erudito *discursu philologico de historicorum delectu*, folio LXXVI & seq. Vossius lib. I. de Hist. Gr. cap. 13. cœterique eorum, quæ Annius ille paucis quibusdam antiquis fragmentis inepte assuit & addidit censores.

5. Lycus Rheginus, Peripateticus fuit, teste Clemente lib. I. Strom. & pater Lycophronis (de quo post dicemus) teste Suida *λύκος*. Scripsit de Pythagora, non peculiari opusculo, sed libro quarto historiarum suarum, unde nonnihil citat Malchus, sive Porphyrius vita Pythagoræ. Quare cum mittamus, ne, si ob Pythagoræ mentionem locum hic habeat Lycus, innumeri alii eundem simili jure sibi poscant.

Caput

---

* *Sed Hecataeum Abderitam noli confundere cum Hecataeo Milesio, quem integris seculis tribus antiquiorem fuisse, sub que Cyro & Cambyse floruisse, Lambecius in Prodromo Hist. Litt. notat.*
Hecataei Eritreensis meminit Jonsius, Lib. II, cap. 2. §. 3.

CAPUT XX.

1. Epicurus περὶ αἱρέσεων, de electionibus scripsit. Platonis, Aristotelis, aliorumque philosophorum vitia exposuisse creditus est. 2. Ei multa a Stoicis falso tributa, propter quæ male audit. Cicero spuriis istis cum fidem prorsus abrogare nollet, hæret, & ne ipse hærere videatur, Epicurum inconstantiæ insimulat. 3. Metrodorus, Atheniensis, an Lampsacenus fuerit, inquiritur. Laertii codices contra Casaubonum defenduntur. Vossii error. Gemina quorundam patria. 4. Scripsit Metrodorus de morbo Epicuri, de poetis adversus Sophistas. Megaricos & Democritum. Galeni codices mendo liberantur. Varii Metrodori. Epicureorum successio additur.

1.

EPicurus Gargettius, Atheniensis, philosophus satis celebris, & si Chrysippum excipias, plurimæ scriptionis, natus est Olymp. CIX, 3. obiit anno LXXII. ætatis, Olymp. CXXVII, 2. Archonte Pytharato, teste Cicerone lib. de fato, ut ita circa extrema Lagidæ tempora maxime floruerit. Scripsit περὶ αἱρέσεων, *de sectis* librum,* quem non modo inter ejus libros

* *Emendant hic Nostrum Gassendus, Menagius, Stanlejus, alii. Hi locum istum non* de sectis, *sed* de electionibus *interpretantur, quo libro videlicet Epicurus non aliquam sectarum historiam, sed optimos mores instituendi consilium dedisset, confer pluribus Menagium in h.l. & Stanlejum in suo de sectis & vitis Philosoph. L. Majori itaque jure spectare huc videntur ejusdem* πρὸς Μητρόδωρον *Liber, apud*

bros enumerat, sed ex eodem locum adfert Laertius, lib. X, 27. Epistola quoque *περὶ ἐπιτηδευμάτων, de vivendi ratione*, multa de Aristotele tradidit minime probanda, cujus meminit Aristocles lib. VII. de philosophia apud Eusebium, lib. XV. de præp. Evang. cap. 1. & ante eum Athen. lib. VIII. Deipn. cap. 13. Eodem respexit Plutarchus *L. quod non possit suav. viv. juc. sec. Epic.* Τὰ γὰρ ἐν ἀνθρώποις αἴσχιστα ῥήματα, βωμολοχίας, ληκυθισμοὺς, ἀλαζονείας, ἑταιρήσεις, ἀνδροφονίας, βαρυστόνους, πολυφθόρους, βαρυεγκεφάλους συναγαγόντες, Ἀριστοτέλους, καὶ Σωκράτους, καὶ Πυθαγόρου, καὶ Πρωταγόρου, καὶ Θεοφράστου, καὶ Ἡρακλείδου, καὶ Ἱππάρχου, καὶ τίνος γὰρ οὐχὶ τῶν ἐπιφανῶν κατεσκέδασαν, ὥστε εἰ καὶ τὰ ἄλλα πάντα σοφῶς εἶχεν αὐτοῖς, διὰ τὰς βλασφημίας ταύτας καὶ κατηγορίας, πορρωτάτω σοφίας ἂν εἴργεσθαι. *Congesta enim in unum, quæ inter homines habentur fœdissima vocabula, scurrilitates, ampullas, arrogantias, scortationes, homicidia, graves gemitus, multorum perditionem, cerebri gravedines, in Aristotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophrastum, Heraclidem, Hipparchum, denique neminem non virorum inlustrium effuderunt universa, ut, si alioquin omnia sapienter statuissent, certe ob maledicta hæc, hasque criminationes longissime fuerunt a sapientia arcendi.* Epicuri librum secundum contra Theophrastum, citat Plutarch, contra Coloten. Epicurum Platoni & Aristoteli infensum fuisse, nos docet Sextus Empiricus, præfatione contra Mathematicos, *Aristotelicis Epicurei & Epicureis Stoici contradicunt*, ait idem lib. I. de philosoph. confer Proclum comment. III. in Icario Euclidis.

2. Verum ut hæc simpliciter negari nequeant, minime tamen diffitendum est, Stoicos, ut Epicurum fugillarent & exosum redderent, multa in eum confinxisse commenta. *Inter Stoicos & Epicuri sectam sequutos, pugna perpetua est*, ait Quintil. lib. V. Instit. Orat. c. 7. Erat autem

---

Laertium IX, 28. in quo vita Mitrodori historiam Epicurum exposuisse laudatus Stanlejus colligit: inprimis illud πρὸς Θεόφραστον, *adversus* Theophrastum *opus, præcipuum scilicet Aristotelis discipulum & successorem; quod variis constitisse libris aparet ex eo, quod* τοῦ δευτέρου *meminit Plutarchus.*

autem Stoicorum magna olim frequentia.* *Iis, qui in unaquaque philosophantur haresi, sunt plures, qui in philosophia Stoicam sectantur haresin*, ait Sextus Empiricus, lib. I. de philos. Laertius lib. X. ubi de Epicuro agit, Diotimum I. lascivas veluti ab Epicuro scriptas epistolas edidisse tradit, de quo in *Diotimus*. Depromit inde nonnulla in philosophos convitia Laertius, & quidem ex ejus epistola περὶ ἐπιτηδευμάτων, ut Athenæus infra docebit. Sed addit: *insanire eos, qui ita de Epicuro sentiant, quippe qui in quosvis gratus, gravis item atque honestus fuerit, cujus innumeri discipuli & perpetua in schola successio, caeterorum philosophorum successione deficiente invidiam ipsi conflaverint.* Hesychius quoque Epicurum non suis vitiis, sed convitiis aliorum obrutum male audire, perspicue indicat. Ἐπίκουρον τινες διαβάλλοντές φασι, & sic plura. Epicuro quædam fuisse supposita, quæ in genuinis ejus scriptis non exstarent, indicat Theo, progym. cap. 2. Ciceroni quoque hic dolus suboluisse videtur, qui lib. II. de Finibus: *At coluit Epicurus amicitias: quasi quis illum neget & bonum virum, & comem, & humanum fuisse, de ingenio ejus in his disputationibus quaeritur, non de moribus. Sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt: sed quamvis comis in amicis tuendis fuerit; tamen si hac vera sunt, nihil enim adfirmo — — Ac mihi quidem quod & ipse bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt & hodie, & in amicitiis fideles, & in omni vita constantes & graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes.* Ita Cicero de Epicuro, de cujus epistola quadam idem porro agit, & de testamento ejus supposito addit: *Ejusdem testamentum non solum a philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia judico discrepare.* Recte ita judicat orator de eo, cujus *summorum officiorum in extremo spiritu conservationem* paullo ante commendaverat. Laudat eundem lib. V. Tusc. Quæst. Sed cum suppositititias istas epistolas pro veris haberet, inconstantiæ eum simul arguit: *an malumus, inquit, Epicurum imitari? qui multa praclare sape dicit: quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum — — negat quemquam jucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter,* juste

* *vide L. II, cap. 18. 1.*

bros enumerat, sed ex eodem locum adfert Laertius, lib. X, 27. Epistola quoque *περὶ ἐπιτηδευμάτων, de vivendi ratione*, multa de Aristotele tradidit minime probanda, cujus meminit Aristocles lib. VII. de philosophia apud Eusebium, lib. XV. de præp. Evang. cap. 1. & ante eum Athen. lib. VIII. Deipn. cap. 13. Eodem respexit Plutarchus *L. quod non possit suav. viv. juc. sec. Epic.* Τὰ γὰρ ἐν ἀνθρώποις αἴσχιστα ῥήματα, βωμολοχίας, ληκυθισμοὺς, ἀλαζονείας, ἑταιρήσεις, ἀνδροφονίας, βαρυστόνους, πολυφθόρους, βαρυεγκεφάλους συναγαγόντες, Ἀριστοτέλους, καὶ Σωκράτους, καὶ Πυθαγόρου, καὶ Πρωταγόρου, καὶ Θεοφράστου, καὶ Ἡρακλείδου, καὶ Ἱππάρχου, καὶ τίνος γὰρ οὐχὶ τῶν ἐπιφανῶν κατεσκέδασαν, ὥστεν εἰ καὶ τὰ ἄλλα πάντα σοφῶς εἶχεν αὐτοῖς, διὰ τὰς βλασφημίας ταύτας καὶ κατηγορίας, πορρωτάτω σοφίας ἂν εἴργεσθαι. *Congesta enim in unum, quæ inter homines habentur fœdissima vocabula, scurrilitates, ampullas, arrogantias, scortationes, homicidia, graves gemitus, multorum perditionem, cerebri gravedines, in Aristotelem, Socratem, Pythagoram, Protagoram, Theophrastum, Heraclidem, Hipparchum, denique neminem non virorum inlustrium effuderunt universa, ut, si alioquin omnia sapienter statuissent, certe ob maledicta hæc, hasque criminationes longissime fuerunt a sapientia arcendi.* Epicuri librum secundum contra Theophrastum, citat Plutarch. contra Coloten. Epicurum Platoni & Aristoteli infensum fuisse, nos docet Sextus Empiricus, præfatione contra Mathematicos, *Aristotelicis Epicurei & Epicureis Stoici contradicunt*, ait idem lib. I. de philosoph. confer Proclum comment. III, in Icario Euclidis.

2. Verum ut hæc simpliciter negari nequeant, minime tamen diffitendum est, Stoicos, ut Epicurum sugillarent & exosum redderent, multa in eum confinxisse commenta. *Inter Stoicos & Epicuri sectam sequutos, pugna perpetua est*, ait Quintil. lib. V. Instit. Orat. c. 7. Erat autem

Laertium IX, 28. in quo vita Mitrodori historiam Epicurum exposuisse laudatus Stanlejus conligit: inprimis illud πρὸς Θεόφραστον, *adversus* Theophrastum *opus, præcipuum scilicet Aristotelis discipulum & successorem; quod variis constitisse libris aparet ex eo, quod* τοῦ δευτέρου *meminit Plutarchus.*

autem Stoicorum magna olim frequentia.* *Iis, qui in unaquaque philosophantur haeresi, sunt plures, qui in philosophia Stoicam sectantur haeresin*, ait Sextus Empiricus, lib. I. de philos. Laertius lib. X. ubi de Epicuro agit, Diotimum I. lascivas veluti ab Epicuro scriptas epistolas edidisse tradit, de quo in *Diotimus*. Depromit inde nonnulla in philosophos convitia Laertius, & quidem ex ejus epistola περὶ ἐπιτηδευμάτων, ut Athenaeus infra docebit. Sed addit: *insanire eos, qui ita de Epicuro sentiant, quippe qui in quosvis gratus, gravis item atque honestus fuerit, cujus innumeri discipuli & perpetua in schola successio, caeterorum philosophorum successione deficiente invidiam ipsi conflaverint.* Hesychius quoque Epicurum non suis vitiis, sed convitiis aliorum obrutum male audire, perspicue indicat. Ἐπίκουρόν τινες διαβάλλοντές φασι, & sic plura. Epicuro quaedam fuisse supposita, quae in genuinis ejus scriptis non exstarent, indicat Theo, progym. cap. 2. Ciceroni quoque hic dolus suboluisse videtur, qui lib. II. de Finibus: *At coluit Epicurus amicitias: quasi quis illum neget & bonum virum, & comem, & humanum fuisse, de ingenio ejus in his disputationibus quaeritur, non de moribus. Sit ista in Graecorum levitate perversitas, qui maledictis insectantur eos, a quibus de veritate dissentiunt: sed quamvis comis in amicis tuendis fuerit; tamen si haec vera sunt, nihil enim adfirmo -- -- Ac mihi quidem quod & ipse bonus vir fuit, & multi Epicurei fuerunt & hodie, & in amicitiis fideles, & in omni vita constantes & graves, nec voluptate, sed officio consilia moderantes.* Ita Cicero de Epicuro, de cujus epistola quadam idem porro agit, & de testamento ejus supposito addit: *Ejusdem testamentum non solum a philosophi gravitate, sed etiam ab ipsius sententia judicio discrepare.* Recte ita judicat orator de eo, cujus *summorum officiorum in extremo spiritu conservationem* paullo ante commendaverat. Laudat eundem lib. V. Tusc. Quaest. Sed cum supposititias istas epistolas pro veris haberet, inconstantiae eum simul arguit: *an malumus*, inquit, *Epicurum imitari? qui multa praeclare saepe dicit: quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat. Laudat tenuem victum -- -- negat quemquam jucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter, juste.*

* vide L. II, cap. 18. 1.

justeque vivat, nihil gravius, nihil philosophia dignius, & sic porro. Athenæus VIII, 13. ex ista περὶ ἐπιτηδευμάτων epistola eadem, quæ Laertius, de Aristotele adfert convitia: miratur vero solum Epicurum ea tradidisse, cum ignorentur a Cephisodoro & Eubulide Aristotelis æqualibus, qui multos libros contra Aristotelem scripserunt. Aristocles Peripateticus lib. VII. de philosophia apud Eusebium de præp. Evang. XV, 1. eadem in Aristotelem convitia ex Epicuri ista supposititia epistola adfert, sed fieri non potuisse, ut ea patraret Aristoteles, indicat, siquidem & historiarum & temporis aliqua ratio sit habenda. Et sane hæc convitia in Aristotelem minime convenire & temporis repugnantia & philosophi vita honestissima docet, de quibus historia nostra Peripatetica pluribus aliquando, si Deo visum fuerit. Nihil vero moramur vel Cottam Academicum apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deor. cap. 33. vel Epictetum Stoicum apud Laertium lib. X. vel alios calumniandi libidine turgidos, qui ut Epicurum & Epicureos supprimerent, & exosos redderent, fictas istas epistolas pro veris habuerunt, commodissimam calumniandi & supprimendi eos occasionem se jam nactos rati, si quæ mendacia exstarent dubia, suo testimonio confirmarent. Sed vide quæ pro Epicuro dixit Petrus Gassendus. *

3. Metrodorus Epicuro magistro suo proximus sit, quem Atheniensem fuisse alii adfirmant, alii negant. ** Horum e numero est Cicero, qui lib. V. Tusc. Quæst. *Qui enim beatior Epicurus, quod in patria vivebat, quam Metrodorus, quo Athenis?* Strabo quoque lib. XIII. Geogr. Ἐκ Λαμψάκου δὲ Χάρων τε ὁ συγγραφεύς, καὶ Ἀδείμαντος, καὶ Ἀναξιμένης, ὁ ῥήτωρ, καὶ Μητρόδωρος, ὁ τοῦ Ἐπικούρου ἑταῖρος, καὶ αὐτὸς δὲ Ἐπίκουρος, τρόπον τινὰ Λαμψακηνὸς ὑπῆρξε διατρίψας ἐν Λαμψάκῳ. *Lampsaceni fuerunt Charon, scriptor, & Adimantus, & Anaximenes, rhetor, & Metrodorus, Epicuri familiaris, & ipse Epicurus quodammodo Lampsacenus fuit, quod Lampsaci docuerit.* Sequi-

---

* *in Apologia Epicuri lib. I. capite ultimo.*

** *confer Stanlejum, p. 932.*

Sequitur hos Casaubonus, sive Hortusbonus; (ita enim Latine dici voluit) notulis elegantissimis ad Laertii lib. X. Atheniensem fuisse statuit Vossius lib. I. de Hist. Gr. cap. 21. Tametsi vero hic nullam sententiæ suæ rationem exponit, non tamen propterea crediderim absque omni ratione ita loquutum fuisse virum longe doctissimum. Quantum conjicere licet, his rationibus adductus ita sensit, Laertius lib. X. ubi de Epicuri discipulis agit, sic loquitur: Μαθητὰς δὲ ἔσχε (ὁ Ἐπίκουρος) πολλὰς μὲν, σφόδρα δὲ ἐλλογίμους. Μητρόδωρον Ἀθηναῖον, καὶ Τιμοκράτην, καὶ Σάνδην Λαμψακηνόν. *Fuerunt illi, (Epicuro) discipuli plurimi, iidemque inlustres: Metrodorus Atheniensis, Timocrates, & Sandes Lampsacenus.* Casaubonus ad hæc verba: *Atqui Metrodorum constat fuisse domo Lampsacenum. Sed puto legendum* Μητρόδωρον, Ἀθήναιον, *Athenæum.* Quasi nimirum duo citarentur, Metrodorus & Athenæus. Nos tuebimur ipsam Laertii scripturam, ubi (1) sine subdistinctionis signo (2) & sine conjunctione καὶ (3) Ἀθηναῖος legitur. Et nihil est, quod nos cogat a litera recedere: est potius, propter quod ei inhærendum. Scilicet Timocrates frater hujus Metrodori fuit Atheniensis, & quidem Ποτάμιος, juxta eundem Laertium lib. X. Erat autem Ποταμός populus Atheniensis Leontidis tribus, de quo videatur Johannes Meursius, singulari libello *de populis Attica*, pag. 107. Vossius lib. IV. de Hist. Gr. cap. 10. hunc Timocratem male Adramyttenum vocat, cum Timocrates hic Adramittenus alius omnino sit a nostro Metrodori fratre: quemadmodum & diversus est Timocrates ille Heracleota Epicureus, tempore Marci Antonini, apud Lucianum ψευδομάντις. Adversus hunc Timocratem frater Metrodorus scripsit, cujus librum πρὸς Τιμοκράτην laudant Laertius, lib. X. Plutarchus lib. *quod non possit suav. viv. sec. Epic.* itemque Proclus ad Hesiodi ἔργ. ἡ, dum Timocratem & Metrodorum Epicureos fratres scriptis inter se certasse scribit. Cicero etiam lib. I. de Nat. Deorum: *Accusat Timocratem fratrem suum Metrodorus, quod dubitet omnia, qua ad beatam vitam pertineant, ventre metiri.* Timocratem istum postea ab Epicureis defecisse, quidam statuit apud Laertium, lib. X. de quo tamen alibi nihil. Metrodorum fratrem septem ante Epicurum annis defunctum ei contradixisse, non admittit laus, quam Timocrati isti tribuit Epicurus moriturus, qui illi in testamento Metrodori liberos commendat.

Cice-

Ciceronis & Strabonis auctoritatem quod adtinet de patria Metrodori, dicendum videtur, Metrodorum Atheniensem, quod Epicurum Lampsaci docentem diu audiverit, ibique habitaverit, Lampsacenum fuisse & dictum & habitum. Unde & Strabo Epicurum quodammodo Lampsacenum esse dicit, quem Atheniensem natu esse nemo negaverit. Cicero itaque geminæ quorundam patriæ hic meminisse debebat, quam alios docet lib. II. de Legibus Att. *Numquid vos duas habetis patrias? an est illa una patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma sed Tusculum.* M. *Ego mehercule & illi & omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam natura, alteram civitatis. Vt ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi Rom. civitatem susceptus est: itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.*

4. Scripsit Metrodorus noster περὶ τῆς Επικȣ́ρȣ ἀῤῥωςίας, *de morbo Epicuri* librum, quem in ejus librorum elencho recensuit Laertius lib. X. Omisit vero ejus περὶ ποιητῶν, *de poetis* librum, e quo de Homero locum adducit Plutarchus lib. *quod non viv. juc. sec. Epic.* Ejusdem libros πρὸς τȣ̀ς σοφιςὰς, *adversus Sophistas*, quos laudat Laertius lib. X. adducit quoque Plutarchus loco citato, eundemque auctorem habet hujus & prioris περὶ ποιητῶν operis. Galenus ubi libro *de libris propriis* libros a se editos enumerat, hæc cap. 17. habet, περὶ τῶν πρὸς τȣ̀ς Σοφιςὰς, ἕν. Μητροδώρȣ ἐπιςολὴ πρὸς Κέλσον Επικȣ́ρειον. Επιςολὴ Πȣδεντιανȣ̃ Επικȣρείȣ, *de iis, quæ contra Sophistas dici possunt, liber unus. Metrodori epistola ad Celsum Epicureum. Epistola Pudentiani Epicurei.* At, cum Celsus ille circa Galeni tempora vixerit, Metrodorum tum quoque vixisse, inde sequitur. Sed noster omnino intelligitur Metrodorus, cui suam ætatem reddemus, & Galeni verba sic legemus: περὶ τῶν πρὸς τȣ̀ς Σοφιςὰς, ἐννέα Μητροδώρȣ. Επιςολὴ πρὸς Κέλσον & reliqua. Laudat enim Laertius lib. X. inter Metrodori libros πρὸς τȣ̀ς Σοφιςὰς, ἐννέα. Meminit hujus Metrodori etiam Cicero lib. II. Tusc. Qv. Plutarchus lib. quod non viv. juc. sec. Epic. Athenæus VII, 5. Clemens lib. II. V. & VI. Strom.

Plures autem fuere Metrodori, quorum *primus* esto Lampsacenus ille Anaxagoræ familiaris circa Olymp. LXXXIV, de quo alibi.

Alter est Metrodorus Chius, cujus librum *de natura* citat Cicero l. IV. Ac. Qv. quem ejusdem cum Democrito sententiæ de principiis naturæ fuisse dicit Simplicius ad lib. I. φυσ. ἀκρ. Democriti quippe discipulus fuit. Hunc & Anaxarchum Eudæmonicum & Monimum Cynicum τὸ κριτήριον sustulisse docet Sextus Empir. contra Mathemat. fol. CLIII. confer fol. CXLVI.

Tertius est Metrodorus Medicus, Chrysippi Cnidii discipulus, præceptor Erasistrati, Aristotelis Stagiritæ gener, & junioris Aristotelis pater apud Sextum Empiricum lib. adversus Mathematicos.

Quartus est ὁ θεωρηματικὸς dictus, Stilponis philosophi discipulus apud Laertium lib. II. *Stilpone.* Hic est, qui περὶ συνηθείας, *de consuetudine* scripsit, teste Athenæo, IX, 10. ad quem contra eandem consuetudinem sex Libros Chrysippus scripsit juxta Laertium lib. VII. *Chrys.* & Plutarchum *lib. de contrad. Stoicorum*, ubi Chrysippi libri contra Academicos scripti fuisse videntur. Quin quod Laertius libro VII. *Chrys.* expresse dicit, Chrysippum tum philosophari cœpisse, cum Archesilaus & Lacydes Academiæ præessent, atque ideo & contra consuetudinem & pro ipsa disseruisse, Academicorum argumentis usum. Ut ita Metrodorus hic Academicus fuerit, cujus patrocinium Plutarchus Academicus suscepisse videtur libro, περὶ συνηθείας πρὸς τὺς Στωικὺς, apud Lampriam, Catalogo librorum parentis.

Quintus Olymp. CLIV. florebat Metrodorus philosophus & pictor juxta Plinium XXXV, 11. quem medicum facit negligentia typographorum apud Vossium lib. III. de Hist. Gr. pag. 389.

Sextus est Stratonicensis, itidem Epicureus, qui postea sectæ suæ desertor, ad Academicum Carneadem transiit, teste Laertio lib. X. Alium hunc esse a primo Epicureo Metrodoro inde constat, quod Carneades Olymp. CXLI. hoc est, anno quinquagesimo octavo a morte Epicuri natus sit. Meminit hujus Stratonicensis Metrodori Cicero lib. I. de Oratore, ubi condiscipulos ejus Clitomachum, & Æschinem nominat: *bene nosse Carneadem Stratonicens Metrodorus putabatur*, ait Cicero lib. IV. Ac. Quæst. quamquam non diffiteor, Laertium sic loqui, quasi Carneades & Metrodorus hic Epicuri ætate vixissent. Non potest autem Metrodorus Stratonicensis fuisse Epicuri familiaris, cum Stratonice urbs, e qua Metrodorus oriundus, paullo ante mortem Epicuri a Seleuco Nicanore in honorem Stratonices uxoris condita fuerit.

Septimus Metrodorus sit Scepsius ille *ἀνὴρ εἰπεῖν ὐκ ἀηδὴς καὶ πολυμαθὴς*, Olymp. CLXX. celebris, occisus postea A. U. DCLXXXIII a Mithridate, teste Plutarcho *Lucullo*, Memoria hunc valuisse dicit Cicero lib. I. Tusc, Quæst.

Octavus est Metrodorus ille, de quo Cicero ad Tironem libro XVI. ep. 20. *Libros compone, videlicet cum Metrodoro lubebit, quando ejus arbitratu vivendum est.*

Nonus est Metrodorus Epicureus apud Lucianum, *Iove Tragædo*, si diversus est a nostro, de quo agimus. Alias de hujus epistola accipi posset Galeni locus citatus.

Decimus est Metrodorus ille philosophus, qui post Virgilii tempora de Astrologicis scripsisse videtur, ob locum quendam Servii ad Georgicorum lib. I. Forte idem est, quem Hieronymus Chronicis ad annum XXIV. Constantini, & Marianus Scotus ad annum XXV. ejusdem laudant: *Metrodorus philosophus agnoscitur.* Plures Metrodoros suggeret Vossius lib. III. de Histor. Græcis. pag. 389. Sed quando-

quandoquidem hoc capite de Epicuro actum est, ejus in schola Atheniensi successores addemus;

Epicurus
Obiit Olymp. CXXVII, 2.

|

Hermachus

|

Polystratus

|

Dionysius
forte ὁ μεταθέμενος.

|

Basilides

|

Apollodorus
ὁ Κηποτύραννος. Olymp. CLXVI.

|

Zeno
Sidonius Olymp. CLXXIV, quem Cicero Athenis docentem audivit.

|

Phædrus
hunc Cicero itidem docentem audivit. Vide Ciceronem lib. XIII. ep. 1. ad fam. & l. XIII. ep. 38. ad Att.

|

Patron

qui Phadro successit Olymp. CLXXVII, 3. teste Anonymo Olympiadographo. Meminit hujus Cicero lib. I. ad Qv. Fr. epist. 2. lib. XIII. epist. ad famil. 1. lib. V. ad Att. ep. 11.

FINIS LIBRI PRIMI.



IOAN.


IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ

LIBER II.

Recognitus & emendatus
a
I. C. DORNIO.



IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati
DE
SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ.
Liber Secundus.

CAPUT I.

1. Ptolemæi Philadelphi & Philadelphi plures dicti. 2. Zeno Citticus Cyprius etiam Phœnix dicitur, post poetas in Stoa Athenis docuit, unde ejus discipuli Stoici. Pythagorica scripsit. Stoicorum successio. 3. Varii Zenones, Cleanthes, Zenonis discipulus, adversus Democritum scripsit. Antipater Sidonius sive Tarsensis nonnulla dedit. 4. Idomeneus Epicureus, de inlustribus viris & de Socraticis egit. 5. Herodotus Epicuri familiaris de Epicuro. Brysones duo. Herodoti plures. Pneumatici Medici. 6. Hermachus de Empedocle. 7. Philo Dialecticus, historiam filiarum Diodori Croni reliquit. Dialectici qui. Clementi Hieronymus repugnat. Tentatur Conciliatio. Menexenus.

1. Prolo-


I.

PTolemæi Philadelphi secundi Ægyptiorum Regis ætas non pauciores scriptores tulit; neque id aliter fieri potuit: nam ut pater ejus Lagides, res gestas Alexandri scripsit, & suo exemplo plurimos ad studia colenda invitavit; sic & Philadelphus filius, paterni in litteras affectus hæres, similiter variis modis litterarum studia Alexandriæ adjutum ivit. Sed de Philadelpho nostro ea omnia cave intelligas, quæcunque de Philadelpho dicuntur, quum ejus nominis multi fuerint. Ptolemæus Philadelphus Cyrenæus, filius fuit Ptolemæi Evergetæ, primi ex Beronice uxore, teste Theophilo ad Autolycum, lib. II. Eumenes quoque Philadelphus dictus fuit, teste Stephano Ευμένεια. Attalus Philadelphus, Pergamenorum Rex, sub Ptolemæo Philometore obiit anno LXXXII. ætatis, juxta Lucianum *Macrobiis*. Ptolemæus Philadelphus dicebatur filius ille Antonii & Cleopatræ, apud Dionem Coccejum, lib. XLIX. Philadelphus quidam Paphlagoniæ Rex erat ætate Julii & Antonii, teste eodem Dione Histor. lib. L. Ptolemæus Philadelphus, philosophus fuit Pythagoricus, qui ἁρμονικὰ tribus libris exposuit, teste Macrobio lib. I. in Somn. Scip. c. 19. *Tertium* operis librum citat Scholiastes Hesiodi in Theogoniam. Idem opus signant Nicomachus lib. II. ἁρμονικῆς. Boethius & Cassiodorus libris de Musica. Beda item de Musica Theorica, de quibus Meursius ad Nicomachum fol. CLXXXV. Philadelphus Ptolemaicus Philosophus interfuit convivio illi Deipnosophistarum, de quo Athenæus præfatione.

2. Quemadmodum vero Epicurus superiorem librum claudebat, ita Stoicæ philosophiæ princeps hunc aperiet, Zenonem intelligo Cittiea, qui eadem cum Epicuro ætate vivebat, cujus & Epicurus in epistolis meminit, teste Laertio lib. VII. *Zenone* p. Sed cum Zeno Olymp. CXXIX. 1. anno XXI. Ptolemæi Philadelphi, & octavo * post defunctum Epicurum decesserit, de eo hic sub Philadelpho agere maluimus. Patriam habuit Cittium non Macedoniæ, ut Cujacius vult, lib. III. observ. cap. 38. secutus forte illos, qui Cethim vel Cithim illud Hebræorum de Macedonia interpretantur: sed Cypri insulæ oppidulum, unde ipse ὁ Κιττιεύς, Cittieus & Cittiensis, itemque Cyprius dicitur. At Phœnix dicitur? inquies. Certum est, Phœnicem eum dici, Athenæo XIII, 2.

Laer-

Laertio lib. II. *Stilp.* & lib. VII. *Zen.* p. Ζήνων, Κιττιεὺς, ἀπὸ Κύπρου, πολίσματος Ἑλληνικοῦ, Φοίνικας ἐποίκους ἐσχηκότος. *Zeno, Citiens, e Cypro, Græca civitate, Phænicum colonia.* Phœnix itaque dicitur, non quod in Phœnicia, sed ex Ph nicibus parentibus in Cypro habitantibus natus fuerit; qua ratione ntipater & Zeno Chrysippi discipulus, Tarsenses & Dorotheus, Alc. onita, Sidonii forte dicuntur, quod Sidon, Phœniciæ Metropolis, coloniam in ista loca miserit. Docuit hic Zeno Athenis in ϛοᾷ sive porticu, unde ejus discipuli ϛωϊκοὶ, Stoici dicti, sicut similiter a loco, Peripatetici a peripato, Academici ab academia, Cynici a cynosarge adpellantur. Ante Zenonem poetæ in stoa illa docuerunt, qui Stoici inde itidem sunt dicti, juxta Eratosthenem; post Zenona vero, qui Stoam cum discipulis suis occupaverat, per Stoicos intelliguntur philosophi Zenonii. Huic obtrectabat Arcesilaus, sive, ut Latinum nomen servem, Arcesilas Academicus, quod nihil novi reperiret, emendaret superiores juxta Ciceronem, lib. IV. Ac. Qv. *Polemonem audiverunt assidue Zeno & Arcesilas. Sed Zeno cum Arcesilam anteiret ætate, valdeque subtiliter dissereret & peracute moveretur, corrigere conatus est disciplinam,* ait idem lib. I. Ac. Qv.* Videtur autem & hic locum sibi vendicare opere, quod Πυθαγορικὰ, *Pythagorica* inscribebatur, teste Laertio lib. VII. *Zen.* Successionem Stoicorum hanc habe:



S Dio-

* *Ita Zenonem multis de caussis perstringebat Cassius Scepsius, eodem teste, XII, 32.*

Diogenes
Babylonius obiit Olymp. CLIX.

Antipater
Tarsensis.

Panætius.

Posidonius
Ciceronis magister.

Jason
teste Suida.

Obiit Zeno Cittieus Olymp. CXXIX, 1. juxta Eusebium & Hieronymum *Chronicis:* anno ætatis LXXVI. juxta Apostolium Ζήνων ἐγκρατέστερος, vel anno LXXII aut XCVIII (rectius forte LXXVIII) juxta alios apud Laertium lib. VII. *Zen.* & Lucianum *Macrobiis.*

3. Plures autem fuerunt Zenones, quos & hic recensebimus, memores verborum Aristotelis lib. I. Top. cap. 14. (18.) Χρήσιμον, τὸ μὲν ποσαχῶς λέγεται, ἐπεσκέφθαι, πρὸς τὸ σαφές. Μᾶλλον γὰρ ἂν τις εἰδείη τί τι θησιν, ἐμφανισθέντος τοῦ ποσαχῶς λέγεται. *Considerare quot modis quidque dicatur, utile est ad perspicuitatem. Facilius enim intelliget quispiam, quid sit id, de quo agitur, si explanatum sit, quot modis vox dicatur.*

Primus Zeno Eleates Philosophus, Parmenidis discipulus, Periclis magister Olymp. LXXVIII. floruit. Hunc nonnulli cum Zenone Cittiense Stoico pessime confundunt.

Secundus Zeno Cretensis, saltator Artaxerxi gratus, apud Ctesiam, teste Athenæo I, 19.

Tertius Zeno Phlyeius, notus est e Demosthenis orat. *pro Ctesiphonte.*

Quartus est Zeno Musæi F. Sidonius, philosophus Stoicus, Diodori Croni discipulus, magister vero Zenonis Cittiei. Scripsit *Apologiam pro Socrate & Sidonia,* teste Suida Ζήνων. Propter quam apologiam etiam ipse

ipse hic inter scriptores recenseri meretur. Sed quomodo is Stoicus philosophus esse potuit, cum discipulus ejus Zeno Cittieus primus auctor fuerit Stoicæ sectæ? Num forte idem est Zeno Musæi F. Sidonius, & Zeno Mnaseæ F. Cittieus? potest nomen patris in altero corruptum esse; potest idem Zeno Cittieus, uti Phœnix, sic etiam Sidonius dici: præsertim cum *οἱ ἐν Σιδῶνι Κιττιεῖς* nostrum Zenona Citticæ maxime coluerint. Sed sint hæc ita.

Quintus esto noster *ὁ τῆς στοᾶς κτίστωρ*, sive *κτίστης*.

Sextus, Sidonius, prioris discipulus, teste Laertio lib. VII. *Zen.*

Septimus Tarsensis, sive juxta quosdam, Sidonius Dioscoridis F. Chrysippi Tarsensis, sive Solensis discipulus & successor, teste Suida *Ζήνων*. Laudat hunc Laertius lib. VII. *Zen.* Dioscorides autem iste omnino intelligendus est, ad quem aliquot Chrysippi libri scripti leguntur apud Laertium, lib. VII. *Chrysippo.* De hoc intelligenda hæc Plutarchi lib. *de virt. Alexandri I.* verba judico. *Θαυμάζομεν τὴν Καρνεάδου δύναμιν, εἰ Κλειτόμαχον Ἀσδρούβαν καλούμενον πρότερον, καὶ Καρχηδόνιον τὸ γένος, ἑλληνίζειν ἐποίησε. Θαυμάζομεν τὴν διάθεσιν Ζήνωνος, εἰ Διογένη τὸν Βαβυλώνιον ἔπεισε φιλοσοφεῖν.* *Miramur Carneadis vim, qua Clitomachum prius Asdrubam dictum, genere Carthaginensem Græcos mores & instituta amplecti coegit. Miramur & Zenonis dispositionem, qua Diogeni Babylonio persuasit, ut philosophiæ se daret.* Eumdem credo, contra quem Carneades scripturus helleboro se prius purgabat, de quo Plinius Hist. Nat. XXV, 5. Valerius Maximus VIII, 7. Gellius XVII, 15. Fulgentius lib. I. *μυθ.* Quod tamen Chrysippo tribuit perperam Petronius in *Satyrico.* Tertullianus lib. *de anima* cap. 6. Hieronymus *comment. l. in epist. ad Galatas.* *

Octavus, Zeno, Medicus Herophileus, Laodicea ad Lycum oriundus, quem laudat Galenus lib. II. de Antidotis cap. 10. 11. glossis Hippocratis *κάμμορον* lib. IV. *de differ. puls.* cap. 8. lib. VI. *de compos. Medic. sec. gen.* cap. 10. lib. I. *de fac. medic. simpl.* cap. 27. Plinius XXII, 22. Scripserat de notarum, quæ ægrotis lib. III. *Epid. Hippocr.* adscriptæ sunt, significatione librum, quem refutavit Apollonius *ὁ βιβλᾶς*, teste Galeno

 comm.

* *quod non putat acutissimus Menagius in Observat. suis ad L. IV. Carneadis, quia idem de Chrysippo testatus sit Lucianus.*

comm. II. ad III. Epidem. & Aristoxenus Herophileus, teste eodem Galeno lib. IV. *de differ. pulſ. cap. 8.*

Nonus esto Sidonius ille Epicureus Stoicorum adversarius, cujus meminit Laertius lib. VII. *Zen.* & lib. X. *Epicur.* quem senem Athenis Cicero audivit, teste ipso de se lib. III. Tusc. Quæst. confer lib. I. de Nat. Deorum, lib. I. Acad. Quæst. lib. II. de Finibus.

Decimus sit Zeno Laodicenus ad Lycum rhetor, Augusti ætate celebris, pater Polemonis illius, qui ob honeste actam vitam rex ab Antonio & Augusto constitutus est, teste Strabone lib. XII & XIV.

Undecimus esto ille, de quo Strabo lib. I. Ζήνων ὁ ἡμέτερ☉ γράφει ἔτως· Zeno noster sic scribit:

Αἰθίοπας θ' ἱκόμην, καὶ Σιδονίες Ἄραβάς τε,

Æthiopas adii, & Sidonios, & Arabas.

confer lib. XVI. f. Sed cum Strabo *Stoicus* fuisse dicatur Stephano, Ἀμάσεια: non immerito dubitatur, annon Zeno Cittieus intelligendus sit Stoicorum princeps, cui Laertius Homerica problemata tribuit. Vel respicit Strabo Sidonia Zenonis tertii Stoici poetæ, quæ quarti esse credidit.

Duodecimus est Medicus ille ætate Plutarchi, lib. IV. sympos. cap. 4.

Decimus tertius est Zeno ille Myndius Grammaticus, notus ex Stephano μύνδ☉. Arnobio lib. XI, Clemente Protreptico, Cyrillo lib. X. contra Jul. Theodoreto serm. VIII.

Decimus quartus, Medicus fuit Alexandrinus Juliano Augusto, Oribasii Medici magister, de quo vide Eunapium, itemque epistolam Juliani de Zenone nostro.

Ultimus esto Nicandri F. apud Goltzium nummo. Plures recenset Laertius. Atque hæc de Zenone dicta sunto.

4. Eadem hæc Philadelphi tempora Epicurus ejusque discipulus Metrodorus, de quibus extremo libro priore diximus, adtigerunt. Florebat tum Idomeneus Epicuri discipulus & auditor, patria Lampsacenus, celebris Epicureus juxta Athenæum, VII, 5. & Epicuri auditor teste Laertio, lib. X. & Strabone lib. XIII. περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, *de inlustribus viris* scripsit. De *Pericle, Aristide* & *Phocione* laudat eum vitis eorum Plutarchus.

chus. De *Themistocle, Hippia* & *Hipparcho* egit, teste Athenæo XII, 8. De *Socraticis* quoque scripsit. Ἰδομενεὺς ἐν τοῖς περὶ τῶν Σωκρατικῶν, ait Diogenes, lib. II. *Socr.* confer lib. II. *Æsch.* & Athenæum XIII, 9. *Demosthenis* historiam ex eo inlustrat Plutarchus, vita *Demosth.* & Athenæus XIII, 7. de *Hyperide* rhetore eum egisse constat ex eodem Athenæo, XIII, 6. Dubito huic an alteri tribuam Τρωϊκά, quorum librum primum citat Scholiastes Apollonii ad α ἄζγον. Idomeneus & Dyctis Cretensis simul militarunt contra Trojanos: an forte ut hujus, sic & illius nomine Τρωϊκά aliquando exstitisse dicemus?

5. Herodotus, Epicuri familiaris, *de pubertate Epicuri* scripsit, teste Laertio lib. X. ubi etiam Epicuri ad Herodotum epistola exstat. Sed multi fuere Herodoti. Herodotus Heracleota, Mythologus, Brysonis Sophistæ, Aristoteli lib. III. Rhet. c. 2. l. 1. post 7 (9) lib. 1. Sophist. El. c. 10. (9.) memorati, pater citatur ab Aristotele lib. VI. de Hist. Anim. c. 5. & 9. 11. lib. III. de gener. anim. c. 5. 6. diversus autem ille Bryson est ab Achæo Brysone apud Laertium lib. VI. *Crat.* & forte etiam a Brysone (male Δρύσων dicitur apud Laertium. lib. IX. *Pyrrh.*) Clinomachis Thurii (quem alii perperam Clitomachum vocant) juxta Suidam Πύῤῥων discipulo. Hic Bryso etiam ὁ Στίλπωνος dicitur, fuitque magister Pyrrhonis, testibus Laertio & Suida locis citatis. *Herodotus* Thurius sive Halicarnasseus, historicus antiquus notus est. *Herodotus* Thebanus, Isthmiorum victor, celebratur a Pindaro, Isth. Od. 1. *Herodotus*, Democriti frater, memoratur ab Æliano Hist. Var. IV, 20. cujus tamen nomen silet Laertius, indicans quidem III fuisse fratres: Democritum, Damasum, sed tertium, quem ex Æliano jam damus, reticet. *Herodotus* quidam de Democrito quæ tradat, videri possunt apud Laertium, l. IX. Dem. *Herodotus* Logomimus teste Hegesandro, & Archelaus saltator apud Antiochum Regem in honore fuerunt, ut auctor est Athenæus I, 16. *Herodotus* Lycius, librum *de ficubus* scripsit, teste eodem, III, 3. 5. *Herodotum* Medicum Pneumaticum, memorat Galenus, de facult. simpl. medic. lib I, cap. 27. quem Agathini discipulum & Romæ celebrem fuisse indicat lib. IV. de differ. pulſ. cap. 11. Ejusmodi pneumaticus, sive potius pneumaticorum pater erat *Athenæus* Attalensis, teste Galeno lib. de dignosc. pulſ. I, 3. IV, 10. 14. lib. de compos. med. sec. gen. IX, 5. lib. de venæ sect. contra Erasistratum cap. 5. & post eum *Agathinus* apud Galenum locis duobus posterioribus jam citatis, & lib. V. de comp. med. sec. gen. c. 11. lib. I. de di-

de dignosc. pulſ. c. 3. & IV, 2. lib. III. de differ. pulſ. cap. 6. *Magnus* item teſte eodem libri jam citati, cap. 2. & *Archigenes* ibidem cap. 3. Pneumatici autem Stoicorum decreta amplectabantur, teſte eodem ibidem cap. 1. *Herodotus* Tarſenſis, Ariei F. Sexti Pyrrhonii Empirici præceptor, teſte Laertio, lib. IX, Tim. *Herodoti* cujusdam librum, qui Medicus inſcribebatur, citat Galenus VI. Epid. ſect. II. comm. 43. eundemque cum Dioſcoride alias citat lib. I. de ſimpl. medic. facult. c. 32. 34. & III, 9. *Herodotus* Philadelphæus, Sexti Chæronenſis Stoici Plutarchi e ſorore nepotis præceptor, ætate Antonini Pii vixit, teſte Suida Σέξτος. *Herodotus* Sophiſta Secundi Epicuri, Sophiſtæ Athenienſis diſcipulus, apud Suidam Σεκοῦνδος. *Herodotus* frater Menandri protectoris hiſtorici ſub Mauritio Imperatore juxta Suidam Μένανδ. *Herodotus* quidam περὶ Νυμφῶν καὶ θεῶν ſcripſit, teſte Stephano ὀλόφυξος. Cum itaque tot & forte plures reperiantur celebres Herodoti, uni omnia velle tribuere, iniquum videbitur.

6. Hermachus, Agemarchi filius, Mitylenæus, vir inſignis & Epicuri in ſchola ſucceſſor, ut indicavimus, ſcripſit nonnulla egregia: Ἐπιστολικὰ περὶ Ἐμπεδοκλέους, κβ΄. περὶ τῶν μαθημάτων, uti bene pro μαθητῶν Iſ. Caſaubonus emendat, πρὸς Πλάτωνα, πρὸς Ἀριστοτέλην, *de Empedocle epiſtolas XXII, de diſciplinis adverſus Platonem, adverſus Ariſtotelem*, teſte Laertio lib. X, 25. Mortuus demum eſt apud Lyſiam Epicureum, Tarſi Tyrannum, de quo Laertius lib. X. citato loco, & Athenæus V, 14.

7. Tum quoque florebat Philo Dialecticus, Diodori Croni quippe diſcipulus & Zenonis Cittiei condiſcipulus; hoc tamen ætate major, teſte Laertio, lib, VII. *Zenone.* Vix alius eſt ille Philo Athenienſis, Pyrrhonis neceſſarius apud eundem Laertium lib. IX. *Pyrrh.* De *Diodori Croni filiabus* quid ſcripſerit in Menexeno, docet Clemens Alex. lib. IV. Strom, αἱ γὰρ Διοδώρου τοῦ Κρόνου ἐπικληθέντος θυγατέρες πᾶσαι διαλεκτικαὶ γεγόνασιν, ὥς φησι Φίλων ὁ διαλεκτικὸς ἐν τῷ Μενεξένῳ, ὧν τὰ ὀνόματα παρατίθεται τάδε· Μενεξένη, Ἀργεία, Θεόγνις, Ἀρτεμισία, Παντάκλεια. *Diodori Croni filiæ omnes Dialecticæ fuerunt, ut inquit Philo Dialecticus in Menexeno, quarum hæc traduntur nomina: Menexena, Argea, Theognis ſ. Theognida, Artemiſia, Pantaclea.* Idem reſpicit Sanctus Hieronymus lib. I, contra Jovinianum, his verbis: *Diodorus Socraticus quinque filias Dialecticas, inſignis pudicitiæ habuiſſe narratur.*

ratur. De quibus & Philo Carneadis magister, plenissimam scripsit historiam. Diodorus ille Crous Socraticus, notus est ex Laertii libro II, ubi de Socraticis agitur, quem ita concludit Diogenes: καὶ οὗτοι μὲν οἱ Σωκρατικοὶ, καὶ οἱ ἀπ' αὐτῶν. Ibi sub Ptolemæo Sotere eum vixisse tradit, dictumque fuisse dialecticum. Sane διαλεκτικώτατον eum adpellat Sextus Empir. contra Mathem. Credo, quia τὸν ἐγκεκαλυμμένον & κερατίνην λόγον invenit: de illo sophismate vide Laertium lib. II. *Eucl* lib. VII. *Zen.* Themistium orat. I. De hoc Lucianum *Lapithis Dial. I. Mort. Symposio Philos. Dialogo Gallus, Castor*, Senecam ep. L. Laertium lib. II. *Eucl.* lib. VII. *Zen.* Quintilianum I, 10. Suidam *Eubulides*, idem est Diodorus ὁ διαλεκτικὸς ille, cujus θερίζοντα magno mercatus est Zeno, teste Laertio lib. VII. Zen. quemque *sapientiæ dialecticæ professorem* adpellat Plinius, VII, 53. Habuit filias quinque juxta Hieronymum, quarum nomina exhibet Clemens. Dialecticas eas fuisse uterque narrat, ex Philone Dialectico in Menexeno quidem Clemens: ex Philone Carneadis magistro Hieronymus. Dialectici dicebantur quidam Philosophi, ut *Philonicus* apud Halicarnasseum vita Isocratis, *Heraclides* Bargyleites, apud Diogenem lib. V. Heracl. & lib. VII. Chrys. *Myrmex* Enetus apud Laertium lib. II. Stilp. Stephanum ἐνε τοῖ, Eustathium il. fol. 173. *Aristoteles* apud Plutarchum *Arato*, quem omnino respicit dialogus Stilponis. *Aristoteles* dictus *Dionysius* Bithynus apud Strabonem lib. XII. *Antipater* & *Archidemus* apud Ciceronem, Lucullo. *Panthœdus* apud Laertium lib. V. Lyc. *Artemidorus* apud Laertium lib. IX. Protag. aliique apud Laertium lib. II. & Philo noster, teste hoc loco Clementis & Laertio lib. VII. *Zen.* Sed non plane consentiunt Clemens & Hieronymus. Philo enim Dialecticus Zenone Olymp. CXXIX, 1. mortuo ætate major erat, & vix ultra Olymp. CXXX. vixit. At Philo Carneadis Olymp. CXLI, 3. nati magister, circa Olymp. CXLVI. adhuc vixisse debet. Nisi forte pro excusando Hieronymo quis dicere velit, Philonem Carneadis magistrum dici, non quasi Carneades eum audiverit docentem, sed quod ejus dogmata sequatur, ut Aristoteles omnium Peripateticorum magister dici potest. Menexenum autem operi titulum Philo fecit, quo historiam filiarum Diodori exposuit, imitatus forte Platonem, qui Aspasiæ rhetorices peritissimæ eruditionem *Menexeno* celebrat. Scripsit & Glaucon Socraticus dialogum Menexenum, teste Laertio, lib. II. *Glauc.* itemque Aristoteles juxta eundem Diogenem, lib. V. *Arist.* Cæterum hujus Phi-

lonis

Ionis rara alibi occurrit mentio. Videtur tamen & hic Laertii lib. III. Plat. locus de eo accipiendus: Μυρωνιανὸς ἐν ὁμοίοις φησὶ, Φίλωνα παροιμίας μνημονεύειν περὶ τῶν Πλάτωνος φθειρῶν, ὡς οὕτως αὐτοῦ τελευτήσαντος. *Myronianus in similibus dicit, Philonem adagii cujusdam meminisse de Platonis pediculis, quasi iis ille consumtus sit.* Forte & Cicero lib. IV. Ac. Qu. ejus meminit: *aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet.*

CAPUT II.

1. Alexinus, Aristoteli, Zenoni & Ephoro adversabatur. Eristicus dictus & ἐλεγξῖνος. 2. Strato, Theophrasti successor. De Vitiis egit. Vossius notatur. 3. Duris de sculptoribus & pictoribus, de certaminibus, Macedonica, de viris doctis scripsit. 4. Lynceus, Duridis frater, edidit varias epistolas. De Menandro egit. 5. Lysanias Cyrenæus de poetis Jambicis. Certæ ætatis esse ostenditur. Herodorus. Aeschrion Lysaniæ pater: Aeschriones varii. Lysanias alter. 6. Lycophron Menedemi laudes exposuit, aliorum philosophorum convivia perstrinxit. Menedemi ætas & Euphanti. Vossii error. Lycophron antiquus. 7. Timæus ἐπιτίμαιος historiis suis nostram philosophicam historiam inlustravit. Varii Timæi.

1.

ZEnoni acerrime adversabatur Alexinus Eleus, Eubulidis successorum unus, Philosophus Eristicus φιλονεικότατος, *rixarum studiosissimus*, ut ex rixarum studio ἐλεγξῖνος, *contradictorius* dictus sit, apud Laertium lib. II. Eucl. ubi nomen hoc ejus ἐλεγξῖνος restituendum ex Hesychio Milesio. Neque modo Zenoni Stoico sese opposuit, sed exemplo magistri sui Eubulidis, Aristotelem quoque perstringere non erubuit. Aristocles

cles lib. VII. *de philosophia*, cum ἀπομνημονεύματα καταγέλαστα scripsisse ait, in quibus fingat Alexandrum in colloquio cum patre Philippo habito, Aristotelis præcepta fuisse calumniatum, & Nicagoram Hermem præceptorem sibi elegisse. Hermippus quoque lib. I. *de Aristotele* apud Athenæum XV, 16. Alexini in Aristotelem petulantiam notat. Laertius auctor est lib. II. *Euclide*, cum non modo πρὸς Ζήνωνα, sed etiam πρὸς Ἔφορον τὸν ἱστοριογράφον scripsisse, quod si *ad*, non, *adversus Ephorum*, ea verba sint interpretanda. Ephorus ad Olymp. CXX. circiter vixit.

2. Theophrasto Olymp. CXXIII. defuncto, Strato Lampsacenus successit, circa initia imperii Philadelphi celebris, *Peripateticorum optimus*, judicio Simplicii ad lib. VI. φυσ. ἀκρ. comm. XXIII. confer eundem ad lib. IV. comment. LIII. Cicero tamen germanum Peripateticum eum fuisse negat lib. I. Acad. Quæst. & lib. V. de Fin. ubi obiter in istis verbis: *Stratonis discipulus Lysias & oratione locuples, rebus ipsis jejunior; concinnus deinde & elegans hujus Aristo.* pro *Lysias* lege *Lycon*, eademque est de Stratone Plutarchi sententia lib. contra Coloten: quod videlicet in plurimis ab Aristotele dissenserit. Meminit Stratonis nostri quoque Augustinus *de Civ. Dei* VI, 10. Librum ejus *de priore & posteriore* laudat Simplicius ad Categorias. Laertius lib. V. ei tribuit εὑρημάτων ἐλέγχους β΄, *duos indices rerum inventarum*, de quibus jam egimus libro I, cap. 9. Frustra eos alii Stratoni tribuit Vossius lib. I. de Histor. Græc. cap. 10. Nos hic ei locum damus propter librum περὶ βίων, *de Vitis*, quem ei tribuit Laertius: modo historicus fuerit, non Ethicus.

3. Duris Samius, *homo in historia diligens*, juxta Ciceronem lib. VI. ad Att. ep. 1. patriæ licet tyrannus Philadelphi tempore, fratrem habuit Lynceum, de quo infra. Duridis crebra apud veteres fit mentio, vide Diodor. Sic. lib. XXI. Ecl. VI. Scholiasten Lycophr. fol. m. 28. Stephanum ἄυασις, γόργυεια, ἔφεσος. Eustathio il. β, ἀνὴρ ἱστορικὸς dicitur. De Pyramidibus eum cum Herodoto, Euemero, Aristagora, Dionysio, Artemidoro, Alexandro Polyhistore, Butoride, Antisthene, Demetrio, Demotele, Apione scripsisse auctor est Plinius, XXXVI, 12. Nisi forte is alius est, quem de pictoribus & sculptoribus egisse docent Plinius, XXXIV, 8. Laertius lib. I. *Thal.* & lib. II. *Socr.* Duridis librum περὶ ἀγώνων citat Apostolius proverb. σελίνου στέφανος πένθιμος, Libyco-

rum

rum Duridis librum *secundum* citat Varinus λαμία. Macedonicorum ejus librum *quintum* citat Athenæus VI, 13. *nonum* idem XIII, 7. Ex hisce Macedonicis omnino sunt, quæ de bello inter Olympiada & Eurydicen gesto habet Athenæus XIII, 1. Historiarum ejus, sed fortasse illarum Macedonicarum librum *primum* citat Photius, Ecl. CLXXVI. *secundum* Athenæus, XIII, 1. *septimum*, idem X, 10. *decimum sextum*, idem XII, 11. *vicesimum secundum*, VI, 15. XII, 9. *vigesimum tertium*, idem XII, 12. Hoc opus credo respicit Plutarchus *vita Alexandri*, quando de gestis Alexandri ait scripsisse non modo Clitarchum, Polycritum, Onesicritum, Antigenem, Istrum, Aristobulum, Ptolemæum, Anticlidem, Philonem Thebanum, Charem Mitylenæum, Philippum Theangelesem (non *Isangelensem*,) Hecatæum Eretriensem, Philippum Chalcidensem, sed etiam Duridа Samium. Verum, ut ne frustra hic memorari videatur, eruditorum quoque historiam scripsit. Librum ejus περὶ Ευριπίδε καὶ Σοφοκλέυς, adducit Athenæus, IV, 25. Habuit & quod ad Pythagoricam historiam faceret ἐν τοῖς Σαμίων ἐπιγραφομένοις ὅροις, quo titulo eos citat Athenæus lib. XV, cap. 16. e cujus operis libro secundo Malchus vita Pyth. locum de Pythagora adfert. E Duride locum ad *Thaletis, Pittaci, Biantis & Cleobuli* lib. I. & *Socratis*, lib. II. historiam explicandam adducit Laertius. E libro ejus *secundo* ἱερῶν quædam citat idem lib. I. Pherecyde, nisi forte pro ἱερῶν legendum ὅρων.

4. Lynceus Samius Duridis, de quo supra, frater, Theophrasti Peripatetici discipulus fuit, . teste Athenæo III, 20. VIII, 4. & Suida Λυγκεύς. Scripsit τέχνην ὀψωνητικὴν, quam laudat Athenæus VI, 3. VII, 18. Ex qua forte sunt petita, quæ de Alexi poeta ὀψοφάγω habet idem, VIII, 7. Hanc dedicavit Zenoni familiari, teste Athenæo VII, 18. scripsit quoque epistolas, teste Harpocr. ἰχθύφαλλος. Epistolam ejus ad Diagoram citat Athenæus III, 25. VII, 8. 12. 24. XI, 14. XIV, 14. 18. 19. *ad Posidippum Comicum* idem XIV, 18. *ad Apollodorum* idem IX, 14. sed vide fusius de eo loquentem Athenæum, IV, 1. Gnathænam meretricem a Diphilo fuisse amatam, tradit Lynceus ἐν ἀπομνημονεύμασι, apud Athenæum, XIII, 5. Gnathænæ istius festivas responsiones idem Lynceus scriptis mandavit, teste eodem XIII, 6. Inter βιογράφυς vero locum aliquem meruit libris περὶ Μενάνδρε, *de Menandro*, quorum secundum laudat idem VI, 9.

5. Lysanias

5. Lysanias, qui corrupte vel etiam ob infelicitatem suam Δυσανίας dicitur apud Athenæum XI, 15. Cyrenæus patria fuit, & περὶ Ιαμβοποιῶν, h. e. *de poetis Iambicis* scripsit, teste eodem, VII, 15. *Primum* hujus operis librum citat idem XIV, 3. ubi de Mnasione Rhapsodo locus adfertur. Credo hunc esse Lysaniam illum Cyrenæum, Grammaticum Eratosthenis Cyrenæi Grammatici præceptorem, de quo Suidas Ερατοσθ. adeoque inter historicos incertæ ætatis cum Vossio minime reponendum, Atque ex hujus ætate aliquo modo Herodori Heracleotæ Grammatici illius ætatem intelligimus, cujus ἀργοναυτικὰ citat Schol. Apollonii ad ἀργον. α. vers. DCCLXXIII, quique de Hercule aliquot libros condidit, quorum *decimum* laudat Stephanus γλῆτες. *Decimum septimum* Athenæus IX, 18. Ex eodem opere sunt, quæ de Hercule refert Scholiastes Pindari Olymp. V. & Clemens lib. I. *Strom.* idem est Herodorus, qui Orphei & Musæi historias scripsit apud Photium Ecl. LXXX. Hunc enim Herodorum citavit Lysanias noster, teste Athenæo, XI, 15. Vixit itaque ante Lysaniam. Vix alius est noster ab illo Lysania Æschrionis F. quem de Diogene Cynico egisse docet Laertius lib. VI. *Diog.* Æschrion autem ille Lysaniæ pater, forte est ille Mitylenæus poeta, Aristotelis familiaris, de quo Suidas. Αἰσχρίων Μιτυληναῖος ἐποποιὸς, ὃς συνεξεδήμει Αλεξάνδρῳ τῷ Φιλίππου· ἦν δὲ Αριστοτέλους γνώριμος καὶ ἐρώμενος, ὡς Νίκανδρος ὁ Αλεξανδρεὺς ἐν τῷ περὶ τῶν Αριστοτέλους μαθητῶν. Idem forte est Æschrion ille, quem cum exercitu per insidias Hanno Olymp. CXVIII, 2. oppressit apud Diodorum Sic. XX, 61. Æschrion quidam Samius Ιαμβοποιὸς fuit teste Athenæo VIII, 3. ubi ut & VII, 12. ex ejus Jambis nonnihil citatur. Hujus forte est ἔφεσις, cujus librum VII. citat Tzetzes ad Lycophr. fol. CI. Fuit quoque Æschrion Medicus, quem laudat Galenus alicubi: hujus omnino est liber de agricultura, quem citat Plinius lib. I. inter auctores lib. VIII, X, XIV, XV, XVII, XVIII. & Varro lib. I. de Re R. cap. I. ubi eum inter rei rusticæ auctores collocat. Antiquissimus autem omnium est Æschrion ille, a quo in Samo tribus Æschrionia adpellationem sortita est, cujus meminit Herodotus lib. III, cap. 26. Primi autem nostri Æschrionis filium Lysaniam nostrum fuisse credo. Alius ab hoc est Lysanias Mallotes, cujus τὰ περὶ Ερετρίας, *de Eretria* citat Plutarchus lib. *de Herodoti mali*, quique locum inter Historicos Vossianos Græcos propterea meretur: Lysanias Æschinis Socratici pater, notus est ex Laertio lib. II.

6. Lycophron Chalcidensis, sub Philadelpho floruit, & Menedemo Eretriense familiariter usus est, in cujus gratiam drama quoddam *Menedemum* composuit, quo ejus laudes exposuit. Laertius lib. II. *Mened.* ἅπαντα φησὶν ὁ Λυκόφρων ἐν τοῖς πεποιημένοις σατύροις αὐτῷ, ὃς Μενέδημον ἐπέγραψεν, ἐγκώμιον τȣ̃ φιλοσόφȣ ποιήσας τὸ δρᾶμα· Cæterorum autem philosophorum convivia isto dramate perstrinxit. Athenæus II, 14. Λυκόφρων ὁ Χαλκιδεὺς ἐν σατυρικῷ δράματι, ὃ ἐπὶ καταμωκήσει ἔγραψεν εἰς Μενέδημον τὸν φιλόσοφον, ἀφ᾽ ȣ̃ ἡ τῶν ἐρετρικῶν ὠνομάσθη αἵρεσις, διασκώπτων τῶν φιλοσόφον δεῖπνα. Idem indicat Deipnosophista X, 4. Habebant autem philosophi cujusque sectæ Athenis suos conventus, sua convivia,* ad quæ celebranda pecuniam suis legavit Theophrastus. Leges convivales scripserunt Xenocrates & Aristoteles, teste Athenæo, lib. IV. V. & XV, de quibus alias. Confer, quæ de hac Lycophronis satyra in Chamæleontis historia diximus. Menedemus autem hic Eretriensis erat philosophus, & Persæo Stoico acerrime adversabatur, teste Laertio, lib. II. *Mened.* Ex qua Menedemi ætate Euphanti Olynthii historici ætatem aliquo modo conligimus, qui Menedemi hujus in historiis suis mentionem fecit: quod videlicet post Menedemum vixerit. Athenæus VI, 13. Euphantem ante Ptolemæi III. ætatem, non vixisse indicat. Laertius lib. II. *Eucl.* Eubulidis sectatorem & Antigoni magistrum fuisse refert. Erat is Antigonus Doson vel *Antiochus* forte legendum. Vossius lib. I. de Hist. Gr. 8. Antigonum primum intelligit & perperam propterea Euphantum Eubulidis auditorem & Aristotelis æqualem facit, cum seculo post vixerit. Fuit & Lycophron sed antiquior, jam Aristoteli notus, lib. I. de Sophist. El. c. 14. lib. I. Phys. c. 2. lib. VIII. Metaph. c. 6.

7. Timæus Siculus Tauromenites Istro Callimacheo postea ob contradicendi & reprehendendi libidinem atque acerbitatem, ἐπιτίμαιος dictus apud Athenæum, VI, 20. *Sicula* scripsit, quæ laudat Plutarchus Sympos. V, 3. itemque vita Timoleontis, Niciæ, Dionysii: Scholiastes Pindari ad Olymp. V. Pyth. I. confer eum ad Pyth. II, Nem. I. Duos Lycurgos, Spartanos, simul vixisse, ex Timæo narrat Plutarchus *Lycurgo.*

* *de quibus plura supra pag. 57.*

curgo. Sed *Hiſtoriarum* ejus libri hic potiſſimum ſibi locum vendicant, quorum *nonum* Athenæus VI, 18. *decimum tertium* idem VII, 22. citat. Hos enim hiſtoriarum libros Laertius ad vitam Pythagoræ & Pythagorici Empedoclis explicandam, crebro adducit, ſæpeque hujus meminiſſe Timæum expreſſe dicit idem Laertius lib. IX. *Emped.* Librum *decimum* Hiſtor. citat idem lib. VIII. Pyth. *primum*, *ſecundum*, *decimum quintum* & *decimum octavum* ibidem *Emped.* Citatur quoque abſolute Timæus, ut non fiat mentio hiſtoriarum ejus, apud eundem Diogenem lib. VIII. *Pythag.* & *Emp.* itemque apud Porphyrium ſive Malchum *vita Pythag.* & Hieronymum lib. I. *contra Iovin.* qui ex Timæo commemorat, Pythagoræ virginem filiam choro virginum præfuiſſe, & caſtitatis eas inſtituiſſe doctrinis, ut dubitare quiſpiam poſſet, uter Timæus, Locrus an Siculus hic intelligatur. Verum, cum Locrum illum nuſquam citatum obſervemus, hunc paſſim: propterea eundem & hic citari probabile eſſe ducimus. Ex ejuſdem Tauromenitæ hiſtoriis de Ariſtotele ignobilis cujuſdam medici oſtiario fabulam adfert Ariſtocles lib. VII. *de Philoſ.* Mortuus tandem eſt Timæus noſter anno ætatis, XCVI. juxta Lucianum *Macrobiis.* Diverſus ab hoc eſt Timæus ille Lexici Platonici auctor, apud Photium, Ecl. CLI. itemque Timæus Mathematicus laudatus Plinio, Hiſt. Nat. I, 5. 16. XVI, 22. Timæus quidam de medicina metallica ſcripſit, ut auctor eſt idem Plinius, I, 33. & XXXIII, 3. ubi perperam *Remeus* legitur. De qua medicina metallica Apion Grammaticus itidem egit teſte eodem Plinio I, 35. Mutanda itaque iſta Meurſii *duo apud veteres Timai*, notis ad Nicom. fol. 167.



CAPVT

CAPUT III.

1. Ctesibius de philosophia. Zoili & Ctesibii ætas. 2. Sosibius, Lacon, Grammaticus Ἐπιλυτικός, de Alcmane egit: varii ejus libri. Sositheus poeta. 3. Antilochus de viris doctis a Pythagora ad Epicuri obitum. 4. Aristo Chius de Heraclito. Stoici diversi eandem tractabant materiam. 5. Timon Phliasius Sillos scripsit in philosophos. Alii Timones. 6. Hieronymus Rhodius, Peripateticus, de poetis scripsit. Ejus ætas.

I.

CTesibius Historicus, *περὶ φιλοσοφίας* scripsit, eoque libro tradidit, Demosthenem Zoili Amphipolitæ & Alcidamantis orationes nactum esse, inque iis se exercuisse. Testis est Plutarchus lib. de X. Rhet. *Dem.* ὡς δὲ Κτησίβιός φησιν ἐν τῷ περὶ φιλοσοφίας, διὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου πορίσας τοὺ Ζήθου τοῦ Ἀμφιπολίτου λόγους, διὰ δὲ Χαρικλέους τοῦ Καρυστίου τοὺς Ἀλκιδάμαντος, ἀνέλαβεν αὐτούς. *Ut vero Ctesibius auctor est libro de philosophia, per Calliam Syracusium nactus* (Demosthenes) *Zethi Amphipolita orationes, Alcidamantis vero per Chariclem Carystium.* Ubi mendum aliquod tollendum & pro Ζήθου legendum Ζωΐλου. Suidas Δημοσθένης. Τοῖς λόγοις ἐχρῆτο Ζωΐλου τοῦ Ἀμφιπολίτου σοφιστεύοντος ἐν Ἀθήναις, καὶ Πολυκράτους, καὶ Ἀλκιδάμαντος τοῦ Γοργίου μαθητοῦ, καὶ αὐτοῦ μέν τοι Ἰσοκράτους. *Orationibus utebatur Zoili Amphipolitæ Sophistæ Atheniensis, & Polycratis, & Alcidamantis Gorgiæ discipuli, ipsiusque Isocratis.* Omne dubium vero tollit Dionysius Halic. lib. *de Demosth. gravitate.* Hinc de Zoili Amphipolitæ ætate simul constat, vixisse eum ante Demosthenem: non vero sub Ptolemæo Philadelpho, ut Vossio visum, * Plutarchus *parall. maj. vita Demosthenis,*

* *vide supra p. 49.*

νῳ, eundem Ctesibii locum ex Hermippo refert, non facta tamen Zoili mentione. Unde Ctesibii nostri ætatem optime consigimus. Cum enim Hermippus sub Evergete vixerit, Ctesibium, qui propterea Demosthene junior & Hermippo grandior fuit, sub Philadelpho vixisse arbitramur. Idem omnino est Ctesibius ille Arcesilai & Democharis æqualis, apud Laertium, lib. IV. Arces. & Hesychum in *Arcesil.*

2. Sosibius, Lacon, Grammaticus, Ptolemæi Philadelphi temporibus ἐπιλυτικὸς dictus, teste Suida, Σωσίβιος, vel Λυτικὸς Athenæo XI, 12. ὁ θαυμάσιος λυτικὸς Σωσίβιος, ὃν ὀυκ ἀχαρίτως διέπαιξε διὰ τὰς πολυθρυλλήτους ταύτας καὶ τὰς τοιαύτας λύσεις Πτολεμαῖος ὁ Φιλάδελφος βασιλεύς. ***Mirabilis ille quæstionum dubiarum enucleator Sosibius, non inlepide a Ptolemæo Philadelpho Rege ob celebres illas & similes solutiones aliquando irrisus.*** Scripsit in hunc Sosibium ἐπινίκιον ἐλεγειακὸν Callimachus poeta, teste Athenæo IV, 10. Hic Sosibius ***de Alcmane*** poeta Lyrico Lacedæmonio, aliquot libris egit. Σωσίβιος ἐν τρίτῳ περὶ Ἀλκμᾶνος inquit Athen. III, 29. & XIV, 14. Sed Grammaticum potius opus de Glossis Laconicis fuit, in quo voces apud Alcmanem Lacedæmonium occurrentes explicatæ fuerint. Idem opus intelligitur, e quo vocis πυδνιον, qua Alcman usus, significationem adfert Athenæus XIV, 15. Scholiastes Theocriti ad Idyll. V, e Sosibio refert, quod Lacones anemonas adpellaverint Φανίδας. Hinc petita arbitror, quæ de comica lusione Laconum habet Athenæus, XIV, 4. Scripsisset igitur Sosibius Glossas Laconicas, uti post ab Aristophane Grammatico idem factum: simili modo & Alexander Cornelius circa nomina locorum in Alcmane obvia explicanda occupatus fuit, Ἀλέξανδρος ὁ Κορνήλιος, ἐν τῷ περὶ τῶν παρ᾽ Ἀλκμᾶνι τοπικῶς ἱστορημένων, ait Stephanus ἄραξα & ἄσσος. Aliud quoque grammaticum opus Sosibii ὁμοιότητας citat Athenæus XV, 12. in quo cum de vocum derivatione egisse aparet, quod Megaleion unguentum a Megalo Siculo denominari scribit, uti Plangonium a Plangone. Interim minime negamus Sosibium historicis adnumerandum esse. Præterquam enim quod χρόνων ἀναγραφὴν scripsit, quam citant excerpta Chron. Græc. apud Scaligerum Thes. Temp. fol. 370. scripsit quoque de Lacedæmoniorum sacrificiis Σωσίβιος ἐν τοῖς περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν, ait Athenæus XV, 4. & simpliciter Σωσίβιος ἐν τοῖς περὶ θυσιῶν libro eodem, cap. 6. Ex hoc opere fortassis desumta sunt, quæ de Dianæ templo in Laconica e Sosibio adfert Clemens

Alex.

Alex. Προτρεπτ. ubi e Sosibio quoque locus adfertur de Hercule ab *Hippocoontis* filiis vulnerato, de quo videatur & Diodorus Siculus IV, 33. Quo vero opere id ab eo præstitum sit, ignoramus. Lacedæmonios oraculo quodam admonitos Epimenidis corpus penes se servare tradit Sosibius, Lacon, apud Laertium, lib. I. *Epimen.* De Sosibii Daphnide videatur Scholiastes Theocriti ad Idyll. X. (VIII) & Casauboni lect. Theocr. cap. 12. Verum Sositheo Daphnis potius adscribi debet juxta alias Theocriti editiones & Athenæum X, 3. quanquam in margine hic pro *Sositheus* monetur legendum *Sosibius.* Vixit autem quidam Sositheus, poeta, tempore Theocriti & Cleanthis Stoici, Olymp. CXXX. teste Laertio lib. VII. *Cleanth.* & Tragicus quidam, inter Pleiades sive septem illos Tragicos numeratus Olymp. CLXIV, teste Suida σωσ. cujus fragmenta conlecta exhibet H. Grotius inter excerpta ex tragœdiis & comœdiis Græcis. Sositheum festivum puerum & anagnosten suum adpellat Cicero ad Attic. I, 9.

3. Antilochus de viris doctis ab ætate Pythagoræ ad mortem usque Epicuri claris scripsit. Anonymus Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῆ ad Olymp. XLIX, 2. Ἐντεῦθεν Ἀντίλοχος τῆς τῶν ἱστόρων πραγματείας ἄρχεται. *Hinc Antilochus historiam doctorum orditur.* Vivebat autem tum Pythagoras. Idem Anonymus ad Olymp. CXXVII, 2. Ἀντίλοχος, ὁ τοὺς ἱστορας πραγματευσάμενος ἀπὸ τῆς Πυθαγόρου ἡλικίας ἐπὶ τὴν Ἐπικούρου τελευτὴν, ἔτη φέρει τὰ πάντα τιβʹ. *Antilochus, qui doctorum ab ætate Pythagoræ ad Epicuri obitum historiam complexus est annis CCCXII.* Eodem autem anno Epicurum esse mortuum indicat, Clemens Alexandrinus lib. I. *Strom.* eadem habet, nisi quod post vocem τελευτὴν addit: γαμηλιῶνος δὲ δεκάτῃ ἱσταμένου γενομένην.

4. Aristo, Chius, de Heraclito philosopho egit. Laertius lib. IX. Heracl. λέγειν τε Ἀρίστωνα ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτου, καὶ τὸν ὕδερον αὐτὸν θεραπευθῆναι. *Aristonem libro de Heraclito dicere, cum aqua intercute esse liberatum.* Vulgarem hic sequor morem, dum verba illa ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτου reddo *libro de Heraclito.* Neque enim liber, sed pars libri quandoque ejusmodi verbis significatur. Non itaque satis certum est atque firmum, ita conligere: Laertius Aristonem citat ἐν τῷ περὶ Ἡρακλείτου. Igitur Aristo peculiarem librum de Heraclito scripsit. Huic autem potius Aristoni Chio, quam aliis hoc opus tribuo, quod condiscipulus

pulus ejus Cleanthes similiter *δύο τῶν Ἡρακλείτου ἐξηγήσεις* scripsit, teste Laertio lib. VII. *Cleanthe*. Sphærus itidem Stoicus quinque diatribas de Heraclito edidit, teste eodem. Ita nimirum Stoici diversi eandem tractabant materiam. De Chriis scripserunt Zeno, Persæus, Aristo, Cleanthes, Hecato, teste Laertio, lib. VII. de Laconum Rep. Persæus, Sphærus. *ἐρωτικὰ* Aristo, Cleanthes, Sphærus, Chrysippus. Scripsit præterea noster Aristo de Zenonis quoque dogmatibus, teste Laertio lib. VII. *Aristone*, quod & Cleanthes similiter fecit. De Demosthene Theophrasti judicium ex Aristone Chio profert Plutarchus *parall. Demosth.* sed hoc ex Aristonis libro *πρὸς τοὺς Ῥήτορας*, petitum arbitror: de morte Demosthenis itidem ex Aristone locum adfert Plutarchus loco citato. Sed, *πολλοὶ οἱ Ἀρίστωνες*, ut loquitur Lucianus *Lexiphane*. p. Titi Aristonis eruditionem summe admiratur Plinius lib. I. epist. 2. a quo alius Claudius Aristo Ephesiorum princeps apud eundem lib. VI. epist 31. vide alios apud Laertium lib. VII. Aristone & Vossium de Histor. Græc. II, 4.

5. Timon Phliasius Pyrrhonius, Hecatæi Abderitæ sub Pyrrhone condiscipulus, teste Laertio lib. IX. *Pyrrh.* scripsit *Sillos*, in quibus philosophorum vitia perstrinxit. Suidas: *Τίμων Φλιάσιος, καὶ αὐτὸς φιλόσοφος τῆς Πύῤῥωνος ἀγωγῆς, ὁ γράψας τοὺς καλουμένους Σίλλους, ἤτοι ψόγους τῶν φιλοσόφων βιβλία γʹ.* ***Timon Phliasius itidem philosophus, & quidem Pyrrhonius, qui scripsit Sillos, ita dictos, sive reprehensiones philosophorum libris tribus.*** De Sillo Hesychius: *Σιλλὸς ἀναφαλαντὸς, μῶμος, κακολογία καὶ χλευασμός.* Sextus Empiricus lib. *contra Mathem.* cap. 17. quædam de Pyrrhone e Timone citat, & ex eodem de Platone paupere quidem, sed emace Gellius III, 17. Librum ***primum*** hujus operis citat Athenæus, XV, 16. ubi Euboei Parii poetæ eum meminisse dicit. ***Secundum*** citat Sextus Empiric. lib. VIII. ***comment.*** ubi de Protagora ex illo nonnihil adfert, Athenæus item IV, 16. X, 6. 13. ***Tertium*** librum citat idem Athenæus, VI, 13. ubi de Aristone Chio egit: & VII, 5. ubi de Epicuro eum egisse indicat. Habes fragmenta hujus Timonis in poesi philosophica H. Stephani. In hos Timonis Sillorum libros commentarium scripsit Apollonides Nicæus, de quo suo loco.* Contra hosce Sillos scripsisse videtur Sotion, de quo item

* *Lib. III, cap. 3. §. 3.*

item infra. Fuit præter hunc Timon Ægyptius, pater Helenæ pictricis, tempore belli Issici apud Photium, Ecl. CXC. itemque Timon *μισάνθρωπος* celeberrimus.

6. Hieronymus, Rhodius patria, teste Strabone lib. XIV, & philosophia Peripateticus, scripsit *περὶ ποιητῶν*, idque pluribus libris, quorum *quintus* *περὶ Κιθαρῳδῶν* egit. Docet hoc Athenæus lib. XIV, c. 9. *Ἱερώνυμος ἐν τῷ περὶ Κιθαρῳδῶν, ὅπερ ἐστὶ πέμπτον περὶ ποιητῶν, κατὰ Λυκοῦργον τὸν Νομοθέτην, τὸν Τέρπανδρόν φησι γενέσθαι, ὃς ὑπὸ πάντων συμφώνως ἱστορεῖται μετὰ τοῦ Ἰφίτου τοῦ Ἠλείου τὴν πρώτην ἀριθμηθεῖσαν τῶν Ὀλυμπίων θέσιν διαθεῖναι.* Hieronymum, *ἐν τῷ περὶ τραγῳδοποιῶν* citat Apostolius proverb. *Κινεῖς τὸν ἀνάγυρον*, Diogenianus Cent. III. Adag. 31. Suidas *ἀναγυράσιος*. Sed pars fuit operis *de poetis*. Ex ejus hypomnematum opere sunt, quæ de pæderastia priscis usitata, ex Hieronymo Peripatetico Athenæus XIII, 7. scribit. inde forte desumta quoque sunt, quæ de Hercule ex Hieronymo habet Clemens Alex. *protrept.* Hieronymus epistolas quoque edidit, in quibus scripsit Theophrastum referre, Alexandrum ad venerem fuisse ignavum apud Athenæum X, 10. Vixit ætate Arcesilai & Timonis, teste Laertio, qui sub Ptolemæo Philadelpho & Eumene Philetæri floruerunt. Æqualis fuit Lyconi Peripatetico, ut colligimus ex Laertio, lib. V. *Lyc.* At Lycon cœpit scholæ præesse, Olymp. CXXVII. sub Philadelpho. Dicitur nihilominus *Ἀριστοτέλους μαθητὴς* Athenæo, X, 6. non quod Aristotelis fuerit auditor, sed ejus philosophiæ studiosus, ut ego commode interpretor. Sub Philadelpho itaque de Hieronymo agere Vossium oportuisset, non ante ejus tempora.

CAPUT

CAPUT IV.

1. Antigonus Caryſtius de vitis eruditorum, Polemonis, Lyconis, Menedemi, Zenonis, Pyrrhonis, Timonis, Dionyſii Metathemeni. 2. Philemon junior mediæ poeta comœdiæ Stoicos pungit. Philemon pater. 3. Neanthes male Evanthes ſcribitur, de viris inluſtribus & de Pythagoreis egit. 4. Apollonius Sotadis importune loquacis filius, de patris carminibus ſcripſit.

1.

EXtremis Philadelphi temporibus Antigonum Caryſtium vixiſſe ſtatuimus. Junior eſſe nequit, cum κατὰ τοὺς Πύῤῥωνος γενόμενος χρόνους, *circa Pyrrhonis tempora vixiſſe* dicatur Ariſtocli apud Euſebium: antiquior non fuit, quod de Lycone Peripatetico & Dionyſio Metathemeno egerit. Scripſit vitas eruditorum virorum, teſte Hieronymo, *præfatione libri de ſcriptoribus Eccleſ.* quem locum in Ariſtoxeno adduximus. De *Polemonis* Academici vita teſtatur Athenæus II, 6. Πολέμων ὁ Ἀκαδημαϊκὸς ἀρξάμενος ἀπὸ τριάκοντα ἐτῶν ὑδροπότησε μέχρι θανάτου, ὡς ἔφη Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος. *Polemo Academicus cum anno ætatis trigeſimo aquam bibere cœpiſſet, ad finem uſque vitæ fuit abſtemius, ut ſcribit Antigonus Caryſtius.* Laertius lib. IV. *Polem.* Φησὶ δὲ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τοῖς βίοις τὸν πατέρα αὐτοῦ πρῶτόν τε εἶναι τῶν πολιτῶν καὶ ἁρματοτροφῆσαι. *Refert Antigonus Caryſtius in vitis, patrem ejus primarium civitatis fuiſſe, equosque jugales nutrire ſolitum.* De *Lyconis* Peripatetici vita teſtatur idem Athenæus XII, 12. Λύκων ὁ Περιπατητικὸς, ὥς φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος. *Lycon Peripateticus, ut ſcribit Antigonus Caryſtius, &c.* confer Laertium lib. V. Lyc. de *Menedemo* Laertius lib. II. *Mened.* Φησὶ δὲ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος γράψαι μηδὲν, αὐτὸν μηδὲ συντάξαι. *Refert Antigonus Caryſtius, eum nihil ſcripſiſſe neque compoſuiſſe.* Iterum Laertius ejusdem Antigoni meminit

V 2 Me-

Menedemo extremo. confer Athenæum X, 5. Neque aliunde sunt, quæ habet Athenæus IV, 17. Κτησίβιος ὁ Χαλκιδεὺς, ὁ Μενεδήμου γνώριμος, ὥς φησιν Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος. *Ctesibius Chalcidensis, Menedemi familiaris, ut ait Antigonus Carystius.* Vitam quoque *Zenonis* Stoicorum principis scripsit, Laertius lib. III. *Plat.* Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ Ζήνωνος, *Antigonus Carystius, ubi de Zenone agit.* confer eundem lib. VII. *Zen.* Athenæum VIII, 7. XII, 2. ubi Zeno ille Cittieus Phœnix dicitur. itemque XIII, 2. bis. cap. 8. 9. De *Pyrrhone* egit, teste Laertio lib. IX. Pyrrh. Ἀντίγονος ὁ Καρύστιός φησιν ἐν τῷ περὶ Πύρρωνος τὰ δὲ περὶ αὐτοῦ, ὅτι τὴν ἀρχὴν ἄδοξός τε ἦν καὶ πένης, καὶ ζωγράφος, *Antigonus Carystius libro de Pyrrhone, hæc de eo* (Pyrrhone) *refert, initio quidem ipsum obscuram pauperem & pictorem fuisse.* Aristocles lib. VIII. *de Philosophia* apud Eusebium lib. XIV. de præp. Evang. c. *de Pyrrhone*: Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος κατὰ τοὺς αὐτοὺς γενόμενος χρόνους, καὶ ἀναγράψας αὐτῶν τὸν βίον, *Antigonus Carystius, qui eum temporis vivebat, eorumque vitam scripsit,* ubi de Antigoni ætate simul certiores reddimur. De *Timone* eum egisse docet Laertius, lib. IX. Tim. ἦν δὲ, φησὶν Ἀντίγονος, καὶ φιλοπότης, καὶ ἀπὸ τῶν φιλοσόφων ἐσχόλαζε. *Erat autem, ut Antigonus refert, bibax, & a philosophis aliquando secessit.* Iterum ibidem: φέρεται δὲ αὐτοῦ καὶ καταλογάδην βιβλία εἰς ἐπῶν τείνοντα μυριάδας δύο, ὧν καὶ Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος μέμνηται ἀναγεγραφὼς αὐτοῦ καὶ αὐτὸς τὸν βίον. *Feruntur ejus libri varii ad viginti versuum millia ascendentes, quorum & Antigonus Carystius meminit, qui vitam ipsius conscripsit.* Tandem paullo post: ὁ δ᾽ οὖν φιλόσοφος καὶ φιλόκηπος ἦν σφόδρα καὶ ἰδιοπράγμων, ὡς καὶ Ἀντίγονός φησι. *Erat hic philosophus* (Timon: mentionem enim fecerat alterius Timonis τοῦ μισανθρώπου) *hortorum maxime studiosus, suaque curabat negotia, ut de eo loquitur Antigonus.* Vitam quoque *Dionysii* Metathemeni Stoici scripsit, teste Athenæo lib. X. c. 10. Ἀντίγονος ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ τοῦ Διονυσίου βίου τοῦ Ἡρακλεώτου τοῦ ἐπικληθέντος τοῦ Μεταθεμένου. *Antigonus Carystius vita Dionysii Heracleotæ dicti Metathemeni.* Atque hæc de Antigono Carystio, qui a Caristo urbe ita dictus fuit, & Ptolemæi Philadelphi tempestate vixit. Diversus fuit ab Antigono illo πινακογράφῳ, qui Polemonis & Ptolemæi Epiphanis æqualis fuit, de quo alibi.

2. Phi-

2. Philemon, Philemonis poetæ filius ὁ νεώτερος, Athenæo VII. dictus mediæ poeta comœdiæ, drama Φιλοσόφους scripsit, in quo Zenonem Cittiea ejusque philosophicam vitæ rationem perstrinxit, ut auctor Laertius lib. VII. *Zen.* qui ex eo hos versus citat:

εἷς ἄρτον ὄψον ἰσχάς, ἐπιπιεῖν ὕδωρ,
φιλοσοφίαν καινὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ,
πεινῆν διδάσκει, καὶ μαθητὰς λαμβάνει.

Cum pane caricas vorat & aquam bibit,
Exercet ignotum philosophia genus,
Docet esurire, dehinc auditores capit.

De Philemone patre agit Diodorus Sic. XXIII, 7. Gell. XVII, 4. Theophilus ad Autolycum lib. III, Clemens Alex. pædag. III, 11.

3. Neanthes Cyzicenus, libro περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, *de viris illustribus* celebris est. Verum hic Neanthes apud Hieron. lib. II. contra Jovin. edit. anni 1476. & 1537. *Evantes Cyzicenus* dicitur: Littera enim prima ibi omissa est, ut lib. II. contra Rufinum *Tesiphonte* pro *Ctesiphonte* & Epist. XV. ad *Tesiphontem contra Pelagianos* pro *Ctesiphontem.* In alia quadam editione non minus corrupte legitur *Evanthes.* Verum licet Evanthem Cyzicenum quendam pugilem, teste Pausan. II. Eliac. vixisse non negemus, illum tamen Hieronymi Eanthem vel Evanthem rectius Neanthem dici statuimus, quia non modo Evanthis Cyziceni istius historici nullibi fit mentio, Neanthis pluries; verum etiam quia eadem, quæ ex Evanthe isto ab Hieronymo adducuntur, Græca ex Neanthe Cyziceno adfert Porphyrius lib. IV. de abstin. ab anim. fol. LVII. Atque hic Neanthes librum περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, litteris mandavit citatum Stephano vel Hermolao ejus Epitomatori in voce Κρατός. Inde nonnulla in suam transtulit historiam Laertius lib. I. Per. lib. III. Plat. lib. VI. Antisth. lib. IX. Heracl. Seorsim quoque περὶ Πυθαγορικῶν egisse videtur. Νεάνθης ὁ Κυζικηνὸς ὁ καὶ περὶ Πυθαγορικῶν εἰπών, inquit Laertius, lib. VIII. Emped. Ex hac ejus historia Pythagorica sunt depromta, quæ de *Pythagora* habet Clemens lib. I. Strom. Theodoretus θεραπ. Serm. I. Porphyrius vita Pythagoræ, Jamblichus eadem vita cap. 31. & quæ de

Empedocle Pythagoreo leguntur apud Hesychium Milesf. Εμπεδοκλ. Ætatem ejus satis perspicue tradit Athenæus XV, 17. dum eum adpellat ἕνα τῶν περὶ Ατταλον ἱστορικῶν.

4. Neanthis æqualis erat Apollonius, Sotadis poetæ filius, qui de poematis patris sui scripsit. Testis Athenæus XIV, 4. Ηκμασε δὲ ἐν τῷ εἴδει τούτῳ Σωτάδης, ὁ Μαρωνίτης, ὥς φησι Καρύστιος, ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ Σωτάδου συγγράμματι, καὶ ὁ τοῦ Σωτάδου υἱὸς Ἀπολλώνιος· ἔγραψε δὲ καὶ οὗτος περὶ τῶν τοῦ πατρὸς ποιημάτων σύγγραμμα, ἐξ οὗ ἐστι κατιδεῖν τὴν ἄκαιρον παῤῥησίαν τοῦ Σωτάδου, κακῶς εἰπόντος Λυσίμαχον τὸν Βασιλέα ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, Πτολέμαιον δὲ τὸν Φιλάδελφον παρὰ Λυσιμάχῳ, καὶ ἄλλους τῶν βασιλέων ἐν ἄλλαις τῶν πόλεων· διόπερ τῆς δεούσης ἔτυχε τιμωρίας. *In eo carminis genere floruit Sotades Maronites, ut ait tum Carystius, Pergamenus, in opere suo de Sotade, tum Apollonius, Sotadis filius, qui librum scripsit de patris poematibus, e quo perspicitur importuna Sotadis in maledicendo libertas, qui Lysimachum Regem calumniabatur Alexandria, apud Lysimachum vero Ptolemaeum Philadelphum, aliosque reges in aliis civitatibus: quamobrem meritas pœnas luit.* E quibus verbis Sotadis ejusque filii ætatem simul colligimus.

CAPUT V.

1. Callimachus historiam doctorum eorundemque librorum dedit Πίνακες, sive Indices. 2. Notavit cujusque auctoris verum nomen. 3. Vitam. 4. De rhetoribus seorsim egit. 5. Libros recensuit: 6. eorum verum titulum indicavit: initium notavit. 7. Citabantur olim libri verbis initialibus. 8. Dubios libros suis adscripsit auctoribus. 9. Versuum numerum cujusque libri addidit: versuum numerus Novi Testamenti libris ab ipsis auctoribus sacris, vel ab eorum discipulis annexus, perperam in nostris codicibus negligitur. 10. Tan-

10. Tandem rerum indicem dedit a variis tractatarum. 11. Poetarum historiam exposuit. Διδάσκαλοι poetæ. Ætatem illorum dramatum inscriptionem, editionis annum notavit. Didascalias facit. Fabularum quæ editæ, quæ non, indicavit. Genuinæ essent, an secus, judicavit. Versus suis auctoribus reddidit. 12. Democriti glossas exposuit opere peculiari. 13. Callimachi plures.

1.

ERuditorum historiam & librorum Callimachus, si quisquam egregie inlustravit. Cyrenæus is erat, & magni nominis Grammaticus, qui Ptolemæi Philadelphi ævo & post vixit: a quo Ister Καλλιμάχιος dicitur Athenæo, VI, 20. quod Callimachum sequeretur: ut Grammaticorum alii Aristophanei, alii Aristarchei, alii Zenodotei dicebantur. Familiarem habuit Heraclitum Halicarnassëum poetam, teste Strabone lib. XIV. Varia atque egregia ingenii Callimachi monimenta atque testimonia recenset Suidas Καλλιμ. e quibus tria saltem opera hic exponemus, quæ historiæ philosophicæ inservire potuissent. Primum eorum apud Suidam dicitur πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων, καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'. *Indices omnium celebrium doctorum, eorumque scriptorum, libris CXX.* Ejusdem operis meminit Athenæus, lib. VI, c. 10. Τὸ Χαιρεφῶντος καὶ σύγγραμμα ἀναγράφει Καλλίμαχος ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν πινάκων, γράφων οὕτως· δεῖπνα ὅσοι ἔγραψαν Χαιρεφῶν Κυρηβίων, εἶθ' ἑξῆς τὴν ἀρχὴν ὑπέθηκεν· ἐπειδή μοι πολλάκις ἐπέστειλας, στίχων τοέ. *Callimachus in opere de omnis generis indicibus, Chærephontis quoque hunc librum recenset, dicens: De cœnis scripserunt Chærephon, Cyrebion: postea initium hoc libri subjungit: Quandoquidem sæpe ad me litteras dedisti &c. Constat autem ille liber versibus trecentis septuaginta quinque.* Idem lib. XIII. c. 6. Ἐμμελὴς δὲ ἦν πάνυ ἡ Γνάθαινα, καὶ οὐκ ἀνάστειος φθέγξασθαι, ἥτις καὶ νόμον συσσιτικὸν συνέγραψε, καθ' ὃν δεῖ τοὺς ἐραστὰς πρὸς αὐτὴν καὶ θυγατέρα εἰσιέναι, κατὰ ζῆλον τῶν τὰ τοιαῦτα συνταξαμένων Φιλοσόφων. Ἀνέγραψε δὲ αὐτὸν Καλλίμαχος ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων,

νόμων, καὶ ἀρχὴν αὐτοῦ τήνδε παρέθετο. Ο δὲ νόμος ἴσος ἐγράφη, καὶ ὅμοιος. στίχων τριακοσίων εἰκοσιτριῶν. *Fuit quidem certe Gnathænæ elegans, concinna & urbanitate quadam salsa festiva, ut quæ convivalem legem præscripserit, se vel filiam visitantibus amatoribus observandam, idque philosophorum imitatione, qui leges constituerunt. Callimachus in tertio legum suarum indice, eam scriptis mandavit, ejusque initium hoc esse prodidit: scripta lex est similis: versibus CCCXXIII.* Tandem lib. XIV, cap. 13. Πλακούντων δὲ ὀνόματα πολλῶν κατελεξάντων, ὅσον μέμνημαι, τούτων σοι καὶ μεταδώσω. Οἶδα δὲ καὶ Καλλίμαχον ἐν τῷ τῶν παντοδαπῶν συγγραμμάτων πίνακι, ἀναγράψαντα πλακουντοποιϊκὰ συγγράμματα Αἰγιμίου, καὶ Ἡγησίππου, καὶ Μητροβίου, ἔτι δὲ Φαίτου. *Placentarum nomina cum multi conlegerint, ea, quantum quidem memini, tibi recensebo. Novi autem Callimachum etiam indice variorum librorum recensere Ægimii & Egesippi, Metrobii item & Phæti libros de conficiendis placentis.* Auctor Etymologici in πίναξ. Καλλίμαχος ὁ Γραμματικὸς ἐποίει πίνακας, ἐν οἷς ἦσαν αἱ ἀναγραφαὶ παρὰ τῶν ἀρχαίων, οἷς ἐντυχὼν ὁ Γραμματικὸς ἐποιήσατο τὰς ὑποθέσεις τῶν δραμάτων. *Callimachus Grammaticus indices fecit, in quibus antiquorum scripta recensebantur, quos nactus Grammaticus, hypotheses sive argumenta fabularum fecit.* Atque ex hisce ejus πίναξι, *indicibus* sive *tabulis*, plurima citantur in auctoribus, quæ magnam ejus diligentiam abunde probant. Titulum hujus libri quod concernit, πίνακες est, titulus sane in illa materia non infrequens. Sic Apollonius Tyrius edidit πίνακα τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων, de quo infra. Hesychius Milesius ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, de quo suo loco. Πίναξ itaque hoc loco notat indicem, tabulam sive catalogum, in quo, quid Callimachus præstiterit, age videamus.

2. *Primo*. scriptorum quorumcunque celebriorum nomina notavit, id quod ab aliis quoque Grammaticis in similibus πίναξι factum observamus. Suetonius de inlustribus Gram. *hujus* (Aurelii Opilii) *cognomen in plerisque indicibus & titulis per unam litteram scriptum animadverto: Verum ipse id per duas effert in Parasticbide libelli, qui inscribitur* Πίναξ. Hoc Callimachi cæterorumque πινακογράφων labore, usus forte est Demetrius Magnes in conficiendo libro suo περὶ ὁμωνύμων, *de scriptoribus ejusdem nominis.*

Secundo

3. *Secundo*, vitam cujusque scriptoris breviter præmisisse videtur. Hinc mea quidem sententia petita sunt, quæ de Eudoxo tradit Laertius lib. VIII. *Eud.* οὗτος τὰ μὲν γεωμετρικὰ Ἀρχύτα διήκουσε. Τὰ δὲ ἰατρικὰ Φιλιστίωνος τοῦ Σικελιώτου, καθὰ Καλλίμαχος ἐν τοῖς πίναξί φησιν. *Geometriam quidem ab Archyta doctus est. Medicinam vero a Philistione Siculo, ut tradit Callimachus in Indicibus sive Tabulis.* Eundem librum respexit, credo, Tatianus lib. *adversus Gentes*, quando Callimachum iis accenset, qui de Homeri genere, ætate, patria, egerunt. Locum Tatiani supra lib. I. c. 3. adduxi.

4. *Tertio*, de rhetoribus seorsim egisse videtur. Conligimus hoc ex Athenæo XV, 3. ubi de Dionysio Æneo egisse scribit Callimachum ἐν τῇ τῶν Ρητορικῶν (forte ῥητόρων) ἀναγραφῇ. Huc respexit Dionysius Halicarnasseus vita Dinarchi, ubi parum accurate de eo egisse Callimachum refert. Verba ejus hæc sunt: περὶ τοῦ βίου, καὶ τοῦ χαρακτῆρος αὐτοῦ διελθεῖν, καὶ διορίσαι, τοὺς τε γνησίους καὶ ψευδεῖς λόγους, πάντων ἢ τῶν γε πλείστων, ἀναγκαιότερον οἶμαι, τοῖς μὴ ἐκ περιζώματος ἀσκοῦσι ῥητορικήν. Αμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον, οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας, ἀλλὰ παρὰ τὸ μηδὲν ἐξετάσαι περὶ αὐτοῦ, τῶν ἀκριβεστέρων ἡμαρτηκότας, ὡς μὴ μόνον, ἐψεῦσθαι πολλὰ, ἀλλὰ καὶ λόγους τοὺς οὐδὲν μὲν αὐτῷ προσήκοντας, ὡς Δεινάρχου, τούτῳ προστίθεσθαι. Τοὺς δὲ ὑπ' αὐτοῦ γραφέντας, ἑτέρων εἶναι λέγειν.

5. *Quarto*, Libros auctorum enumeravit, idque breviter. Hoc enim in Indicibus istis factum. Ruffinus lib. II. contra Hieronymum. *Libellum quendam scribens comprehendere quasi indiculo quodam voluit, quanta apud Latinos Varro conscripserit, & quanta apud nos Origenes in Græcis.* Et paullo post, cum Origenis opera recensuisset, addit: *Et cum omnia enumerasset ejus opuscula secundum indiculi fidem, addit & dicit, videtisne & Græcos pariter & Latinos unius labore superatos.* Galenus Comm. in Hipp. lib. περὶ ἄρθρων §. 46. negat librum Hippocratis, περὶ ἀδένων οὐλομελίης, propterea legitimum esse, quod neque ullus veterum medicorum ejus libri meminerit, οὐδ' οἱ τοὺς πίνακας γράψαντες ἴσασι τὸ βιβλίον. Quod autem Callimachus simili modo libros cujusque auctoris indicaverit, e locis Athenæi citatis constat & ex Suida.

6. *Quinto*, libri vel scripti cujusque verum titulum indicavit. Indicat hoc Athenæus I, 4. ὅτι Ἀρχέστρατος ὁ Συρακούσιος ἢ Γελῷος, ἐν τῇ ὡς Χρύσιππος, ἐπιγραφομένη Γαστρονομία, ὡς δὲ Λυγκεὺς καὶ Καλλίμαχος, Ἡδυπαθεία, ὡς δὲ Κλέαρχος, Δειπνολογία ὡς δὲ ἄλλοι, Ὀψοποιΐα. Ἐπικὸν δὲ τὸ ποίημα, οὗ ἡ ἀρχή· Ἱστορίης ἐπίδειγμα, κ. λ. *Archestratus Syracusius, sive Gelous in libro, qui secundum Chrysippum inscribitur Gastronomia, secundum Lynceum vero & Callimachum, Hedypathia: secundum Clearchum, Deipnologia, secundum alios vero Opsopœia. Est autem poema Heroicis versibus scriptum, cujus hoc est initium:* Ἱστορίης ἐπίδειγμα, & sic porro. Idem docet Dionysius *Isæo*, ubi Lysiæ quandam orationem περὶ Φερενίκου inscriptam e Callimacho docet. Verba ejus sunt: ἐστὶ δὴ καὶ παρὰ τῷ Λυσίᾳ τις ὑπὲρ ἀνδρὸς ξένου, δίκην φεύγοντος περὶ κλήρου, ποιούμενος τὴν ἀπολογίαν. Τοῦτον ἐπιγράφει τὸν λόγον Καλλίμαχος περὶ Φερενίκου, ὑπὲρ τοῦ Ἀνδροκλείδου κλήρου. Idem περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος, orationem quandam Demosthenis ὑπὲρ Ἀλοννήσου inscriptam fuisse, testimonio seu potius judicio Callimachi probat. Ὁ δὲ, inquit, περὶ τὴν ἐπιστολὴν καὶ τοὺς πρέσβεις τοὺς παρὰ Φιλίππου ῥηθεὶς λόγος, ὃν ἐπιγράφει Καλλίμαχος, ὑπὲρ Ἀλοννήσου, ὁ τὴν ἀρχὴν ἔχων τήνδε· ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι.

7. *Sexto* πινακογράφοι librorum initium notabant, quos cæteri scriptores in libris distincte citandis sequebantur. Laertius lib. VI. *Diog.* γεγόνασι δὲ Διογένεις πέντε, πρῶτος Ἀπολλωνιάτης φυσικός. Ἀρχὴ δὲ αὐτῷ τοῦ συγγράμματος ἥδε· λόγου παντὸς ἀρχόμενον δοκεῖ μοι χρεὼν εἶναι τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι. *Fuerunt autem quinque Diogenes, primus, Apolloniates Physicus. Ejus autem scriptorum istud initium fuit: quicquid est, quod dicere adgredior, operæ pretium esse videtur initium irrefragabile ponere.* Sed ejusmodi initia librorum vel orationum, crebro notant auctores. Vide Laert. lib. I. *Pherecyd.* lib. II. *Socr.* lib. V. *Arist.* lib. VIII. *Pyth. Archyta, Philolao*, lib. IX. *Timone:* Athenæum Deipnos. I, 4. VIII, 6. XIII, 4. Anonymum Ὀλυμπ. ἀναγρ. Olymp. CIX, 3. Dionysium Halicarnasseum *Epist. ad Ammæum de Demosth. & Aristot.* Sed inprimis eundem *Dinarcho*, ubi multa hujus moris exempla adducuntur. Plinius quoque libro primo reliquit librorum suorum de Historia Naturali indicem, iniquitate temporum in multis corruptum & interpolatum, & in eo libri cujusque dictionem initialem notat. His autem dictionibus initialibus ipsi post libri citabantur.

Μηνυ

Μῆνιν ἄειδε θεά notat Iliadem, quod ſatis perſpicue indicant verba Ariſtotelis *Sophiſt.* II, 4. *καὶ γὰρ τὸ ὑμισυ εἰπόντες τῦ ἔπυς, δός μοι Ιλιάδα σημαίνομεν* οἷον τὸ,

Μῆνιν ἄειδε θεά.

Nam & dimidio verſu pronunciato, da mihi Iliadem ſignificamus: veluti, da mihi Μῆνιν ἄειδε θεά. Neque Iliadis modo initium vox Iliadis prima Μῆνις notat, ſed cujusque libri initium juxta Auſonium Epigram. XXVI, in Profeſſores,

Quos legis a prima deductos Menide libri,
Doctores patriæ ſcito fuiſſe meæ.

Primus Lucretii verſus eſt

Æneadum genetrix hominum Divumque voluptas.

Unde *Æneadum genetrix* notat ipſa Lucretii Phyſica apud Ovidium lib. II. *Triſt.* v.261. confer L. Carrionem lib. I. *Emendat* c. 8. Ennii Medeam ita citat Cicero lib. I. de Finibus: *At* utinam ne in nemore *nihilo minus legimus, quam hoc idem Græcum.* Hoc enim iſti tragœdiæ initium fuiſſe, docet Medea Euripidis, quam ut pleraſque alias illius expreſſit Ennius, teſte Varrone lib. VI. de L. L. Nonio, *exui, eliminare, aucupavi.*

O Tite ſi quid ego, prima ſunt verba libri Ciceronis de ſenectute, quæ ad ſignificandum illum librum adhibentur ab ipſo Cicerone libro XVI. ad Atticum epiſt. 3. *Tu vero: Quod vero ſcribis te magis delectari* O Tite, ſi quid ego, *ſi quid agis, addis mihi ſcribendi alacritatem.* Et Epiſt. II. *Nonis:* O Tite, *tibi prodeſſe lætor.* Porro *Arma virumque*, a quibus verbis Æneis poetæ incipit, ipſam Æneida ſignificant apud Martialem VIII, 56. XIV, 185. Perſium *Sat.* I, Ovidium lib. II. *Triſt* v.534. Auſonium *Epigr.* 127. Hebræi & poſtea Chriſtiani ſimiliter vocibus initialibus loca e ſcriptoribus citare conſueverunt, quod eos a Græcis didiciſſe non negaverim. Pſalmi graduales CXX, ad CXXXIII, quod eorum primus ab his vocibus *πρὸς τὸν κύριον* incipiat, dicuntur *τὰ πρὸς τὸν κύριον*. & in caſu generandi *τῶν πρὸς κυρίων*. Callimachum librorum primas voces ſimili modo notaſſe, quod Grammaticorum erat, docent loca Athenæi jam citata e libro VI, & 13.

8. *Septimo.* Dubios libros Callimachus ſuis reddidit auctoribus. Docet hoc Athenæus lib. II. c. 28. Ἑκαταῖος ὁ Μιλήσιος ἐν Ἀσίας περιηγήσει, εἰ γνήσιον τοῦ συγγραφέως τὸ βιβλίον. Καλλίμαχος γὰρ αὐτὸ ἀναγράφει Νησιώτου. *Hecatæus Mileſius in Aſiæ deſcriptione, ſi ejus revera liber eſt. Callimachus enim Neſiotæ* (forte diverſus hic eſt a Neſiota illo rhetore apud Lucianum *Rhet. præceptore) cuidam eum tribuit*, Dionyſius Halicarn. *Dinarcho* orationem Dinarchi contra Theocrinen, cujus initium ἔνδειξις τοῦ πατρὸς ὦ Ἀθηναῖοι, (aliud hodie legitur ejus initium) a Callimacho eſſe Demoſtheni attributam, indicat. Verba ejus hæc ſunt: Κατὰ Θεοκρίνου. ἔνδειξις τοῦ πατρὸς, ὁ Ἀθηναῖοι. Τοῦτον Καλλίμαχος ἐν τοῖς Δημοσθένους φέρει. Laertius lib. IX. *Parmen.* αὐτὸς δὲ διὰ ποιημάτων φιλοσοφεῖ καθάπερ Ἡσίοδός τε καὶ Ξενοφάνης καὶ Ἐμπεδοκλῆς. paullo poſt addit: Καλλίμαχος δέ φησι μὴ εἶναι αὐτοῦ τὸ ποίημα. Non tamen ſemper ejus judicium probat Dionyſius Halicarnaſſeus, quin potius eum erroris arguit *Dinarcho*: ἅμα ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς, οὔτε Καλλίμαχον, οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου Γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας, ἀλλὰ παρὰ τὸ μηδὲν ἐξετάσαι περὶ αὐτοῦ, τῶν ἀκριβεστέρων ἡμαρτηκότας, ὡς μὴ μόνον ἐψεῦσθαι πολλὰ, ἀλλὰ καὶ λόγους τοὺς οὐδὲ, μὲν αὐτῷ προσήκοντας, ὡς Δεινάρχου, τούτῳ προσίθεσθαι. Τοὺς δὲ ὑπ' αὐτοῦ γραφέντας, ἑτέρων εἶναι λέγειν. Improbat quoque ejus judicium de oratione Demoſthenis ὑπὲρ Σατύρου, Photius Ecl. CCLXV. καὶ τὸν ὑπὲρ Σατύρου δὲ λόγον τῆς ἐπιτροπῆς πρὸς χαρίδημον, οἱ μὲν πρὸς τὴν κρίσιν ἔχοντες τὸ ἀσφαλὲς, Δημοσθένους λέγουσιν εἶναι. Ὁ δὲ Καλλίμαχος, οὐδ' ἱκανὸς ὢν κρίνειν, Δεινάρχου νομίζει. Τινὲς δὲ αὐτὸν ὑπεβάλοντο Λυσίᾳ. Diſſentit ab eo Dyonyſius ſuper orationis πρὸς Κριτίαν auctore, apud Harpocrationem ἐνεπίσκεμμα· ἔστι δὲ καὶ λόγος τις ἐπιγραφόμενος Δημοσθένους πρὸς Κριτίαν περὶ τοῦ ἐνεπισκέμματος, ὃν Καλλίμαχος μὲν ἀναγράφει ὡς γνήσιον. Διονύσιος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ὡς ψευδεπίγραφον.

9. *Octavo.* Verſuum cujusque libri numerum in fine notabat, ne de operis magnitudine quisquam dubitare poſſet. Patet hoc ex locis Athenæi e libro VI, & XIII. ſupra citatis. Uſus hac Callimachi opera Laertius ſubinde videtur, quando philoſophorum libris verſuum in iis contentorum numerum addit, ut ſupra in Speuſippi hiſtoria monuimus. Chriſtiani Grammatici, ne minore cura circa ſuos libros verſari Gentilibus viderentur, itidem verſus cujusque libri Biblici numerarunt, numerumque ſingu-

ſingulis libris ſubjunxerunt. Quandoque verſuum ille index (στιχομετρία Græce dicitur) initio vel fine integri operis exhiberi ſolet. Eraſmus in ſua editione Novi Teſtamenti plerisque Pauli epiſtolis verſuum numerum, quem in antiquis codicibus repererat, addidit, in Bezæ editionibus male prætermiſſum. Sic Eraſmus epiſtolæ ad Corinthios priori extremæ addit: ἐν στίχοις ωό, quibus verbis indicatur, epiſtolam eam DCCCLXX verſibus fuiſſe ſcriptam & comprehenſam. Ita in cœteris: univerſam autem codicis ſacri & ſingulorum ejus librorum στιχομετρίαν exhibent plerique antiqui codices, Scaliger *theſauro*, Crojus *obſervationibus*, Pithœus, alii. Quia vero hac ratione integritati librorum conſervandæ optime conſulebatur, Grammatici ſtudioſe ejusmodi verſuum numerum libris adnectebant.

10. *Nono.* Videtur quoque Callimachus rerum indicem a diverſis auctoribus expoſitarum tradidiſſe. De conviviis qui ſcripſerint, ex Callimacho dicit ille apud Athenæum lib. VI. Leges varias aliquot libris ibi conlegit, teſte eodem lib. XIII. De placentis faciendis qui ſcripſerint, ex eodem cognovit ille apud eundem lib. XIV. Simile quid Myronianus Amaſtrianus τῶν ἱστορικῶν ὁμοίων κεφαλαίων libris præſtitit, in quibus earundem rerum a diverſis hiſtoricis deſcriptarum titulos, quos in librorum indicibus obſervarat, conlegit. Laudatur illud opus Laertio lib. I. *Epim.* lib. III. *Plat.* lib. X. *Epic.* Primum ejus operis librum citat idem lib. IX. *Xenocr.* lib. V. *Theophr.*

11. Alterum Callimachi opus apud Suidam hunc gerit titulum: Πίναξ καὶ ἀναγραφὴ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκάλων. *Index & deſcriptio poetarum, quas ab initio ſecundum ſeriem temporum fabulas ediderint.* Hoc opere quid præſtiterit, facilius erit ex modo dictis conligere.

Primo, de poetis in illo egit. Διδάσκαλοι enim poetæ ſunt fabularum. Ἰδίως διδασκάλους λέγουσι τοὺς ποιητὰς τῶν διθυράμβων, ἢ τῶν κωμῳδιῶν ἢ τῶν τραγῳδιῶν, ait Harpocration & Suidas, uterque voce διδάσκαλος. In hac ſignificatione vocem διδάσκαλος uſurpant Ariſtophanes εἰρήνη parabaſi χρῆν μὲν, & Plutarchus lib. *de Muſica.* Διδάσκειν pro *fabulam edere* paſſim occurrit. Sic Anonymus Ὀλυμπ. ἀναγρ. ad Ol. LXI, 1. Θέσπις πρῶτον δρᾶμα ἐδίδαξε. Idem ad Olymp. CXIV, 3. Μένανδρος ἔφηβος ὢν πρῶτον δρᾶμα ἐδίδαξε. Et alibi. Latini ſimiliter

vocem *docere* de fabularum editionibus usurpant. Cicero de Claris Orat. *Livius, qui primus fabulam C. Clodio Cæci F. & M. Tuditano Coss. docuit anno ipso, antequam natus est Ennius ---- ii, qui multas docuerant ante hos Coss. & Plautus & Nævius ---- Hoc Prætore ludos Apollini faciente cum Thyestem fabulam docuisset Q. Martio, Cn. Servilio Coss. mortem obiit Ennius* & reliqua. Horatius lib. I. de arte poetica:

Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

Sed infinita occurrunt exempla. Qui comœdias docebant, dicebantur *κωμῳδιδάσκαλοι*. Ita eos adpellat Aristophanes loco jam citato. Isocrates orat. *de pace p.* Qui tragœdias docebant, dicebantur *τραγῳδιδάσκαλοι*, ut eos nominat Aristophanes *Θεσμοφ.* *εὔφημος*, ubi Scholiastes: *διδάσκοντα τὰς τραγῳδίας. παρὰ δὲ τοῖς παλαιοῖς διδάσκαλος ἐκαλεῖτο πᾶς ὁ ἐνεργῶν τι περὶ τὴν δραματοποιὸν καὶ τῶν κυκλίων χόρων παρασκευήν.* Dithyrambopæi dicti sunt *κυκλιοδιδάσκαλοι*, apud Aristophanem, *Avibus* *Αναπέτομαι*. *Διδασκαλία* erat tum ipsa editio dramatis, tum brevis historia editæ fabulæ.

Secundo, ætatem cujusque poetæ adsignavit. Id enim a Grammaticis fieri solitum docet Clemens Alex. lib. I. *Strom.* Posteaquam enim de variis poetis ibi egerat, addit: *Τοὺς χρόνους τούτων παῖδες ἀποδιδόασι γραμματικῶν.* *Tempora horum tradunt filii Grammaticorum.*

Tertio. Titulos omnium fabularum diligenter notavit, eaque diligentia nititur Athenæus VIII, 3. *οὐ περιέτυχον τῷ Ασωτοδιδασκάλῳ. Αλλ' οὐδ' ἀναγραφῆς ἀξιωθέντι σύνοιδα· οὔτε γὰρ Καλλίμαχος, οὔτε Αριστοφάνης αὐτὸ ἀνέγραψαν.* *Nunquam vidi Asotodidascalum, neque ejus ullus, quod sciam, meminit. Neque istud drama apud Callimachum, neque apud Aristophanem notatum invenimus.* Athenæus XI, 13. *Δίφιλος ἐν αἱρέσει τείχει, τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο Καλλίμαχος ἐπιγράφει Ευνοῦχον.* *Diphilus in Αιρέσει τείχει quam fabulam Callimachus Eunuchum inscripsit.* Variabant autem quandoque fabularum nomina, de quibus in *Dicæarcho* aliquid diximus. Contrahebantur etiam ut *ὄνου σκιά*, *ὄνος* diceretur observante Is. Casaubono ad Athenæum.

Quar-

Quarto, Didascaliam cujusque fabulæ notavit. Scholiastes Aristophanis ad Aves. Ὁ Καλλίμαχος ταύτης τῆς διδασκαλίας οὐ μέμνηται.

Quinto, annum quo quæque fabula esset acta, Grammatici adnotabant. Anonymus auctor Didascaliæ Agamemnonis Æschylei: Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ ἄρχοντος Φιλοκλέους ὀλυμπιάδι εἰκοστῇ ὀγδόῃ ἔτει δευτέρῳ. *Acta est fabula hac Archonte Philocle anno secundo Olympiadis vigesima octava.* Didascalia Aristophan. *Equit.* Ἐδιδάχθη τὸ δρᾶμα ἐπὶ Στρατοκλέους ἄρχοντος δημοσίᾳ εἰς λήναια δι' αὐτοῦ Ἀριστοφάνους. Hypothesis Aristoph. *Acharn.* Ἐδιδάχθη ἐπὶ Εὐθυδήμου ἄρχοντος ἐν ληναίοις διὰ Καλλιστράτου. Itemque hypothesi *Vesparum:* Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀμινίου διὰ Φιλωνίδου ἐν τῇ πόλει ὀλυμπίων. Porro hypothesi *Avium:* Ἐδιδάχθη ἐπὶ Χαβρίου Ἄρχοντος εἰς ἄστυ διὰ Καλλιστράτου. Et sicubi in didascaliis anni minus recte essent adsignati, eos corrigebant. Scholiastes Aristophanis ad Nubes Act. I. sc. VI. Ἐρατοσθένης φησὶ Καλλίμαχον ἐγκαλεῖν ταῖς διδασκαλίαις, ὅτι φέρουσιν ὕστερον τρίτῳ ἔτει τὸν Μαρικᾶν τῶν Νεφελῶν, σαφῶς ἐνταῦθα εἰρημένου, ὅτι πρότερον καθεῖται. Λανθάνει δὲ αὐτόν φησιν, ὅτι ἐν μὲν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτο εἴρηκεν, ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον· αἱ διδασκαλίαι δὲ δῆλον, ὅτι τὰς διδαχθείσας φέρουσι.

Sexto, quæ fabulæ editæ fuerint, quæ non editæ indicavit. Hinc forte Athenæus lib. VI, cap. 20. οἶδα ὅτι οἱ Θουριοπέρσαι καὶ τὸ τοῦ Νικοφῶντος δρᾶμα ἀδίδακτά ἐστιν. Διόπερ καὶ τελευταίων αὐτῶν ἐμνήσθην. *Porro mihi compertum est, Thurioper sas & Nicophontis illam fabulam non fuisse actas, quamobrem illarum postremo loco memini.* Scholiastes Aristophanis ad Aves καλῶς, τῶν μηδέπω διδαχθεισῶν Φοινισσῶν Aristophanis meminit.

Septimo, Grammatici de fabulis genuinæ, an nothæ essent, indicarunt. Testis est hypothesis Rhesi Euripideæ. Τὸ δὲ δρᾶμα ἔνιοι νόθον ὑπενόησαν, ὡς οὐκ ὂν Εὐριπίδου. Τὸ γὰρ Σοφόκλειον μᾶλλον ὑποφαίνει χαρακτῆρα. Ἐν μέν τοι ταῖς διδασκαλίαις ὡς γνήσιον ἐπιγέγραπται.

Octavo, Versus si forte sine auctoris nomine adducebantur, cujus essent, indicavit. Lapsus tamen hic quandoque Callimachus judicio, ut indicat Ptolemæus Hephæstionis lib. V. apud Photium, Ecl. CXC.

12. Tertium Callimachi apud Suidam opus est, *Πίναξ τῶν Δημοκρίτου γλωσσῶν καὶ συνταγμάτων. Index vocum obscuriorum in Democrito & librorum ejus.* Sed forte hoc opus pars primi fuit, neque seorsim enumerari debuit. Quod si vero Suidæ sententia vera est, de duobus præcipue Callimachus opere illo egit. Primum quidem glossas Democriti explicavit. Glossa vero erat vox peregrina vel obscura. Has glossas qui explicabant, Glossographi dicebantur, cujusmodi fuerunt Amerias, Clitarchus, Glaucon, Neoptolemus, Nicander Ætolus & Thyatirenus, Pamphilus, Philoxenus, Seleucus, Simmias, Timachidas, Artemidorus, aliique, qui in variis auctoribus occurrentes obscuriores voces explanaverunt. Simili modo & Callimachus *voces secretiores*, ut Quinctiliani ῥήσει utar, vel peregrinas in Democrito occurrentes explicuit. Forte ex hoc Callimachi opere est, quod habet Phavorinus Ασκληρὲς. *Ασκληρὲς ἰσόπλευρον παρὰ Δημοκρίτῳ*: Stephanus τρωιὰς Hegesianacta Grammaticum *περὶ τῆς Δημοκρίτου λέξεως*, & Laertius Thrasyllum, *περὶ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων* scripsisse tradunt. Ciceto tamen obscuritatem a Democrito removet lib. II. de Divin. *Valde Heraclitus obscurus, minime Democritus.* Præter glossas Democriticas egit quoque Callimachus in hoc opere *de l bris Democriti*, quam historiæ philosophicæ partem intercidisse dolemus. Similem laborem circa Democriti libros Thrasyllus suscepit, de quo infra.* Laertius Democriti libros e Thrasyllo citat complures, præter quos alium *de fine*, citare Clemens lib. II. *Strom.* videtur: *Δημόκριτος ἐν τῷ περὶ τέλους, τὴν εὐθυμίαν ἣν καὶ εὐεστὼ προσηγόρευσεν. Democritus libro de fine, optimam vitam statuit animi tranquillitatem, quam etiam* εὐεστὼ (vernacule Wohlstand) *adpellavit.* Laertius librum quidem *περὶ τέλους* Democriti non memorat, de fine tamen homin s Democritum egisse indicat: *Τέλος εἶναι τὴν εὐθυμίαν, οὐ τὴν αὐτὴν οὖσαν τῇ ἡδονῇ (ὥς ἔνιοι παρακούσαντες ἐξεδέξαντο) ἀλλὰ καθ' ἣν γαληνῶς καὶ εὐσταθῶς ἡ ψυχὴ διάγει, ὑπὸ μηδενὸς ταραττομένη φόβου, ἢ δεισιδαιμονίας, ἢ ἄλλου τινὸς πάθους· καλεῖ δὲ αὐτὴν καὶ εὐεστὼ, καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὀνόμασι. Finem vero esse rectum quietumque animi statum, quem* εὐθυμίαν *vocat, quæ ut quidam oblique interpretantur, non idem sit, quod voluptas, verum secundum quam animus magna tranquillitate constantiaque beatus est, dum nullo metu,*

* *Lib. III, cap. 3. §. 2.*

metu, nulla superstitione, aut alia quavis perturbatione agitatur. Adpellat vero eam ἐυεςὼ *aliisque multis nominibus.* Atque hæc est ipsa Epicuri sententia, qui Democritum ut alibi, ita hic sequutus est. Laertius lib. X. ἔπειτα περιτυχόντα τοῖς Δημοκρίτȣ βιβλίοις ἐπὶ φιλοσοφίαν ἀῖξαι, *postea lectis Democriti libris, philosophia se dedisse.* Cotta Acad. apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deorum. *Democriti viri magni fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit.* Respicit nimirum voce *hortulos* ad hortum, in quo Epicurus philosophiam suos docere consuevit. Hinc ibidem *Epicuri hortus* pro schola Epicuri, confer Propertium lib. III. Οἱ ἐκ τȣ̃ κήπȣ ait Apollonius Tyaneus epistola ad Euphraten. Atque hanc de felicitate hominis sententiam, quem e Democriti περὶ τέλȣς libro hauserat, Epicurus libro suo περὶ τέλȣς itidem tradidit. Id tandem circa hunc librum notandum, quod Laertius libri quidem περὶ τέλȣς Democriti non meminerit, libros autem alios duos περὶ ἐυθυμίας unum, alterum ἐυεςὼ tanquam distinctos recenseat, deque posteriore sic conqueratur, ἡ ἐυεςὼ ȣ̓χ ἐυρίσκεται. Verum uti Democritus τὴν ἐυθυμίαν ἐυεςὼ adpellavit teste Laertio, sic eundem librum περὶ ἐυθυμίας & ἐυεςὼ fuisse credo, neque diversum librum περὶ τέλȣς. Liber *de pestibus*, Gellii tempore adhuc superstes fuit, teste ipsius citatione lib. IV. Noct. Attic. c. 13. Liber *de Chameleontis vi & natura*, eidem X, 12. & citatur, & spurius habetur. Neque melioris notæ liber *de herbarum effectu* apud Plinium XXV, 2. confer Marsilium Cagnatum lib. II. Var. Observat. cap. 7. Quod si vero Callimachi memoratum opus superesset, omnes scrupulos tolli potuisse credo.

13. Atque hæc de Grammatico Callimacho, ejusque tribus egregiis operibus, quæ historiam philosophicam maxime inlustratura fuisse videntur. Diversus ab hoc est Callimachus ille strenuus, Græcorum dux in bello Medico, notus ex Plinio, XXXV, 8. Pausania *Atticis*, Laertio, lib. I. *Solone.* Ammiano Marcell. lib. XXIV. Alius item est Callimachus, curator testamenti Platonis, apud Laertium, lib. III. Callimachum Medicum laudat Plinius, XXI, 3. Callimachum Statuarium idem, XXXIV, 8. Pausanias *Atticis, & Bœoticis*, hujus subtilibus & elegantibus operibus Lysiæ orationes comparat Halicarnasseus *lib. de antiq. Rhet.* Callimachum Atheniensem memorat Plutarchus *Catone majore:* Callimachum Amisenorum præfectum, tempore belli Mithridatici idem *Lu-*

cullo. Adde Vossium, & quæ nos in *Grammaticis* dicemus, si ei labori superesse licebit.

Caput VI.

1. Ister scripsit ἀτθίδας, ἀποικίας Ægypti, ἐπιφανείας. adversus Timæum. 2. Sphærus de Lycurgo, Socrate, & philosophis Eretriacis egit. 3. Apollophanes Aristonis magistri sui historiam exposuit. Emendatur Athenæus. Apollophanes alii. 4. Dioscorides Stoicus varia scripsit. 5. 6. Varii Dioscorides. Cigalinus notatur.

1.

AD Evergetæ tempora nos conferamus, ubi Callimachum sequatur discipulus & servus Ister, patria itidem Cyrenæus vel Macedo: juxta Hermippum vero lib. II. *de servis doctis* Paphius, ut habet Suidas Ἴστρος. Dicitur Καλλιμάχειος Athenæo, VI, 20. quod scilicet Callimachi fuerit discipulus: ibidemque Athenæus eum contra Timæum Siculum ἀντιγραφὰς quasdam scripsisse indicat. Præterea litteris prodidit συναγωγὴν τῶν Ατθίδων, teste Harpocratione κοιρωνίδαι. *Primus* ejus operis liber citatur eidem in voce λαμπάς. *Tertius* eidem in παναθήναια. *Decimus quartus* apud Athenæum, XIII, 1. *Decimus sextus* apud Harpocrat. in τραπεζοφόρος. Ejusdem ἀποικίας *Ægypti* citat Africanus Excerpt num. CDLXIV. de Argivorum Regibus apud Scalig. Thes. Temp. fol. CCCLXIII. Ἄτακτον ejus laudat Harpocration παιανιεῖς. Hic an alius Ister sit, incertum est, qui ἐπιφανείας scripsit, quas citat Plutarchus lib. *de Musica.* Egit in illo opere de variis deorum aparitionibus. Ἴστρος ἐν πρώτῳ τῶν Ἀπόλλωνος ἐπιφανειῶν. *Ister libro primo de Apollinis aparitionibus* laudatur Harpocr. φαρμακός. In historia quoque philosophica locum Ister forte meretur propterea, quod adversus Timæum scripserit teste Athenæo, lib. VI. Laertius quoque lib. II. Xen. ad *Xenophontis*, & Anonymus vita Soph. ad *Sophoclis* vitam tradendam eum adhi-

adhibuerunt. Phrynin Citharœdum Hieronis servum & coquum fuisse ex Istro desumsit Schol. Aristoph. Νεφ. fol. CLXXIX. de variis autem Istris vide Vossium.

2. Sphærus Bosphoranus, Stoicus, qui cum Chrysippo apud Cleanthem philosophiæ operam dedit, teste Athenæo, VIII, 13. *De Lycurgo & Socrate* tres libros reliquit: unum item *de Philosophis Eretriacis*, teste Laertio, lib. VII. *Sphærus*, & Suida Σφαῖρος. Meminit illius & Plutarchus *Lycurgo*.

3. Apollophanem, Stoicum, Laertius lib. VII. *Zen.* ad Stoicorum placita & dogmata explicanda adhibet, & in *Physica* cum de vacuo disseruisse, alibi etiam unam tantum virtutem, prudentiam nempe statuisse tradit. Locum autem inter historicos sibi vendicare videtur libro Ἀρίστων *Aristo*, de quo Athenæus VII, 6. Ἀπολλοφάνης (in codicibus vulgatis Αφάνης mutilate legitur, neque correxit Casaubonus.) *γνώριμος ἦν καὶ ἦτος τῦ Αρίστωνος, ἐν τῷ Αρίστωνι, καὶ αὐτὸς ὕτως ἐπιγράψας τὸ σύγγραμμα, ἐμφανίζει τὴν τῦ διδασκάλυ φιληδονίαν.* ***Apollophanes quoque Aristonis etiam familiaris in libro, cui Aristonis titulum similiter præfixit, voluptuarium fuisse doctorem suum ostendit.*** Libello itaque hoc, quem Aristonem inscripserat, Aristonis magistri sui voluptuariam vitam exposuit. Quæ de ætate ejus nos dubitare non sinunt, quod Aristonem magistrum habuisse dicatur. Zenonem autem Stoicum audivit Aristo, Arcesilai tempore: Aristonem vero Apollophanes, tempore Ptolemæi Evergetæ. Patriam hujus Apollophanis aperit Stephanus Ἀντιόχεια. Τρίτη Μεσοποταμίας, Μυγδονία καλυμένη, ἥτις παρὰ τῶν ἐπιχωρίων Ασίβη καλεῖται, ὅθεν Ἀπολλοφάνης, ὁ Στωικὸς φιλόσοφος. *Tertia* (Antiochia) ***Mesopotamiæ oppidum est, Mygdonia dictum, quod incolis Asibe dicatur, unde erat Apollophanes, Stoicus Philosophus.*** Citat Apollophanem hunc Tertullian. lib. de anima cap. 14. quod novem animæ partes statuat. Fuit & Apollophanes Medicus in aula Antiochi Soteris, Regi apprime charus, teste Polybio, lib. V, quem laudat Plinius, XXII, 21. Celsus V, 18. cujus forte malagma contra jecinoris duritiem descripsit Galenus, lib. VIII. *de compos. medic. sec. locos. c. 9.* & Paulus Ægineta VII, 18. laudat Aetius tetr. III. f. III. c. 18. utut vero uterque Apollophanes sub Evergete floruerit, non tamen hoc sufficere arbitramur, ut eosdem esse statuanius. Alius fuit Apollophanes Sophista, cui tempore Christi patientis Dionysius Areopagita Heliopoli in Ægypto dixit: ἢ τὸ θεῖον

θεῖον πάσχει ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει, vel Deus patitur: vel patientis vicem dolet, teste Suida Διονύσ. sed quod Polemon Laodicenus Sophista, Aristidis magister, hunc Apollophanem audiverit juxta Suidam l. c. ratio temporis vix admittit.

4. Dioscoridis cujusdam *ἀπομνημονεύματα* advocat ad *Solonis* vitam tradendam Laertius lib. I. Sol. & *Platonis* Athenæus XI, 15. Idem forte est, qui exemplo Zenonis, Persæi, Sphæri Stoicorum, magistrorum suorum ipse Stoicus *de Rep. Lacedæmoniorum* scripsit, quod opus laudat Plutarchus *Lycurgo* & *Agesilao*. Librum *secundum* ejus operis citat Athenæus, IV, 8. Neque diversus est, mea quidem sententia, quem libro *περὶ νομίμων*, de Scytala Lacedæmoniorum egisse indicat Scholiastes Aristophanis ad Aves fol. mihi DCI. & Suidas *σκυτάλη*. Forte idem quem *ἐν τοῖς παρ' Ὁμήρῳ νόμοις* laudat Suidas Ὅμηρος. Idem omnino est, ad quem aliquot libros Chrysippus scripsit, teste Laertio, lib. VII. *Chrys.* & cujus filius Zeno Chrysippo successit. Sed præter hunc & alii fuere Dioscorides.

5. *Primus* esto Dioscorides Antigoni ex fratre nepos apud Diodorum Sic. XIX, 71.

Alter Dioscorides Atheniensis, populo Epicephisius tribus Oeneidis, filius Dionysii curator est testamenti Theophrasti, apud Laertium lib. V. *Theophr.*

Tertius Dioscorides Cyprius unoculus, discipulus Timonis Pyrrhonii, qui sub Ptolemæo Philadelpho vixit, apud eundem lib. IX. *Tim. f.*

Quartus Dioscorides Isocratis discipulus, versus quosdam aliter legendos esse censet, apud Athenæum I, 9. idemque, qui de Amphionis lyra egit, teste Scholiaste Apollonii ad *α ἀργον*.

Quintus Dioscorides Astrologus scripsit Alexandriæ inter eos, qui mortuos conservare solent, constare, hominem plus centum annis vivere non posse, teste Censorino de die natali c. 17.

Sextus Dioscorides cum Serapione Ægyptio ad Achillam missus interficitur, teste Cæsare lib. III. *belli civ.*

Septimus Dioscorides sculptor Augusti coætaneus fuit, teste Plinio XXXVII, 1. Solonis faciem in Amethysto ab hoc cælatore sculptam Bagartius Peireskio ostendit, teste Gassendo vita Peireskii ad A. MDCV.

Octa-

Octavum Dioscoridem Apollonii Neapolitani patrem celebrat Inscriptio apud Gruterum, fol. 86.

Nonus Dioscorides Medicus Herophileus cognomento Phacas dictus fuit, cujus meminit Galenus *præfat. Glossarum Hippocratis.* Idem forte quem Alexandrinum adpellat in glossis ipsis ἰνδικόν. Vixit tempore Antonii & Cleopatræ, teste Suida Διοσκ. Scripsit de nominibus medicinarum, sicut & Mnesitheus, Andreas F. Chrysaris & Xenocrates, teste Galeno *glossis* ἰνδικόν.

6. *Decimus* Dioscorides Anazarbeus ab Alexandrino distinctus, teste Galeno locis citatis. Scripsit de materia Medica & Alexipharmacis, quæ etiamnum supersunt. Vixit post Cratevam, Theophrastum & Heraclidem Tarentinum, teste Galeno *præfat. Glossarum.* Vixit post Julium Bassum, Niceratum, Petronium, Nigrum & Diodotum, Asclepiadas & Andream, ipso de se teste *præfat. librorm de re Medica.* Vixit ætate Neronis, quod ipse indicat, dum præfatione citata Licinii Bassi se æqualem esse dicit. Atqui Licinius ille Bassus consul fuit cum Crasso Frugi sub Nerone, A. U. DCCCXVI, teste Frontino de Aquæductibus, Tacito lib. XV. Consularem eum nominat Plinius XXVI, 1. ubi mortis ejus annum his verbis tradit: *Quo* (carbunculo) *duo consulares obiere condentibus hac nobis eodem anno, Iulius Rufus & Q. Licinius Bassus: ille Medicorum inscitia sectus, hic vero pollice leva manus divulso acu ab semetipso tam parvo vulnere, ut vix cerni posset.* Julius autem Rufus, cujus hic mentio facta, consul erat A. U. DCCCXIX. At Plinius A. U. DCCCXXIX. periit. Æquales itaque fuerunt Dioscorides hic Anazarbeus & Plinius. Hunc cum priori male confundit Suidas Διοσκ. Paulus Cigalinus orationum de Plinii patria, altera negat Dioscoridem Anazarbeum ante Nervæ tempora vixisse aut vivere potuisse, quod Anazarbum oppidum sub Nerva demum juxta Suidam sit conditum, & propterea a scriptoribus Nerva antiquioribus, Strabone, Mela, Plinio ignoretur. Verum fugit doctissimum virum locus ille Plinii V, 27. ubi Anazarbeni in Cilicia memorantur, & commodam propterea interpretationem exigunt ista Suidæ Ανάζαρβος.

Undecimi Dioscoridis cujusdam Tarsensis Medici meminit Galenus lib. V. *de compos. medic. secundum genera cap. 15.* eumque Areo Asclepiadeo æqualem fuisse indicat. Et quoniam præcedens Dioscorides Anazarbeus suos de materia Medica libros Areo dedicavit, dubium oriri videtur,

 tur,

tur, idem ne sit Dioscorides, qui patria quidem Anazarbeus, sed professione, vel potius ob vicinam Tarsensis fuerit dictus.

Tandem *duodecimum* Dioscoridem quendam Medicum juniorem memorat Galenus, quem patrum suorum memoria vixisse, & glossas quidem Hippocrateas multis libris scripsisse, sive potius ex Nigri & Pamphili & Dioscoridis Anazarbei atque ante hos Cratevæ, Theophrasti & Heraclidæ Tarentini libris transcripsisse, neque tamen dimidiam, sed ne tertiam quidem earum partem exposuisse scribit *præfat. Gloss. Hippocr.* & in *ipsis glossis voce* ἰνδικόν.

Decimus tertius Dioscorides Grammaticus, frater fuit Hipparchi & Nicolai illius Sophistæ Byzantini, qui cum Eustephio & Asterio Lacharem Heracleonis Sophistæ Atheniensis discipulum, Sophistam icidem Atheniensem sub Marciano & Leone audivit, teste Suida Νικόλαος.

CAPUT VII.

1. Eratosthenes primus cognomen Philologi sibi vindicavit. Beta dictus. Litterarum nominibus qui adpellati. 2. Scripsit de antiqua Comœdia; de sectis philosophorum. De plagio suspectus. 3. Apollonius Rhodius de Archilocho poeta. 4. Charon de vitis inlustrium virorum egit. Confunditur cum Charonda. Alius Charon.

I.

DE Eratosthene Cyrenæo Aglai F. ut agamus, ordo ætatis postulat. Fuit Grammaticus, Poeta, Philosophus & Geometra, juxta Lucianum *Macrobiis*, ubi eum LXXXII. annos vixisse refert. Fuit Aristonis Chii philosophi, Lysaniæ Cyrenæi Grammatici atque Callimachi poetæ discipulus: magister vero Aristophanis Byzantii Grammatici. Primus *cognomen Philologi sibi vendicavit*, teste Tranquillo lib. de inlustr. Grammat. cap. X.

cap. X. Vixit tempore Ptolemæi Evergetæ & Philopatoris, Olymp. CXLI, 3. juxta Eusebium *Chron.* Et quod in omni eruditionis genere summis proximus esset, dictus est Βῆτα *Beta*, notante epitome Artemidori Ephesii, p.m. XCV. & Suida Ἐρατ.* Neque enim infrequens id apud antiquos erat, litterarum nominibus quenquam adpellari; sic ἀλφα Moysis fuit nomen, eo quod ἀλφῷ *vitiligine* corpus infectum habuerit, ut nugatur Ptolemæus Hephæstionis lib. V. Historiar. apud Phot. Ecloga CXC, & Helladius Besantinous (non Βισαντῖν☉ juxta inscriptionem Epigrammatis I, libri I. Anthologiæ cap. 42.) apud eundem Ecloga CCLXXIX. Βῆτα non modo Eratosthenes noster, teste Suida, Hesychio Milesio Ἐρατ. verum etiam Galerius Crassus, Tribunus militum sub Tiberio Imperatore dictus est; sed hic ob eam caussam, quod *beta* herba libenter vesceretur. Γάμμα dictus est Pythagoras, itemque Orpyllis Cyzicenum scortum. Δέλτα cognomen fuit Antenoris ejus, qui Cretensium historiam conscripsit, idque propterea, quod bonus esset & civitatis amans. Cretensibus enim bonum δέλτον significare adfirmant. Εψιλὸν dictus est Apollonius Philopatoris temporibus Astronomia clarus a figura litteræ, ε, quæ circumagitur cum luna, in quam ille multum studii contulerat. Ζῆτα Satyrus Aristarchi familiaris est nuncupatus, ab investigandi rerum caussas studio. Θῆτα Æsopus ab Idmone Hero suo adpellatus esse dicitur, quod servili esset indole ac versipellis. Nam Θῆτες servos significat. Λάμβδα Cypseli mater, ab Apolline Pythio est nominata, quod pedibus valga esset. Uti hoc ipsum notavit Ptolemæus Hephæstionis lib. V. Historiar. apud Photium. Bachomius monachus magnum discipulorum suorum cœtum in XXIV. ordines distinxit, singulosque litteris græcis nominavit, ut cujusque ordinis vitæ & moribus adpellatio congrueret. Sic verbi gratia simpliciores vocavit *Jota*, vafros ζ vel ξ, alios aliter, ut forma litteræ rationem vitæ classis sive ordinis cujusque exprimeret, observante Sozomeno Histor. Eccl. III, 13. Atque hæc de *beta* cognomine nostri Eratosthenis.

2. Numeratur hic Eratosthenes inter eos Grammaticos, qui Alexandrinæ præfuerunt bibliothecæ, de quibus supra lib. I, cap. 18. Grammaticus cum esset, de poetis eorumque fabulis egit, operique titulum fecit περὶ ἀρχαίας κωμῳδίας, cujus librum *septimum* citat Harpocration μεταλλεῖς.

* *corrigendus tamen.*

ταλῶς. *octavum* Laertius lib. VII. Zen. *undecimum* Athenæus lib. XI, cap. 14. Laudatur etiam ἁπλῶς Eratosthenes ἐν τοῖς περὶ κωμωδίας Polluci Onom. X, 14. Hoc opere diligenter notavit annum, quo quæque fabula edita fuit. Testis est Cicero lib. VI. epist. 1. ad Atticum. *Quis non dixit* Εὔπολιν τὸν τῆς ἀρχαίας *ab Alcibiade navigante in Siciliam demersum esse in mare? Redarguit Eratosthenes, adfert enim quas ille post id tempus docuerit.* De iterata quarundam fabularum editione itidem monuit. Testatur Hypothesis Aristoph. εἰρήνη· φέρεται ἐν ταῖς διδασκαλίαις, ὅτι καὶ ἑτέραν δεδίδαχεν ὁμοίως Ἀριστοφάνης εἰρήνην. Ἄδηλον ἂν φησὶν Ἐρατοσθένης πότερον τὴν αὐτὴν ἀνεδίδαξεν ἢ ἑτέραν καθῆκεν, ἥτις οὐ σώζεται, confer ea, quæ de Callimacho supra diximus. Vitam quoque poetarum breviter indicasse videtur propter locum Plutarchi lib. *an seni ger. Resp.* de Polo tragœdo Demosthenis, ut idem vita *Demosth.* docet, æquali: quem Eratosthenes & Philochorus annos LXX. natum octo tragœdias intra quatriduum certamini subjecisse paucis ante mortem diebus tradunt. Sed & περὶ τῶν κατὰ φιλοσοφίαν αἱρέσεων, *de sectis philosophorum* scripsit, ut auctor est Suidas Ἐρατοσθ. Laertius lib. I. Pherec. de *Pherecyde* locum ex hoc omnino Eratosthenis opere adfert, quod videlicet hic unum saltem Syrium Pherecydem statuat, alterum vero Atheniensem Genealogum faciat. De *Homeri* ætate Eratosthenem egisse docet Clemens, lib. II. Strom. sed forte ἐν ὀλυμπιονίκαις aut χρονογραφίᾳ. De Demosthene ejusque orationibus quid judicandum, indicavit ipse, & Demetrius Phalereus apud Plutarchum *Demosth. paral.* ubi & de morte Demosthenis locus ex illo adfertur. adde lib. de X. Rhet. Dem. Plagii tamen Eratosthenem insimulat auctor Epitomes Artemidori Ephesii, p. m. XCVII. Ἐρατοσθένης δὲ ὁ Κυρηναῖος οὐκ οἶδα τί παθὼν τὰ Τιμοσθένους μετέγραψε βιβλίον, βραχέα τινὰ προσθεὶς ὡς μηδὲ τοῦ μνημονευθέντος ἀποσχέσθαι, ἀλλ' αὐταῖς λέξεσι κἀκεῖνο τοῦ ἐκείνου προσθεῖναι συγγράμματος.

3. Apollonius Rhodius, Eratosthenis in bibliotheca Alexandrina successor, de Archilocho poeta scripsit. Athenæus X, 19. Ὅτι δὲ λευκῷ ἱμάντι περιειλῶντες τὴν σκυτάλην οἱ Λάκωνες ἔγραφον ἃ ἠβούλοντο, εἴρηκεν ἱκανῶς Ἀπολλώνιος ὁ Ῥόδιος ἐν τῷ περὶ Ἀρχιλόχου. *Lacedæmonios candidis loris circumvoluto baculo inscribere solitos, quæ vellent, declarat abunde Apollonius Rhodius libro de Archilocho.* Verum gramma-

ticum

ticum potius, quam historicum opus fuisse reor, & voces atque fabulas in Archilochi poemasi occurrentes eo expositas.

4. Charon junior Apollonii præcedentis, *ἀργοναυτικῶν* scriptoris familiaris, de Apollonii hujus historiis scripsit, teste Scholiaste Apollonii ad lib, II. *ἄργον*: Jure autem hic recensetur, si idem est, ut videtur, Charon ille historicus Carthaginensis, qui scripsit *βίους ἐνδόξων ἀνδρῶν ἐν βιβλίοις δ΄, βίους ὁμοίως γυναικῶν ἐν δ΄*, ***vitas inlustrium virorum libris IV. vitas similiter mulierum libris IV***, teste Suida *χάρων*. Verum enim vero Charon hic Carthaginensis & Charondas Catanensis male confunduntur ab Alexandro Neapolitano, qui lib. VI. ***dier. Gen. cap. 10. Charonda***, ait, ***Carthaginensibus leges dedit.*** Sed lege: ***Catanensibus.*** Tiraquellus errorem videt, fontem ejus non item. Marsilius Ficinus argumento in Minoa Platonis & Cælius Rhodiginus lib. XVIII. ***Antiq. Lect.*** cap. 19. similiter Alexandro & errant & corrigendi sunt. Aliter Græci Νομοθέται δ᾽ ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς ἐπιζεφυρίοις καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος, τοῖς αὐτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι, ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν. Aristoteles lib. II. Polit. cap. 12. Νόμοις ἐχρῶντο τοῖς Χαρώνδου τοῦ Καταναίου, inquit Heraclides de Chalcidensibus Rheginis. Ἀπὸ τῆς Κατάνης Χαρώνδας ὁ διάσημος τῶν ἐν Ἀθήνησι νομοθετῶν ait Stephanus *κατάνη*. Χαρώνδαν Ἰταλία καὶ Σικελία, καὶ ἡμεῖς Σόλωνα. Σὲ δὲ τίς ἕξει τινὰ εἰπεῖν, ait Plato lib. X. *Polit.* Ἐπηνόρθωσαν τὰ κοινά, Ζάλευκος μὲν τὰ ἐν Λοκροῖς, Χαρώνδας δὲ τὰ ἐν Κατάνῃ καὶ τὰ ἐν Ῥηγίνῳ, ὅτε ἐκ Κατάνης ἔφευγε, Ælianus Hist. Var. III, 17. Χαρώνδας ὁ Θούριος dicitur Themistio Orat. I. Χαρώνδας πρῶτος Ἰταλίας καὶ Σικλίας νομοθέτης, Theodoreto *θεραπ.* Serm. IX. Charondæ Catanensis leges nonnullas citat Stobæus Ecl. CXLV. Alius est Charon Lampsacenus historicus ***Herodoto ætate prior***, juxta Plutarchum de Herod. malign. & Tertullianum lib. de anima c. 46.

CAPUT VIII.

1. Chryſippus Stoicus plurima ſcripſit. Librorum ejus apud Laertium catalogus mutilus. 2. Reſarcitur ex antiquis illa lacuna, enumeratione librorum, qui in Laertio deſiderantur. 3. Varii Chryſippi. 4. Chryſippus de Braſſica ſcripſit.

I.

Quemadmodum de ſcriptoribus philoſophicæ hiſtoriæ eo fine agimus, ut ipſa hiſtoria philoſophica inde notior reddatur, & tandem quæ fuerit vera antiqua philoſophia, innoteſcat; ſic & ejus inſtituti circa Chryſippum memores, de eo ſermone paullo liberiore agemus. Solenſis fuit, Tarſenſis ob viciniam dicitur Alexandro. Fuit Cleanthis Stoici diſcipulus & ſucceſſor, *Stoicæ princeps philoſophiæ*, teſte Gellio, VI, 2. *in omni hiſtoria curioſus*, juxta Ciceronem lib. I. Tuſc. Quæſt. *Stoicorum ſomniorum vaferrimus interpres*, juxta eundem lib. I. de Nat. Deor. *homo ſine dubio verſutus & callidus*, ibidem lib. III. de Nat. Deor. plurimos edidit libros. Laertius præfatione. Πολλὰ Ζήνων, πλείω Ξενοφάνης, πλείω Δημόκριτος, πλείω Ἀριστοτέλης, πλείω Ἐπίκουρος, πλείω Χρύσιππος. *Multa ſcripſit Zeno, plura Xenophanes, plura Democritus, plura Ariſtoteles, plura Epicurus, plura Chryſippus.* Idem lib. VII. Chryſip. Πονικώτατος παρ᾽ ὁντινοῦν γέγονεν, ὡς δῆλον ἐκ τῶν συγγραμμάτων αὐτοῦ, ἃ τὸν ἀριθμὸν ὑπὲρ πέντε καὶ ἑπτακόσιά ἐστι, *laboris patientiſſimus præter omnes fuit, quod ex ejus voluminibus conſtat, quæ ſunt ultra 705.* Tandem lib. X. ἐζήλου αὐτὸν Χρύσιππος ἐν πολυγραφίᾳ -- καὶ τοσαῦτα τὰ μαρτύριά ἐστιν, ὡς ἐκείνων μόνων γέμειν τὰ βιβλία, καθάπερ καὶ π ρὰ Ζήνωνί ἐστιν εὑρεῖν καὶ παρὰ Ἀριστοτέλει. *Æmulatus eſt eum* (Epic rum) *ſcribendo multa Chryſippus ---- & tot teſtimonia inſerit, ut vel iis ſolis libri pleni eſſe videantur.* Idem habet ad verbum Heſychius πίναξι in Ἐπίκουρος Damaſcius Iſidori vita apud Photium Ecloga CCXLII. Τῶν παλαιῶν Ἀριστοτέλης καὶ Χρύσιππος εὐφυέστατοι γενόμενοι,

μενοι, ἀλλὰ καὶ φιλομαθέστατοι γεγονότες, ἔτι δὲ καὶ φιλόπονοι. *Ex antiquis Aristoteles & Chrysippus ingeniosissimi fuerunt, & discendi apprime studiosi, laboris item amantes.* Ita suam indolem atque industriam variis a se editis scriptis probare posteris voluit Chrysippus, & probasset, ni sibi quoque eam, quæ omnibus eruditorum libris semper insidiata est, temporis edacitatem inimicam sensisset. Laertius DCCV. libros ab eo scriptos fuisse dicit,* quorum nil præter fragmenta superest. Quin nec ipse Laertius historiæ philosophorum posteris tradendæ totus deditus, temporis morsum effugere valuit, dum Chrysippi librorum DCCV. titulos quidem recensuit, eorum tamen posterior pars in editis exemplaribus desideratur, & vix ultra CDXXXI. libri etiamnum numerati legantur, Quoniam vero eruditi viri ejus libris diligenter admodum usi sunt, eosdemque frequenter citant, titulorum elenchum deperditum ex illis aliquo modo resarcire nobis licuit, cujus rei specimen hic dare placet. Chrysippi σύγγραμμα περὶ τῶν ἀρχαίων φυσιολόγων, *de antiquis Physicis* laudatur Laertio lib. VII. *Chrysippo.* Non de nihilo sunt, quæ notat Casaubonus ad Polybium fol. 3. *Solent Græci partes singulas operum majorum in quocunque genere scriptionis λόγους adpellare, aut τόμους, aut συγγράμματα, quas voces promiscue pro βίβλ⊛ aut βιβλίον usurpant.* Secundum hanc itaque observationem σύγγραμμα, non semper notat librum seorsim scriptum, & hoc Chrysippi σύγγραμμα pars forte fuit operis περὶ βίων, *de Vitis*, cujus *liber primus* citatur ab eodem Laertio lib. VII. *Zenone*, & Plutarcho lib. de contradictionibus Stoicorum, ubi & *quartum de vitis librum* citat & simul indicat, quatuor eorum fuisse libros: μία σύνταξις ἡ περὶ βίων, τέτταρα βιβλία.

2. Porro *librorum Chrysippi contra Platonem de justitia primum*, τὸ πρῶτον τῶν πρὸς Πλάτωνα γεγραμμένων περὶ δικαιοσύνης, citat Plutarchus libro de communibus notitiis adversus Stoicos. Quos libros ad historiam philosophicam inlustrandam multum fecisse, nemo inficiabitur.

Librum quendam Chrysippi *de Diis* citari credo a Plutarcho lib. de aud. poetis, Macrobio lib. I. *Saturn.* cap. 17. ubi ad locum de Diis Chrysippum subinde advocat, Origene item lib. IV. contra Celsum.

* *&* *Suidas in* Χρύσιππ⊛. Συντέταχε βιβλία πλείω ἢ ἑπτακόσια, φιλόσοφά τε καὶ Ἰσορικὰ, καὶ Γραμματικά.

Librum *primum de Diis* laudat Cicero lib. I. de Nat. Deorum. Laertius lib. VII.

Librum *secundum de Diis*, Cicero loco citato, & Plutarchus libro de contradict. Stoicorum.

Librum *tertium* περὶ Θεῶν, *de Diis*, idem ibidem & libro de comm. not. adversus Stoicos.

Librum *undecimum de Diis* Laertius, lib. VII. Zenone.

Τὸ περὶ τοῦ Διὸς σύγγραμμα, *liber de Jove*, apud Plutarchum locis citatis. Ciceronem lib. I. de Nat. Deor.

De Minerva Galenus lib. III. de Hipp. & Plat. decret. c. 8.

Τὰ περὶ εἱμαρμένης *libri de fato*, Laert. lib. VII. Zen. Cicero libro de fato & ex eo Gellius VI, 2. Plutarchus de placitis Philosoph. I, 28. Gellius VI, 2. Eusebius de præp. Evang. IV, 1. Theodoretus Θεραπ. VI. Fulgentius Mythol. lib. I. *Primus de fato*, Eusebio de præp. Evang. VI, 2. *Secundus de fato*, ibidem.

Liber περὶ προνοίας, *de providentia*, Plutarchus lib. de contradict. Stoicorum. *Primus* περὶ προνοίας, *de providentia* ibidem & apud Laert. lib. VII. Zen. *Quartus* περὶ προνοίας, *de providentia*, Gellio VI, 1. & 2. ubi de fato eum egisse in illo indicat.

Τὸ περὶ μαντικῆς, *liber de divinatione*, apud Eusebium de præp. Evang. IV, 2. *Secundus* περὶ μαντικῆς Lactant. I. 6. Laert. 7. Zen. neque plures duobus fuisse docet Cicero lib. I. de divin. *Chrysippus*, inquit, *totam de divinatione duobus libris explicavit sententiam, uno praeterea de oraculis, uno de somniis.*

Περὶ χρησμῶν *de oraculis*, Cicero lib. I. & II. de divin. Apostolius proverbio Νεοττῷ ἐδὲν μοι δίδως. Suidas νεοττόν.

Αἱ Φυσικαὶ τέχναι *artes naturales*, Plutarcho libro de contradict. Stoic. citantur. Τὸ πρῶτον τῶν Φυσικῶν τεχνῶν Laertius lib. VII. Zen. citat.

Primus, secundus & tertius Physicorum apud Laertium loco citato. *Duodecimus* Φυσικῶν, ibidem & apud Phavorinum πρόληψις.

Τὸ περὶ Φύσεως, *liber de natura*, Plutarch. de contr. Stoic. *Secundus* περὶ Φύσεως ibidem, & de commun. notit. adversus Stoicos. *Tertius* περὶ Φύσεως locis jam citatis. *Quintus* περὶ Φύσεως idem de contr. Stoicorum.

Primus

Primus τῶν Φυσικῶν ζητημάτων ibidem, & lib. de comm. not. adversus Stoic.

Secundus περὶ κινήσεως *de motu*, idem de contr. Stoic.

Liber περὶ κενῦ *de inani*, Laert. lib. VII. Zen. Plutarchus loco citato.

Liber *de anima*, Tertullianus lib. de anima c. 14. ubi in octo partes animam a Chrysippo esse distinctam tradit. *Primus de anima* Galenus lib. IV. de Hipp. & Plat. decr. c. I. III, 8. *Duodecimus de anima* Laert. lib. VII. Zen.

Liber de somniis, Cicero lib. I. & II. de divin.

Primus περὶ ἀγαθῶν, Plutarch. de contrad. Stoicor. *Secundus* περὶ ἀγαθῶν, ibidem. *Tertius* περὶ ἀγαθῶν, idem de commun. notit. contra Stoic.

Η περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν εἰσαγωγὴ, *introductio ad doctrinam de bono & malo*, Athenæus IV, 15. XI, 3. Origenes lib. IV. contra Celsum.

Περὶ τῶν δι' αὐτὰ αἱρετῶν, Plutarchus de contradict. Stoic. Athenæus VII, 8.

Περὶ τῶν δι' αὐτὰ μὴ αἱρετῶν, Athenæus IV, 15. Laertius lib. VII. Chrys.

Περὶ καλῦ, Plutarch. de contr. Stoic. Laertius lib. VII. Zen. Athenæus IV, 15.*

Περὶ παθῶν, *de affectibus*, Cicero lib. IV. Tusc. Quæst. Laertius VII. Zenone. Galenus sæpe libris de decretis Hippocr. & Plat. ubi lib. VIII, c. c. 1. eorum tres fuisse indicat. Adde V, 5. Clare hoc docet idem Galenus lib. III. de locis affectis cap. 1. Χρύσιππος φιλόσοφος ἔγραψεν περὶ τῶν τῆς ψυχῆς παθῶν, ἓν μὲν τὸ θεραπευτικὸν βιβλίον, ᾧ μάλιστα χρῄζομεν, εἰς τὴν ἴασιν αὐτῶν. Ἕτερα δὲ τρία λογικὰς ἔχοντα ζητήσεις. Liber primus περὶ παθῶν, Galenus L. & c. IV. & L. V, c. 1. de Plat. & Hippocr. decretis.

* *Fortassis idem hic Liber est, cujus jam Laertius in hujus vita 202. meminit:* περὶ τῦ καλῦ καὶ τῆς ἡδονῆς πρὸς Ἀριστοκρέοντα, de honesto & voluptate ad Aristocreonem philosophum Stoicum.

Τὸ περὶ παθῶν θεραπευτικὸν, Origenes lib. I. & VIII. contra Celsum. Galenus lib. IV. de decretis Hippocratis & Platonis. cap. 4.

Περὶ τέλȣς, Plutarchus de comm. not. adversus Stoic. Cicero lib. IV. Acad. Quæst. Liber *prior* περὶ τέλȣς, Plutarch. lib. de contr. Stoic. & Laertius lib. VII. Zen.

Primus liber τῶν κατορθωμάτων, Plutarchus, loco citato.

Τὰ περὶ καθήκοντ☉, Sexto Empirico, lib. III. Pyrrh. hyp. c. 25. & lib. contra Math. fol. CDLXXVI. *Sextus & septimus* liber περὶ τῶν καθηκόντων Plutarchus ibidem.

Quartus ἠθικῶν ζητημάτων, Laertius VII. Zen. *Sextus* ἠθικῶν ζητημάτων, Plutarchus de contradict. Stoic.

Τὸ περὶ ἔρωτ☉, Laertius lib. VII. Zen.

Τὸ πρῶτον περὶ ἀρετῶν, Laertius lib. VII. Zen.

Τὸ γ' περὶ δικαίȣ, Laertius lib. VII. Chryſ.

Τὰ περὶ δικαιοσύνης, Plutarch. de contrad. Stoic. Gellius XIV, 4. & Sextus Empiricus contra Mathematicos, pag. 676. Hisce de justitia libris opposuit alios Plutarchus, teste catalogo Lampriæ: περὶ δικαιοσύνης πρὸς Χρύσιππον βιβλία γ'. *Primus* περὶ δικαιοσύνης, Plutarcho de contradict. Stoic. & Laertio VII. Zen. laudatur. *Tertius* περὶ δικαιοσύνης Plutarcho loco citato.

Περὶ τȣ̃ δικάζειν, ibidem.

Secundus liber περὶ ὁμονοίας, Athenæo VI, 19.

Secundus περὶ φιλίας, Plutarcho de contrad. Stoic.

Τὰ προτρεπτικὰ, ibidem. *Primus* τῶν προτρεπτικῶν, ibidem. *Primus* περὶ τὸ προτρέπεσθαι, Plutarcho de commun. not. adversus Stoic. Sed forte idem cum priore. *Tertius* τῶν προτρεπτικῶν, eidem de contrad. Stoic.

Περὶ πολιτείας, ibidem & Sexto Pyrrh. hypoth. III, 25. lib. adversus Mathem. fol. CDLXXVI. Laertio lib. VII. Zen. & Chryſ.

Περὶ νόμȣ, Plutarcho loco citato & Marciano lib. II. D. de Legibus.

Νόμοι, Epiphanio Compendio fidei.

Περὶ βίȣ καὶ πορισμȣ̃, *Liber secundus*, Laertio lib. VII. Chryſ.

Περὶ ȣ̉σίας, Plutarcho de contradict. Stoic.

Περὶ

Περὶ παίδων ἀγωγῆς, *de puerorum educatione præcepta*, Quintiliano lib. I. instit. Orat. c. 1. 3. 11.

Sex libri περὶ ἀνωμαλίας, Varroni libro VIII, de L.L. forte ex hoc ipso opere sunt, quæ idem Varro de vocibus e Chrysippo citat lib. V. & IX. de L. L. & Gellius XI, 12. Laertius Chrysippo quatuor de anomalia tribuit, ubi pro δ' legendum forte ς', ut hic liber ita a Laertio prætermissus dici non debeat.

Τὸ περὶ τῦ κυρίως κεχρῆσθαι Ζήνωνα τοῖς ὀνόμασιν, Laertio lib. VII. Zen.

Αἱ πρὸς Ἀρκεσίλαον ἀντιγραφαὶ, eidem de commun. not. adversus Stoic.

Quartus περὶ δυνατῶν πρὸς Κλεῖτον, δ' Plutarcho de contradict. Stoic. & de oracul. defectu. Atque hæc sunt, quæ de mutilo & imperfecto librorum Chrysippi indice apud Laertium & alios testari possunt. *

3. Plinius Chrysippum *de brassica* scripsisse indicat lib. XX. Hist. Nat. c. 9. itemque Plinius Valerianus lib. IV. de re Medica c. 28. (19.) cujus hæc sunt verba: *Chrysippus Medicus peculiarem brassicæ librum dicavit, omnium morborum ex ea remedia continentem.* Chrysippi librum περὶ λαχάνων laudat Scholiastes Nicandri in *Alexiph.* De cujus operis auctore ut felicius judicetur, distinguendi sunt Chrysippi. **

1. Chrysippus Pelopis filius a Jove raptus erat, de quo sæpe veteres, Plato *Cratylo*, Athenæus XIII, 8. Ælianus *Histor. Var.* II, 21. XIII, 5. Firmicus de profana relig. Suidas Θάμυρις. Clemens Alexandr. προτρεπτ. Stratidis drama *Chrysippus* citat Athenæus IV, 20. Diogenis Tragici Atheniensis

---

* *Addimus adhuc ex Menagii observationibus in hunc locum,* Ι. περὶ αὐξανομένου, de eo quod augetur, *quem Philo in de æternit. mundi memorat. Et hi Chrysippi fuerunt libri, ad morum philosophiam physicamque spectantes. Nunc indicem laudatus Menagius addit etiam eorum Chrysippi librorum, qui ad Dialecticam, sive Grammaticam, aut etiam ad Historiam spectare videntur, qui consuli potest.*

** *Chrysippus Corinthius, quidam Pythagoræ discipulus, à Stanlejo memoratur in historia & vitis Philosoph. p. 704.*

niensis qui sub triginta Tyrannis vixit, & octo tragœdias scripsit, simile drama *Chrysippus* citat Suidas Διογένης. Diogeni Cynico istas Diogenis Tragi tragœdias, Semele tamen excepta, tribuit Laertius lib. VI. inter quas itidem *Chrysippus* recensetur: addit tamen: Σωσικράτης (sic legendum, non Σωκράτης) δ' ἐν τῷ τῆς διαδοχῆς καὶ Σάτυρος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν βίων, οὐδὲν εἶναι Διογένους φασί. *Sosicrates libro primo successionum, & Satyrus libro quarto de Vitis, nullam earum Diogenis* (Cynici) *esse dicunt.*

2. Chrysippus saltator fuit, cujus Alexander epistola ad Philoxenum meminit, teste Athenæo lib. I, c. 19.

3. Chrysippus Cnidius, Medicus fuit tempore Ptolemæi Lagidæ, a quo se multa didicisse fatetur Erasistratus apud Laertium lib. VII. *Chrys.* Galenus quoque lib. *de vena sectione contra Erasistratum cap. 2. & 7.* & lib. *contra Erasistrateos de vena sectione c. 3. 4.* lib. *de curandi ratione per sanguinis missionem, c. 2.* eam Erasistrati præceptorem facit & auctorem sententiæ de venæ sectione improbanda. Forte hic est Chrysippus ille Praxagoræ æqualis, qui post Dioclem Carystium & ante Erasistratum vixisse dicitur apud Plinium XXVI, 2. Meminit hujus Chrysippi Sextus Empiricus adversus Mathem. fol. LI. Πυθιὰς δὲ ἡ τοῦ Ἀριστοτέλους θυγάτηρ, τρισὶν ἀνδράσιν ἐγαμήθη· πρῶτον μὲν Νικάνορι τῷ Σταγειρίτῃ, οἰκείῳ ὄντι Ἀριστοτέλους· δευτέρῳ δὲ Προκλεῖ Δημαράτου τοῦ Λακεδαιμονίων βασιλέως ἀπογόνῳ, ὃς καὶ δύο ἐξ αὐτῆς τεκνοῦται παῖδας, Πρόκλεά τε καὶ Δημάρατον τοὺς παρὰ Θεοφράστῳ φιλοσοφήσαντας· τρίτῳ δὲ, Μητροδώρῳ ἰατρῷ Χρυσίππου μὲν τοῦ Κνιδίου μαθητῇ, Ἐρασιστράτου δὲ ὑφηγητῇ, ᾧ γίνεται παῖς Ἀριστοτέλης. *Pythias autem filia Aristotelis nupsit tribus viris: primum quidem Nicanoris Stagiritæ, familiaris Aristotelis: secundo autem Procli, qui genus duxit a Democrate Rege Lacedamoniorum, qui duos ex ea suscepit filios, Proclem & Demaratum, qui philosophia dederunt operam apud Theophrastum: tertio autem Metrodoro Medico, Chrysippi quidem Cnidii discipulo, præceptori autem Erasistrati, cui natus est filius Aristoteles.* Hic forte est Chrysippus ille, cujus discipulorum quidam apud Antigonum Regem negat hydropicum quendam esse insanabilem, cum alter Medicus Philippus Epirota id adfirmaret apud Celsum lib. III, cap. 21. Quia vero Philippus ille Epirota idem esse videtur ac Acarnan ille Philippus Alexandri M. Medicus, cum Acarnania Epiri regiuncula sit: idcirco eundem hunc Chrysippum putamus

ganus, de quo agimus, qui Alexandri Magni & Lagidæ temporibus floruerit.

4. Chryſippus prioris filius, Ptolemæi Medicus erat, qui apud regem delatus flagellis eſt cæſus, teſte Laertio loco citato.

5. Chryſippus Medicus, qui cum Eudoxo Cnidio Medico Platonis auditore in Ægyptum profectus eſt, teſte Laertio lib. VIII. *Eudoxo* forte idem eſt cum Tertio.

6. Chryſippus Erinei filius Cnidius ab Eudoxo, doctus fuit Phyſica: a Philiſtione Siculo vero Medica & erudita ſcripta reliquit, teſte Laertio, lib. VIII. *Eudoxo*.

7. Chryſippus, prioris nepos, Aethlio præceptore eſt uſus, edidit que *θεραπεύματα ὀρατικὰ τῶν φυσικῶν θεωρημάτων, ὑπὸ τὴν διάνοιαν αὐτοῦ πεσόντων*, teſte Laertio lib. VIII. Eud. Æthlius autem hic idem ſit cum illo Æthlio, qui de Samiorum finibus ſcripſit, incertum eſt. Diverſus eſt Æthlius ille apud Laertium VI. *Diog*.

8. Chryſippus quidam Eraſiſtrati, qui ſub Antiocho Sotere & Ptolemæo Philadelpho vixit, diſcipulus fuit, teſte Laertio lib. VII. *Chryſ.* Nimirum ut Grammaticorum variæ erant ſectæ, Callimachea, Zenodotea, Ariſtophanea, Ariſtarchea, Aratea, Cratetea; ſic & Medicorum alia erat ſecta Herophilea. *Herophilus ſubtilioris ſectæ conditor*, ait Plinius XXVI, 2. Hinc *Herophilei* apud Galenum lib. IV. de dignoſc. pulſ. c. 2. 3:. 1, 3. *Καλλίμαχος ὁ ἀπὸ τῆς* Ηροφίλου *οἰκίας* inquit Erotianus procemio Lexici in Hippocratem. Callimachus nimirum Medicus ille, quem cum Mneſtheo (verius Mneſitheo Athenienſi illo Medico Logico apud Galenum lib. I. *de ſimpl. medic fac.* c. 36. & lib *quæ Julianus in Hippocr.* cap. 5. Auctorem libri qui *Medicus* inſcribitur, Athenæum III, 17. XI, 10.) *de coronis* ſcripſiſſe, auctor eſt Plinius XXI, 3. Ariſtoxenus quidam Herophileus memoratur apud Galenum Chryſermus Herophileus apud Galenum *de differ. pulſuum* lib. IV. cap. 8. & apud Sextum Empiricum *hypoth. Pyrrh.* lib. I. fol. 17. Dioſcorides Phacas juxta Galenum *explan. gloſſarum præfat.* Heraclides Erythræus apud Galenum libro citato cap. 10. & lib. de arte Medicin. cap. 1. Demetrius apud Cæl. Aurel. lib. II. Chron. c. 10. & lib. III. c. 8. Alexander Philalethes, de quo Galenus *de differ. pulſ.* IV, 4. Demoſthenes Alexandri Philalethis diſcipulus (non *doctor*, ut viſum Cl. Reineſio Var. I, 2.) libri, qui Ophthalmicus inſcribebatur, auctor de quo Strabo, XII. Galenus lib. IV. *de diff. pulſ.* c. 4. 5. 10.

Oribasius lib. VIII. Sympos. c. 40. Aetius tetr. II. serm. III. aliique Bacchius Galeno *de diff. pulf.* IV, 6. contra quem fcripfit Heraclides Tarentinus libros tres, quibus Apollonius Citticus XVIII. libris refpondit, tefte Erotiano. Apollonius Mys, de quo alibi. Speufippus Medicus Alexandrinus Herophileus apud Laertium lib. IV. *Speuf.* & Athenæum VII, 14. Zeno quidam Herophileus, apud eundem Diogenem lib. VII. *Zen.* Galenum *gloffis Hipp.* Κάμμωρον & lib. IV. *de diff. pulf.* cap. 8. Hunc refutavit Ariftoxenus tefte Galeno, *de diff. pulf.* IV, 8. & Apollonius Byblas apud eundem Galenum, com. II, ad III. *Epid.* Dicebantur quoque alii Hippocratici. Sic Dioxippus Hippocraticus adpellatur apud Gellium, XVII, 11. Galenum lib. *de optima fecta ad Thrafybulum* cap. 14. Alia erat fecta Erafiftratea, ab Erafiftrato Medico fic dicta. Hinc *Erafiftrati fchola* apud Plinium XX, 9. Hæc Erafiftratea & Herophilea fchola ab obitu Herophili floruit tefte Galeno, *de diff. pulf.* IV, 2. dicuntur *Erafiftratei* apud Galenum lib. *de vena fectione contra Erafiftratum* c. 7. & 8. lib. I. *de dignof. pulf.* c. 3. Tertullianus Apologia *ab Erafiftrato*, inquit, *Medici: ab Ariftarcho Grammatici.* Huic fectæ favebat Ptolemæus Medicus apud Cœlium Aurel. *Chron.* lib. III, c. 8. Menodorus Erafiftrateus inde adpellatus eft Athenæo II, 18. ubi Hicefii Medici familiaris fuiffe dicitur. Atque & hic Hicefius Erafiftrateus dicitur Athenæo III, 10. Teftis quoque eft locus Strabonis, lib. XII, f. συνέστηκε καθ' ἡμᾶς διδασκαλεῖον Ἡροφιλείων ἰατρῶν μέγα ὑπὸ Ζεύξιδος, καὶ μετὰ ταῦτα Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλαλήθους. Καθάπερ ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἡμετέρων ἐν Σμύρνῃ τὸ τῶν Ἐρασιστρατείων ὑπὸ Ἱκεσίου. *Conftructa eft* (prope Laodiceam ad Lycum) *ætate noftra maxima Herophileorum Medicorum fchola a Zeuxide, & poftea ab Alexandro Philalethe: ut tempore patrum noftrorum Erafiftrateorum Medicorum fchola Smyrna ab Hicefio.* Erafiftratei dicuntur Xenophon, & poft eum Apollonius Memphites auctori, qui alias Galenus fuiffe creditur, libro *Medico* cap. 10. Hujus Erafiftrati Medici difcipulus fuit Chryfippus nofter, quem libri *de Braffica* auctorem facit Camerarius catalogo auctorum R. R. annexo libro ejus de re ruftica 12. Norib. MDXCVI. edito.

9. Chryfippus quidam γεωργικῶν, *de re ruftica librorum* auctor laudatur Laertio lib. VII. Chryf.

10. Chryfippus quidam inter Medicos veteres recenfetur a Cælio Aurel. lib. I, c. 4. Meminit ejus iterum lib. II, c. 5. Afclepiadeum hunc nomi-

nominat ejusdemque *de lumbricis* librum citat idem lib. IV, c. 8. Diversus autem videtur a Chrysippo tertio, Erasistrati præceptore. Asclepiades enim hic (diversus omnino ab Asclepiade Medico illo Pompeji M. ætate apud Plinium XXVI, 3. quem crasso errore confusum videmus cum Asclepiade Myricano tempore Ptolemæi Evergetis apud Suidam Ασκληπ.) Erasistrato fuit æqualis, & illius libros ad hunc scriptos citat Cælius Aurel. Chron. lib. V, c. 2. sed adversus Erasistratum potius scripti Asclepiadis libri dici debent, ut ille Pompeji æqualis Asclepiades intelligatur, & forte ideo Asclepiadeus dicitur, quod ab Æsculapio genus ducat, ut idem sit cum Tertio.

11. Laudat Galenus lib. II. *de diff. puls.* cap. 10. Chrysippum Medicum Cilicem, auctorem sectæ Medicorum Pneumaticæ, quam amplexi erant *Magnus* teste eodem lib. III. *diff. puls.* c. 2. *Archigenes* ibidem c. 3. Agathinus & Athenæus Attalensis ibidem c. 6. & IV. 10. quæque Stoicorum decreta probabat teste lib. II. c. 10.

12. Chrysippum medicum quendam laudat Rufus, περὶ τῶν ἐν νεφοῖς c. περὶ φλεβοτομίας. Idem autem hic cum illo, cujus Tertullianus lib. *de anima* meminit & cum quibusdam eorum, quos supra commemoravi, difficile erit adfirmare. Malo hic distinguendo eosdem errare, quam diversos conjungendo.

13. Chrysippus quidam auctor medicamenti Diocydi laudatur Plinio Valer. lib. IV, c. 18. citatur etiam lib. IV, c. 21. sed & hic forte idem cum aliquo superiorum.

14. Chrysippi cujusdam Italica citat Plutarchus *parall. min.*

15. Chrysippus Tyaneus Athenæo paullo major, σεμνότατος συγγραφεὺς dicitur apud Athenæum XIV, 16. & σοφὸς πεμματολόγος, XIV, 14. Scripsit ἀρτοποιικὸν, quod citat Athenæus, III, 28. & ἀρτοκοπικὸν eidem XIV, 15. laudatum; sed idem liber esse videtur.

16. Chrysippum Vectium memorat Cicero lib. VII. epist. ad famil. 14. Forte idem cujus mentio lib. 14. ad Att. ep. 9. XI, 2.

17. Chrysippo cuidam jus civitatis Romanæ impetrare a Trajano conatur Plinius lib. X. epist. 6.

18. Chryſippus *Hieroſolymitanus presbyter, Græce ſermonem de ſanctiſſima Maria Deipara ſcripſit; quem cum Iohannes Picus Pariſienſis una cum aliis edidiſſet, poſtremo idem Margarinus Bignæus per Michaelem Sonnium Lutetiæ curavit inſerendum Bibl. Sanctorum Patrum, ſed & Photius meminit ſive ejusdem, ſive cognominis, qui de Martyrio ſcripſit Nicodemi, Gamalielis, Abibonis,* verba ſunt Poſſevini, Tomo I. *Apparatus Sacri.* Chryſippi ille ſermo de S. Maria Deipara in Latinum ſermonem translatus per Johannem Picum prodiit in 8. Pariſiis MDLXV. Photius autem Ecl. CLXXI. Chryſippi Hieroſolymorum presbyteri de Gamaliele & Nicodemo hiſtoriam exhibet, ubi eundem quoque Theodori martyris laudationem ſcripſiſſe indicat.

19. Chryſippus, Epiſcopus Circines (forte Cercines vel Cirtenſis) vixit A. C. DXVI. apud Baronium Annal. ad annum cit. num. XLVIII. Ita diſtincte Chryſippos recenſere volui, non quod diſtinctos eſſe putem, ſed quod non facile eos alicubi conjungi poſſe cenſeam. Liberum hic eſto cuique judicium.

4. Ex omnibus autem illis Chryſippis Medicis, cui librum *de Braſſica* tribuas, incertum videtur. Verum Medicus fuit Chryſippus ille Plinianus, teſte Plinio XX, 3. 9. qui & lib. I. inter auctores medicos eum aliquoties recenſet: philoſophi tamen adpellatione eum quoque dignatur, lib. XXX, c. 11. ſed cum Eraſiſtrato prior fuerit, teſte ipſo XXVI, 2. & Eraſiſtrati præceptor, lib. XXIX, c. 1. hinc Plinianum hunc Chryſippum lib. *de Braſſica* auctorem, a tertio eorum, quos recenſui, minime diverſum ſtatuo, & mecum facit Meurſius notis *ad Chalcyd.* quanquam Junius *ad Tertull. de anima,* cap. 15. Chryſippum Tyaneum perperam intelligit. Atque ab illo herbam quoque Chryſippeam eſſe dictam apud Plinium XXVI, 9. eumque de Ocymo intelligendum eſſe apud Plinium Hiſt. Nat. XX, 12. itemque Plinium Valerianum IV, 23. autumo. Sed hæc potius iis relinquenda ſunt, qui priſcorum Medicorum hiſtoriam tradunt, quam Johannes Henricus Meibomius ſub manibus habuit, ſed morte præreptus imperfectam aliis reliquit. Reineſium quoque Germanorum in quo quidem litterarum genere doctiſſimum eandem meditari, ex fide dignis cognovi: qui quanto eruditius & ſolidius eam præ multis a'iis tradere poteſt, tanto majore cura quoque elaboratam eam propediem publicandam curaturum eſſe deſiderioque plurium ſatisfacturum, certo ſumus

sumus persuasi. Atque hæc occasione Chrysippi Stoici dicta sunt, qui nostram quoque philosophicam historiam libris suis, *de vitiis & de antiquis Physicis* augere voluit: cujus diligentiam librorum etiam in Laertiano Elencho non memoratorum indice probare, eique ὁμωνύμως alios ad confusionem alias facilem evitandam recensere operæ pretium esse duxi, quo & hic, ut alibi, faciliorem viam ad historiam philosophicam sternam.

CAPUT IX.

1. Philochorus. Ατθίδων Scriptores. illius ἀτθίδες, de Homero, Euripide, Demosthene, Pythagoreis mulieribus. 2. Euphorion de poetis Melicis. Μέλη varia. 3. 4. Hermippus Callimacheus Peripateticus de vitis eruditorum, Homeri, Magorum, septem sapientum, Pythagoræ, Hyponactis, Gorgiæ, Isocratis, Isæi, Theodectæ, Demosthenis, Lacriti, Hyperidis, Aristotelis, Callisthenis, Theophrasti, Theocriti Chii scripsit: itemque de Legumlatoribus, servis celebrioribus. Servi docti & philosophi qui. Hermippi ætas. Hermippus Berytius junior. 5. Cincius de Gorgia egit.

1.

Diximus de iis qui sub Evergete floruerunt, quorum etiam nonnulli Philopatoris adtigerunt imperium. Sequitur, ut de iis, qui sub Ptolemæo Philopatore clari esse cœperunt, dicamus. Eorum celeberrimus est Philochorus, Atheniensis, Grammaticus, qui Eratosthenem, senem, juvenis audivit, teste Suida Φιλόχορος. Vixit post Antigonum & Demetrium, teste Athenæo, XV, 16. Fuit e numero τῶν τὰς Ατθίδας συγγεγραφότων, ut loquitur Josephus lib. I. *de antiq. gentis Jud.* quales erant *Demon*, apud Plutarchum, *Theseo*, Athenæum III, 17. Suidam Φιλόχορος

χορῷ, Scholiasten Pindari, Nem. VII. f. *Demus*, cujus primum Ατθί-δος citat Athenæus XIV, 23. quanquam alii hic *Clidemus* legere malunt. *Hellanicus*, apud Harpocrationem. *Clidemus* vel *Clinodemus*, apud Suidam, πύκνη, Meursium Lect. Theophr. c. I. *Ister*, de quo supra. *Andron* ille, apud Strabonem lib. IX. nisi forte *Androtion* intelligitur, cujus Ατθίδων lib. I. & II. laudat Maximus præfat. in Dionysii Areop. opuscula, aliique apud Vossium. Hunc autem Androtionem incertæ ætatis scriptoribus posthac non adnumerandum esse putamus, quod post Olymp. XC. teste Anonymo Olympiadographo ad Olymp. XC, 3. & ante Aristotelem teste hoc Rhetor. III, 4. vixerit, & teste Suida Ανδροτίων, Isocratis discipulus fuerit. *Melanthius* teste Harpocratione γεφυρίζων *Phanodemus* apud Athenæum & Harpocrationa. Magni sane nominis historicus erat Philochorus noster, & variis scriptis insignis. Attica ejus citat Harpocration συγγραφεῖς. Hinc omnino petita sunt, quæ habet de Neptuno Medico in Teno insula culto Clemens Alex. προτρ. de Tyrtæi versibus Athenæus XIV, 7. de ara Saturno in Attica a Cecrope primum erecta, Macrobius sat. I, 10. De Telesio Atheniense Statuarum Neptuni & Amphitrites in Teno novem cubitalium (Gr. ἐννεαπήχη, quam vocem cum divulsam ἐν νεαπήχη, legerit Hervetus, in *Neapecha* ea vertit crasso errore.) Artifice Clemens Alex. προτρ. De Demosthene, Plutarchus lib. de X. Rhet. Demosth. *Secundum* Ατθίδος laudat Athenæus XV, 14. Stephanus ἀξενοπόγος, Schol. Sophoclis ad Oed. Col. Maximus præfat. in Dionysii Areop. opuscula. *Tertium* Ατθίδων citat idem Maximus lib. c. Athenæus XIV, 9. Stephanus αἰθυία. Harpocration τρικέφαλος. *Quartum* idem ςρατεία. *Quintum* idem ςρυμὴ, συμμορία. *Sextum Anonymus* Ολυμπ. ἀναγρ. ad Olymp. CX, 1. Harpocration χίλιοι. Varinus χύτροι. *Decimum* Harpocration ἀνεπόπτευτος. *Vndecimum* Stephanus ἄσυ. *Duodecimum* Harpocration ὀσχοφόροι, ubi περὶ θέσεως egit, sed θήσεως legendum est potius quam κτίσεως aut θυσιῶν. De Theseo autem Philochorum egisse notum est ex Scholiaste Euripidis ad Hippol. Stephan. Librum ejus περὶ θυσιῶν alias citat Athenæus, XIV, 13. 20. Varinus γλῶσσας θύειν. Ejusdem περὶ ἑορτῶν meminit Harpocration χύτροι. Verum in βιογράφοις quoque numerari meretur, cum de *Homeri genere, ætate & poesi* scripserit, teste Gellio III, 11. & Tatiano λόγῳ πρὸς Ελληνας. *De Euripide* egit teste Gellio vel Agellio (neque enim in hac adpellationis diversitate salus Romani Imperii versatur)

tur) XV, 20, ad *Demosthenis vitam* explicandam eum citat Plutarchus lib. de X. Rhet. Dem. sed de his forte in Attica historia egit. Neque prætereunda hic est ejus Συναγωγὴ ἡρωΐδων, ἤτοι Πυθαγορείων γυναικῶν, *Catalogus Heroinarum, hoc est Pythagorearum mulierum*, quam laudat Suidas Φιλοχ. Qua συναγωγῇ historiam exposuisse videtur celebriorum Pythagorearum: Theanus, Melissæ, Myjæ, Damus. * Plura vero de Philochoro nosse qui volet, Vossium nostrum consulat, & habebit, quo se satiet.

2. Euphorion poeta, sub Evergete juxta Suidam Ἀπολλώνιος, & sub Antiocho Magno celebris patriam habuit cum Aristotele quodam, Lycophrone, Xenophilo Pythagorico, Amphidamante, Philippo, Mynisco, Isæo rhetore, Ismenia pictore, Ctesibio philosopho, Evio, Charone, Eubulide, Philone & Apione illo ab Atheniensibus post civitate donato communem Chalcidem nempe, unde ὁ Χαλκιδεὺς *Chalcidensis* dicitur Athenæo II, 6. Librum scripsit περὶ Μελοποιῶν, *de poetis Melicis*, teste Athenæo IV, 25. Melici autem poetæ erant, qui carmina cantanda componebant & odas scribebant, cujusmodi Μελοποιὸς Pindarus fuit, qui ὁ Θηβαῖος Μελοποιὸς dicitur Athenæo I, 19. Varia autem τῶν μελῶν erant genera. Aristoteles postea quam Polit. VIII, 5. musicam vel ψιλὴν vel μετὰ Μελῳδίας esse dixerat, statim postea cap. 7. τῶν μελῶν, inquit, τὰ μὲν ἠθικὰ, τὰ δὲ πρακτικὰ, τὰ δὲ ἐνθουσιαστικά. Cæterum Scholiastes Aristophanis ad Nubes & Vespas μελη χορικὰ dividit in παρῳδικὰ, στάσιμα, προῳδικὰ, μεσῳδικὰ, ἐπῳδικὰ, ἐξῳδικά. Sed de his alii.

3. Circa eadem hæc tempora magnum erat Hermippi Smyrnæi nomen, qui Peripateticus fuit philosophus, teste Hieronymo, *præfat. libri de Script. Eccles.* Καλλιμάχειος dicitur Athenæo II, 18. alibi. Grammaticorum hoc erat cognomen, qui Callimachum sequebantur, unde Ister quoque Callimacheus dicitur eidem Ath. VI, 19. Uti a Cratete Κρατήτειος adpellatur Herodicus, ab Aristophane Aristophanei, ab Aristarcho Aristarchei, de quibus diximus. Laudat eum Josephus lib. I. *de antiq. gentis Jud.* quod eorum, qui de Pythagoræ scripserunt, sit ἐπισημ-

* *Catalogum vero longe uberiorem locupletioremque & Pythagoreorum & Pythagorearum nobiscum Excellentissimus I. A. Fabricius L. II. B. Gr. communicat.*

ἐπισημότατος, ἀνὴρ περὶ πᾶσαν ἱστορίαν ἐπιμελής. Neque fidem Josepho quisquam derogat, tantæ apud omnes Hermippus habetur auctoritatis atque existimationis. Plagii tamen suspectus fuit: Pappi enim historiam recoxisse dicitur Plutarcho, *vita Demosthenis.* Magnum historiæ philosophicæ adjumentum libris suis *περὶ βίων, de Vitis* adtulit, quibus sæpissime suam historiam Laertius ornat atque inlustrat. Citat *Ἑρμίππον ἐν τοῖς βίοις, Hermippum in vitis*, Laertius lib. I. Thal. lib. II. Anaxag. lib. V. Aristot. Ex Hermippi libro *de carminibus Homeri* quædam citat Stobæus, Ecl. XXXVII, quæ est *de temperantia*, quæ in aliis editionibus quinta est. Quanquam in Græco textu ea non citantur, de Magis quoque scripsit. Laertius præfat. Ἕρμιππος *ἐν πρώτῳ περὶ Μάγων, Hermippus lib. I. de Magis.* Plinius XXX, 1. *Hermippus, qui de tota arte* (Magia) *diligentissime scripsit.* Huc respexit Arnobius lib. I. contra Gentes. Egit quoque de sapientibus Græciæ viris. Ἕρμιππος *ἐν τοῖς περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, Hermippus ubi de VII sapientibus agit*, ait Athenæus X, 12. & Proclus in Hesiodi *ἔργα, καὶ ἡμ. α*, versu XLI. *ἐν τῷ περὶ σοφῶν, opere de sapientibus*, ait Laertius lib I. *Thal.* Quatuor minimum libris id opus constitisse indicio est locus quidam apud Laertium lib. VIII. *Eudoxo*, ubi Ἕρμιππος *ἐν τετάρτῃ περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν, Hermippus lib. IV. de VII sapientibus* testis laudatur. De Pythagora quoque aliquot libris egit. Hermippus *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ Πυθαγόρου βιβλίων, libro I. de Pythagora* ait Josephus lib. I. *de antiq. gentis Jud. ἐν δευτέρῳ περὶ Πυθαγόρου* lib. II. *de Pythagora* inquit Laertius lib. I. *Pyth.* Ex hoc opere sunt, quæ de Pythagora habet ex Hermippo Athenæus, V, 14. Hermippi *τὰ περὶ Ἱππώνακτος, seu de Hipponacte* libros laudat Athenæus VII, 22. Hermippum *ἐν τῷ περὶ Γοργίου lib. de Gorgia* citat idem, XI, 15. Gorgiæ discipulus erat *Isocrates*, de quo itidem eum egisse idem docet Athenæus XIII, 7. ubi Ἕρμιππος *ἐν τῷ περὶ Ἰσοκράτους, Hermippus opere de Isocrate.* De Isocratis quoque discipulis egit. Ἕρμιππος *ἐν τοῖς περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν, Hermippus ubi de Isocratis discipulis agit*, ait idem X, 19. ubi de Theodecte Isocratis discipulo locus adfertur. *οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς Ἰσοκράτους μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος, ὑπὲρ τοῦ δὲ τοῦ ῥήτορος Ἰσαίου οὐδὲν εἴρηκεν ἔξω δυοῖν τούτων. Neque Hermippus, qui de Isocratis discipulis scripsit, cætera diligens, de hoc Isæo quicquam tradidit præter ista duo*, verba sunt Dionysii Halic. *Isæo.* Pluribus hoc opus constitit libris, quorum

rum *secundum* laudat Harpocration Ισαῖος. Ερμιππος, inquit, ἐν δευτέρῳ περὶ Ισοκράτους μαθητῶν. *Hermippus libro secundo de Isocratis discipulis:* ubi pro Ερμιππος male Ευριπος legitur, unde Vossius Euripum facit historicum, qui de Isocratis discipulis volumen reliquerit lib. IV. de Hist. Gr. p. m. DXII. sed codex corruptus ei imposuit. *Tertium* περὶ τῶν Ισοκράτους μαθητῶν, *de Isocratis discipulis* librum celebrat Athenæus VIII, 6. De Demosthene quoque eum scripsisse testatur Gellius, Noct. Att. III, 13. Plutarchus *vita Demosth. parall. maj.* Suidas Δημοσθ. Cæterum quæ de Demosthene habet Hermippus, ea ex Pappo habuit, οὗ τὴν ἱστορίαν Ερμιππος ἀνείληφε, ut loquitur ibi Plutarchus. Egit Hermippus itidem de *Lacrito* oratore, ut auctor est Plutarchus, paroll. Demosth. Ad Hyperidis vitam tradendam eum advocat Plutarchus lib. de X. Rhet. Hermippum ἐν τῷ περὶ Αριστοτέλους, *de Aristotele* ad Aristotelis vitam tradendam adhibuit Laertius lib. V. Arist. sed pluribus de Aristotele libris egit. ἐν τῷ περὶ Αριστοτέλους πρώτῳ, inquit Athenæus XIII, 6. & XV, 16. ubi de Alexino Dialectico locus adfertur, quem Laertius quoque lib. II. *Euclide* adducit: & VI, 13. De Theocrito Chio locum ex Hermippo adfert Athenæus, I, 18. Theophrasti Aristotelis discipuli historiam eum scripsisse constat. Ερμιππος ἐν τῷ περὶ Θεοφράστου, apud Laertium lib. II. Xenoph. & Athenæum I, 17. Ex Callisthenis forte vita sunt petita, quæ Stroibum Callisthenis anagnosten Aristoteli de domini sui loquacitate retulisse tradit Hermippus apud Plutarchum *Alexandro.* Pleraque certe horum opere illo de *Vitis* tradidit, e quo itidem esse censeo, quæ absque τῶν βίων mentione adducit Diogenes lib. I. *Chil. Anach. Phercc.* lib. II. *Eucl. Stilp. Mened.* lib. III. *Plat.* lib. IV. *Arcef.* lib. V. *Theophr. Lyc. Demetrio, Heracl.* lib. VI. *Antisth. Diog. Menip.* lib. VII *Chrys.* lib. VIII. *Pyth. Emped. bis, philol.* lib. IX. *Heracl. Zen. Dem.* lib. X. *Epic. bis.* Plutarchus vita *Lycurgi, Solonis, Alexandri M.* (ubi de Callisthene Aristotelis discipulo agitur) Vix aliud opus intelligit Etymologici M. auctor, qui in ἀπάμεια citat Hermippum ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων λόγῳ, nisi forte ejus de *servis* opusculum citatur. Atque hisce libris quantum profuturus nostræ historiæ fuisset Hermippus, quantaque ea utilissimi hujus scriptoris jactura sit, nemini ignotum esse potest, qui & fidem & diligentiam hujus auctoris consideraverit.

4. Hic forte Hermippus *de legislatoribus* quoque scripsit. Ἕρμιππ☉ ἐν τῷ περὶ νομοθετῶν ait Athenæus XIII, 1. sed eam materiam pluribus libris est complexus. *Eorum primum* laudat Athenæus IV, 13. & Origenes lib. I. contra Celsum, ubi de Pythagora locus adfertur. *Secundum* signat Porphyrius lib. IV. περὶ ἀποχῆς f. ubi de Triptolemo antiquo Atheniensium legislatore quædam citantur. *Sextum* Athenæus, XIV, 13. ubi de Charonda locus adducitur. Potuerunt ex hoc quoque opere petita esse, quæ de Lycurgo & Solone, legislatoribus quippe, habet Plutarchus. Forte & noster Hermippus Smyrnæus ille est, qui aliquot libros περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δέλων scripsit, e quorum *secundo* Suidas ἴςρ☉, adfert Istrum Callimachi servum Paphium fuisse, quem alii Cyrenæum vel Macedona faciant; de quo fides Hermippo utpote Callimachi discipulo haberi potuit. Unde errat Vossius de Hist. Gr. IV, 12. ubi Istrum Callimachi servum fuisse negat. Servos & libertos quosdam doctos memorat Plinius XXXV, 17. 18. Sed qui philosophi servi fuerint, indicat Gellius II, 18. *Phædon* scilicet Socraticus, *Menippus*, cujus etiam meminit Laertius lib. VI. Menip. *Pompylus* Theophrasti Peripatetici, cujus etiam meminit Macrobius lib. I. Saturn. c. 11, ubi integrum hoc e Gellio caput paucissimis saltem mutatis, manifesto plagii indicio transscripsit, servum autem Pompolum adpellat. Sed corrupte pro *Theophrastus* legitur *Philostratus*, qui inter Peripateticos nunquam numeratur. Theophrasti autem servum fuisse Pompylum docet præter Gellium quoque Laertius lib. V. Theophr. Macrobii Saturnalia Manuscripta, quæ servat doctissimus juvenis Marquardus Gudius, civis meus, pro *Pompylus* legunt *Populus*, cui voci *Publius* superscribitur, quasi hoc nomen potius genuinum esse debeat. Editio Basileensis A. MDXXXV, fol. *Polus* habet. Sed Pompyli nomen servo fuisse jam supra diximus. *Persæus* in antiqua Arati poetæ vita, etiam Persius dictus Zenonis Stoici servus Gellio inter philosophos numeratur, & Epicuri *Mys*, *Diogenes item Cynicus, & Epictetus*. De his & similibus servis celebrioribus Hermippus noster Smyrnæus egisse videtur. Ex iis quæ jam dicta sunt, ætatem ejus aliquo modo conligimus, quod post Chrysippum & Istrum, quorum vitas scripsit, vixerit. At Chrysippus, cujus mortis genus describit Hermippus apud Laertium, mortuus est Olymp. CXLIII, ut recte Laertium emendat Vossius de Hist. Gr. I, 17. post quæ tempora Hermippum vixisse certum est. Ista vero Olympiade Ægypto præerat Ptolemæus Philopator, qui paullo post mortuus

tuus est, sub cujus successore Ptol. Epiphane Hermippus noster, ut opinor, vixit, quod inferioris ætatis ei tribuendæ nulla extant certa indicia; sed cum Chrysippus inter eos, quorum vitas scripsit, postremus sit, non diu post Chrysippum eum vixisse conjicimus, persuasi e tot locis vel unicum saltem futurum fuisse, qui de posterioribus eum quoque philosophis scripsisse testaretur, si id factum fuisset. Vossius de Hist. I, 16. Hermippum hunc ad Ptolemæi Evergetæ tempora Chronologiæ non satis convenienter refert, cum post Chrysippum de eo actum oporteret capite 18 vel 19. Hæc de Hermippo Smyrnæo, quem commentario inlustravit Socicrates teste Laertio, lib. I. *Mysone*: præter quem fuit Hermippus Berytius junior sub Hadriano, quorum utrique Vossius *de Legislatoribus* tribuit, quod eorum alterius saltem esse potest. Hic Berytius de somniis eorumque interpretibus quinque libros scripsit. Tertullianus de anima c. 46. *Cetera cum suis & originibus & ritibus & relatoribus, cum omni deinceps historia somniorum Hermippus Berytensis quinione voluminum satiatissime exhibebit.* Hic forte est (prior certe esse nequit) quem de Parthenio citat Suidas Παρθ. Hermippus Dionysipolitarum princeps, notus est e Cicerone lib. I. ep. ad Qv. Fr. 2.

5. Cincius Alimentus hoc tempore celebris, historiam *de Gorgia Leontino*, Sophista illo celebri, Platonis præceptore litteris consignavit. Docet hoc Fulgentius Planciades de serm. antiquo: *Silicernios dici voluerunt senes jam incurvos, quasi jam sepulcrorum suorum silices cernentes. Vnde Cincius Alimentus historia de Gorgia Leontino scribit, dicens. Qui dum jam Silicernius finem sui temporis exspectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultavit.* Verum hunc peculiari libro id præstitisse, non dixerim, neque enim firmum est argumentum. Cincius historiam de Gorgia Leontino tradidit, singulari itaque opusculo & libro id factum est. Quanquam simili modo a multis ex variis historiis libros temere cudi, librorumque copiam generari, jam diximus. De Cincio plura suggeret Vossius lib. I. *de Hist. Latinis* cap. 4.

Caput X.

1. Sotionis de successionibus philosophorum, cujus epitomen fecit Heraclides Lembus. De Timonis Sillis Sotion egit & Elenchis Diocleus. Sotiones varii. 2. Aristophanes ejusque ætas. Anonymi Olympiadographi laus. De poetis egit Aristophanes. Varii Aristophanes. 3. Asclepiades errores in philosophorum libris correxit. *Διορθώσεις* poeticæ. Aristotelis adparentes errores.

1.

PTolemæi Epiphanis ætas Sotionem vidit Alexandrinum, cujus *περὶ διαδοχῶν τῶν φιλοσόφων*, *de successionibus philosophorum* laudat Laertius lib. II. Anaxag. lib. VIII. Eudoxo, Athenæus Deipnos. lib. IV, c. 17, ubi de Persæo Stoico quædam adducuntur. Pluribus constitisse libris docet idem Laertius, qui ejus operis *secundum* citat lib. II. Aristip. *quartum* lib. VI. Antisth. & Diog. *septimum* lib. VI. Diog. *octavum* lib. VII. Chrys. *undecimum* lib. IX. Tim. *vigesimum tertium* præfat. bis. quanquam lib. XIII. pro XXIII. priore præfationis hujus loco citari interpres falso credidit. Quod autem tertium ejus operis librum in proœmio citari scripsit Vossius lib. de Hist. Gr. II, 7, inter *παροράματα* ejus, vel potius librariorum est habendum. Sotionem quoque ab Athenæo XI, 15. his verbis citari credo: *πρὸ γὰρ αὐτοῦ τοῦθ' εὗρε τὸ γένος τῶν λόγων ὁ Τήϊος Ἀλεξαμενὸς, ὡς Νικίας ὁ Νικαεὺς ἱστορεῖ καὶ Σωτηρίων*, ubi pro *Σωτηρίων* legendum esse *Σωτίων* existimo. Idem inventum Alexameno tribuit Laertius lib. III. *Plat.* sed alios sequutus auctores: *Ἀριστοτέλης*, ait, *ἐν πρώτῳ περὶ ποιητῶν Ἀλεξαμενὸν Στυρέα ἢ Τήϊον, ὡς καὶ Φαβωρῖνος ἐν ἀπομνημονεύμασι.* Operis hujus *de successionibus* epitomen fecit Heraclides Lembus, qui sub Ptolemæo Philometore juxta Suidam floruit, de quo infra. Et quia Chrysippi quoque sub Ptolemæo Philopatore

tore mortui historiam, hoc ipso opere complexus est Sotion, teste Laertio lib. VII. *Chrys.* idcirco inter Chrysippi & Heraclidis Lembi tempora, hoc est, sub Ptolemæo Epiphane eum floruisse judicamus. Forte ex illo opere petita sunt, quæ de Cyrenæis ex illo adfert Sextus Empiricus lib. *contra Mathematicos*, fol. CXL. & de Aristippo Socratico Athenæus VIII, 6. Laudat illud Eunapius præfatione: Τὴν φιλόσοφον ἱςορίαν καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων ἐναγῶν (sic cum H. Stephano legere malim, quam ἀνάγων) βίους Πορφύριος καὶ Σωτίων ἀνελέξαντο· ἀλλ᾽ ὁ μὲν Πορφύριος οὕτω συμβὰν εἰς Πλάτωνα ἐτελεύτα καὶ τοὺς ἐκείνου χρόνους· Σωτίων δὲ καὶ καταβὰς φαίνεται, καὶ τοί γε ὁ Πορφύριος ἦν νεώτερος. *Historiam & vitam verorum philosophorum undecunque conlegerunt Porphyrius & Sotion: quorum ille in Platonem ejusque tempora, quod sic illi visum fuerit, desiit: hic quamvis Porphyrio ætate prior, citeriora quoque scripto persequutus est.* Hic omnino est, cujus περὶ Τίμωνος Σίλλων, *de Timonis Sillis*, opus citat Athenæus VIII, 3. quo philosophos forsitan purgavit, quos Timon iste convitiis suis maculaverat. Fortassis & hic auctor est τῶν δώδεκα τῶν ἐπιγραφομένων Διοκλείων ἐλέγχων, *librorum duodecim qui Diocli elenchi inscribuntur*, quos citat Laertius lib. X. p. sed plures fuere Sotiones. Sotion philosophus Παραδοξολόγος, Tiberii Augusti ævo floruit, qui res gestas Alexandri M. litteris prodidit, teste Plutarcho *parall. maj. Alexandro*, & Isaacio Tzetze *ad Lycophrona* fol. CII, quo opere omnino παράδοξα de miris hominum formis exposuit. De fluviis quoque, fontibus & lacubus, mira quædam notavit, quorum Eclogam habet Photius cap. 189. laudat in isto opere Aristotelem, Aristonem Peripateticum, Heraclidem Ponticum, Hieronymum, Isigonum, Amometum, Theopompum, Hellanicum. Extat hoc fragmentum inter opera Aristotelis edita per Sylburgium, in 4 Francofurti anno 1587. Ex hoc Sotione egigramma de fontibus servat Anthologia Græcorum. Iisdem temporibus vivebat Sotion Alexandrinus Stoicus, Senecæ præceptor juxta ipsum Senecam, epist. XLIX & CVIII, Eusebium lib. I. Chron. sub Augusto & lib. II. Chron. numero Abrahamæo MMXXVIII. Olymp. CXCVII, 4. & ibidem Hieronymum, iterumque Hieronymum lib. *de scriptoribus ecclesiast.* ubi Sophronius eum perperam Σώζοντα adpellat, & tandem Marianum Scotum lib. II. ad A. C. XV. Hunc esse credo, cujus *de ira* librum toties citat Stobæus. Sotion Alexandrinus Apollonii Peripatetici, frater natu minor, notus est ex Plutarchi libello *de fratrum amore*

amore. Idem forte est ille Peripateticus, e cujus libro, qui κέρας Ἀμαλθείας, inscribebatur, Gellius Noct. Attic. I, 8. de Demosthene & Laide Scorto quædam adfert. Scholiastes Aristophanis ad Plutum fol. XVI. eadem citat, sed auctorem Phocionem Peripateticum adpellat, quem Scholiasten fideliter more suo & hic sequitur Varinus Λαΐς. Videtur autem Scholiastes depravatis Gellianis codicibus usus fuisse, quibus etiamnum plerique utimur.

2. Aristophanes Byzantinus Grammaticus, Callimachum senem puer audivit, adultior vero Zenodotum. Dionysium item Jambum & Euphronida Corinthium magistros habuit, teste Suida Ἀριστοφάνης, ubi Ol. CXLV, ρμέ, (non με, ut vulgo legitur) vixisse dicitur. Anonymus ille aurea sua & vere pretiosissima Olympiadum descriptione, qua historiam mille annorum compendio nobis exhibet, ad Olymp. CXLV, 1. Ἀριστοφάνης Βυζάντιος Γραμματικὸς, υἱὸς Ἀπελλοῦ, μαθητὴς Καλλιμάχου καὶ Ζηνοδότου ἐγνωρίζετο. *Aristophanes Byzantinus Grammaticus, Apellis F. Callimachi & Zenodoti discipulus floruit.* Audit quoque Eratosthenem Callimachi discipulum, teste Suida Ἐρατοσθένης, post defunctum scilicet sub Evergete Callimachum. Juvenis cum esset Machone Sicyonio poeta familiariter usus est, teste Athenæo XIV, 23. ut ita hinc Machonis ætas cognoscatur, neque ipse inter incertæ ætatis poetas cum Vossio habeatur. Poetarum historiam Aristophanes noster inlustravit, sed grammatici potius quam historici officio functus. Unde ejus industriam alibi commodius laudandam existimamus. Laudat præter hunc, Aristophanem Ægeum nummus quidam apud Goltzium *Thesauro.* Aristophanes Bœotus ἐκ τῶν κατὰ Ἀρχόντας ὑπομνημάτων, apud Plutarchum lib. *de Herod. malign.* narrat non Leontiadem, quod Herodotus lib. VII. voluit, sed Anaxandrum Thebanorum in Thermopylis ducem fuisse. Unde hic historicis Græcis Vossianis addendus videtur. De Aristophane Comico jam supra egimus.

3. Asclepiades Myrleanus, ortû tamen Nicenus erat, teste Suida. Hinc Nicenus dicitur Stephano, Νίκαια, & male Meursius hunc Myrleanum & Nicenum, tanquam duos distinctos recenset. Filius fuit Diotimi cujusdam, & Apollonii, Grammatici, de quo cap. VII. egimus, discipulus, Grammaticus juxta eundem Suidam Ἀσκληπ. Minime vero hic reticen-

cendum est opus ejus φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά, quod ei tribuit Suidas Ἀσκληπ. In illo librariorum errores in philosophorum scriptis occurrentes indicavit & correxit. Erant nimirum illæ auctorum διορθώσεις tum temporis in Criticorum schola frequentes. Suidas Ζηνοδ. Ζηνόδοτος Ἐφέσιος —— πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο. Idem Κράτης. Κράτης, Μαλλώτης, —— συνέταξε διόρθωσιν Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας ἐν βιβλίοις θ'. Hipparchus vita Arati: καὶ τὴν Ὀδύσσειαν διόρθωσε καὶ καλεῖταί τις διόρθωσις οὕτως Ἀράτειος, ὡς Ἀριστάρχειος καὶ Ἀριστοφάνειος. Suidas Τυραννίων, inter Tyrannionis Dioclis Illius, qui Tyrannionis Theophrasti discipulus, teste Suida Τυρανν. fuit, libros recenset διόρθωσιν Ὁμηρικήν. Hinc Ἀριστάρχου, Ζηνοδότου καὶ Ἀριστοφάνους ἐκδόσεις Homericæ laudantur Eustatho il. γ' fol. CCXCVII. Ἀριστάρχειον ἀνάγνωσιν memorat idem il. ζ fol. DXVI. Ut autem hi in poetarum scriptis corrigendis atque emendandis diligentes fuerunt; ita Asclepiades ille, Grammaticus, philosophorum libros corrigendos atque emendandos sibi sumsit: quo ejus labore, si frui nobis per temporis iniquitatem vel doctorum quandoque negligentiam liceret, multa in Aristotele plana atque perspicua forent, quæ ob lacunas aliaque menda difficulter intelliguntur. Loca quæ Asclepiadis industria in Aristotele inlustravit, hæc & similia, credo, fuerunt. Aristoteles Ethicor. II, 9. Calypsoni ea verba tribuit, quæ apud Homerum Odyss. μ Ulysses loquitur. Et Ethic. III, 11. Agamemnonis verba Iliade β Hectori tribuit. Rhetoricorum II, 8. quæ de Amasi narrat, eadem de Amasis filio Psammenito habet Herodotus III, 14. Summa, omnia loca, quibus Aristoteles vel aliis, vel sibi contradixit, Asclepiades examinavit, conciliavit, & menda, unde repugnantia est orta, correxit. Idque non modo in Aristotele, sed etiam in aliis philosophis. Sed hæc ad Grammaticum forum potius spectant. Hunc Asclepiadem cum Asclepiade Prusiensi Medico, & altero, Asclepiade Myrleano, de quo infra agemus, perperam confundit Suidas, vel potius librarius, qui lacunam non advertit. Fuere præter eum & alii hujus nominis.*

* *quos vide Capite XVII, 3.*

CAPUT XI.

1. Aristarchus poetarum historiam inlustravit, sed grammatice potius. Suidas corrigitur. 2. Satyrus de vitis variorum egit. Multi ei homonymi. Dalechampius errare fecit Vossium. 3. Heralides, Sarapionis filius, Lembus, Sotionis de successionibus philosophorum, & Satyri de vitis inlustrium virorum libros contraxit. De Menedemo hic scripsit, non prior Heraclides. Menedemi ætas. Laertii error & Meursii itemque Vossii. 4. Plurimi Heraclides.

I.

EXpositis iis, qui sub Ptolemæo Epiphane celebres fuerunt, nostramque historiam suis scriptis auctum iverunt, ordo monet, ut deinceps ad eos progrediamur, quos Philometoris ætas tulit. Aristarchus discipulorum Aristophanis, qui plurimi erant, celeberrimus Grammaticus, Samothrax fuit ortu, habitatione vero Alexandrinus, Aristarchi filius, Aristarchi & Aristagoræ pater. Discipulos circiter XL reliquit, æmulumque & adversarium habebat Cratetem Malloten, Grammaticum Pergamenum. Tandem anno ætatis LXXII. inedia obiit hydrope correptus, teste Suida Ἀρίσταρχος, sub Philometore eum floruisse, præter Suidam etiam Eusebius *Chronicis* docet. Poetarum historiam non secus ac Aristophanes magister, inlustravit: quare nec plus sibi juris hic tribuet, quam iste, grammaticis potius adnumerandus, quam historicis. Mendum obiter e Suida Ἀμμώνιος tollendum; cum Ammonium Saccum Origenis & Platoni familiarem atque magistrum, qui sub Commodo vixit, Aristarchi scholæ præfectum jam ante Augusti tempora fuisse refert. Videtur sane

fane, ob tantum temporis intervallum lacuna ibi esse, propter quam posteriora verba: *ὃς καὶ διεδέξατο τὴν σχολὴν Ἀριστάρχου πρὸ τοῦ μοναρχῆσαι τὸν Αὔγουστον*, a prioribus separanda, & de altero Ammonio Grammatico intelligenda.*

2. Aristarchi familiaris erat Satyrus juxta Ptolemæum lib. V. apud Photium Ecl. CXC, *Ζῆτα* dictus *διὰ τὸ ζητητικὸν αὐτοῦ*, Peripateticus fuit philosophus, itidemque *περὶ βίων*, *de vitis*, aliquot libris egit. *Σάτυρος ἐν τοῖς βίοις* ait Athenæus VI. 13. Laertius lib. II. *Anaxag.* & lib. VIII. *Emped.* *Σάτυρος ὁ Περιπατητικὸς ἐν τοῖς βίοις* ait idem Athenæus XII, 11. *Quartum* ejus operis librum laudat Laertius lib. VI. Diog. Crebro alias eum advocat Laertius lib. I. Chil. Biante lib. II. Socr. lib. III. Plat. lib. VI. Diog. lib. VIII. Emp. ter. Athenæus VI, 13. ubi de Anaxarcho Eudæmonico philosopho inde locus adfertur lib. XII, 11, ubi de luxu Dionysii senioris Siciliæ tyranni nonnihil citatur, & XIII, 1, ubi de Socrate egisse indicatur, & XIII, 6. ubi de Stilpone philosopho quædam adducuntur. Laudat hoc opus etiam Hieronymus lib. II. contra Jovin. *Refert Satyrus, qui inlustrium virorum scripsit historiam, quod Diogenes palliolo duplici usus sit propter frigus.* Eadem habet Joh. Sarisberiensis lib. V. de nugis curial. c. 17. confer eundem Hieronymum præfat. de script. Eccles. Vitam *Philippi* ex eo inlustrat Athenæus VI, 12. XIII, 1. *Demosthenis* Plutarchus lib. de X. Rhet. *Alcibiadis* Athenæus XII, 9. Pythagoræ vitam ab eo quoque hic descriptam fuisse, constat ex ejus epitome, quam confecit Heraclides apud Laertium, lib. VIII. *Pyth.* idem omnino est, qui ad imitationem Theophrasti *περὶ χαρακτήρων* scripsit, quem librum laudat Athenæus IV, 19. Neque veras modo, sed & fabulosas historias a Satyro consignatas esse, bene observat Vossius, ut simul grammatici munere functus sit Satyrus. Alius ab hoc est Satyrus ille Plutarchi familiaris in Sympósiacis. L. Aurelium Satyrum Augusti libertum memorat inscriptio apud Gruterum fol. LXXXVII. Satyrum Theogitonis F. Marathonium, Lucianus *Necyomantia:* Satyrum præceptorem

* *quod bene agnovit in notis ad ipsum longe celeberrimus Kusterus, qui locum pessime correptum ex MStis in integrum restituit. Fuerunt præterea Aristarchus Samius, Astronomus, Aristarchus Tegeates, Poeta Tragicus.*

ptorem suum memorat Galenus lib. de ordine librorum suorum. Satyrus histrio, Demostheni æqualis, notus est ex Plutarchi parall. *Demosth.* idem forte Satyrus ille Olynthius ὑποκριτὴς, quem apud meretricem Pamphilam cibum sumsisse, ejusque mensa usum fuisse docet Athenæus XIII, 6. Παρεσίτει δὲ τῇ Φρύνῃ Γυλλίων εἷς ὢν τῶν Αρεοπαγιτῶν, ὡς καὶ Σάτυρος ὁ Ολύνθιος ὑποκριτὴς Παμφίλῃ. *Mensa Phryne utebatur Gyllion Areopagitarum quidam, ut Pamphila Satyrus Olynthius histrio.* Male Dalechampius posterius membrum sic vertit, *ut tradit Satyrus Olynthius histrio in Pamphila.* Hinc alii Satyrum inter poetas numerant, cujus Drama *Pamphila* hic citetur. Vide Vossium de Hist. Gr. lib. III. fol. CDXI.

3. Heraclides Sarapionis F. Lembus cognomine dictus fuit, teste Athenæo III, 20. Cætera Vossio pridem observata testimonia de hoc ejus cognomine non transscribo. Photio Tmem. CCXIII. ὁ τοῦ Λέμβου Ηρακλείδης corrupte adpellatur, sed errorem animadvertit Schottus, & in sua versione Latina *Heraclidi Lembo* recte transtulit. De patria ejus inter auctores non satis convenit. Καλλατιανός, ἢ Αλεξανδρεὺς Laertio, Οξυρυγχίτης Suidæ est. Ætas ejus in Ptolemæi Sexti, hoc est, Philometoris tempora & Olymp. CL. incidit juxta Suidam. Scripsit historiarum aliquot libros, quorum XXXIII citat Athenæus XIII, 5. De successionibus item philosophorum libros VI. scripsit, teste Laertio lib. V. *Heraclides.* Sotionis scilicet de successionibus libros in compendium redegit. Hinc *Heraclides* ἐν τῇ ἐπιτομῇ τοῦ Σωτίωνος διαδοχῶν citatur Laertio, lib. V. *Demetrio.* Ηρακλείδης ὁ Σαραπίωνος ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ, Laertio lib. VIII. *Pythag.* & brevius: Ηρακλείδης ἐν τῇ Σωτίωνος ἐπιτομῇ eidem lib. X. p. Satyri quoque libros de vitis inlustrium virorum similiter contraxit. Ηρακλείδης ἐν τῇ τῶν Σατύρου βίων ἐπιτομῇ, ait Laertius lib. VIII. Pyth. Iterumque lib. IX. Zenon. Ηρακλείδης ἐν τῇ τοῦ Σατύρου ἐπιτομῇ. Et tandem lib. VIII. Emp. Ηρακλείδης ἐν τῇ ἐπιτομῇ. Satyri scilicet, cujus περὶ βίων operis, paullo ante meminerat. Casaubonus notis ad Laertii lib. V. Heracl. in penultimo loco ex lib. IX. *Zen.* pro Σατύρου legendum censet Σωτίωνος. Verum lectio constanter est retinenda, nec quidquam mutandum, cum de Satyri epitome ab Heraclide quoque edita ex præcedente etiam loco

aperte

aperte constet, quem in promptu non habuisse videtur vir doctus. Etiamsi vero Heraclides hic Satyri epitomator nullibi vel Lembus, vel Sarapionis F. cognominatur, propter rerum tamen, quas tradidit, affinitatem, Sotionis scilicet & Satyri de philosophis & viris inlustribus librorum epitomas, eundem esse, probabili conjectura statuimus. Ex Heraclide Sarapionis Tragoedias Empedocli non esse tribuendas docet Laertius libro VIII. *Emp.* Pythagoram anno LXXX ætatis esse mortuum idem libro VIII. *Pyth.* Ex Heraclide Zenonem Stoicum Stilponis fuisse auditorem refert Laertius lib. II. *Stilp.* Stilponem fuisse Thrasymachi discipulum idem ibidem. Platonem juvenem fuisse verecundum idem lib. III. Heraclides ille, quem de morte Menedemi philosophi citat Laertius lib. II. *Mened.* noster omnino est, prior certe Ponticus esse nequit. Etenim Menedemus ille, Stilponis auditor, Lycophrona, qui sub Philadelpho floruit, magni fecit, & anno ætatis LXXIII. mortuus est. Persæo Stoico Zenonis famulo & discipulo, qui Olymp. CXXX. florebat teste Laertio VII. *Zen.* sese opposuit apud Laertium lib. II. *Mened.* Menedemus & Timon Arati præceptores Olym. CXXIV. circiter fuere, juxta Suidam, Ἄρατος. Cum itaque Heraclides post hæc tempora vixerit, diversum eum ab Heraclide Pontico Platonis auditore necessum est fuisse. Si enim Plato Ol. CVIII. obiit, Heraclides autem ejus auditor anno ætatis XX. fuit, & Menedemi qui Olym. CXXX. floruit, vitam scripsit, anno ætatis CVIII & ultra mortuus erit Heraclides. Videtur tamen alia conjectura e Laertio petita contrariam sententiam firmare. Heraclides prior Ponticus ille Speusippi, Olym. CX. mortui auditor, & Dionysii Metathemeni Stoici præceptor atque familiaris fuit. Atque illi Dionysio Menedemus quoque & Aratus juxta Laertium præceptores & Persæus æquales erant. At Persæi adversarius erat ille Menedemus, de cujus morte scripserat Heraclides, qui, si temporis rationem prorsus quis habere nolit, esse potest Heraclides Heracleotes Ponticus, quem jam ante Olym. CVIII. Platonem audivisse Laertius lib. III. indicat. Quare si cui tot annos Heraclidi Pontico tribuere non videatur absurdum, credat, licet, eundem esse Heraclidem, qui Olym. CVII. Platonem audivit, & post Persæum Menedemi adversarium Ol. CXXX. vixit. Confirmat hanc sententiam ipse Laertius lib. II. *Mened.* ubi Menedemum Platonis auditorem facit. Laertium sequitur Hesychius *Mened.* Quod si verum est, Menedemus, qui 7:

ætatis anno mortuus est, vix decennis esse potuit, cum Plato moreretur, sic Olym. CXXIV. adhuc vixit. At Olym. CXXX. vixisse eum probabiliter statuimus. Igitur Platonis discipulus non fuit. Sed quid de Aristoxeno Aristotelis familiari & discipulo? Hunc Heraclide posteriorem fuisse oportet, quandoquidem ejus in suis scriptis meminit teste Laertio lib. V. *Heracl.* sed potuit vivi adhuc Heraclidis ita meminisse, & ante Heraclidem mortuus esse. Sed sint hæc ita: de hoc jam disquiramus. Cum Heraclidem scripsisse Archimedis vitam dicat Eutocius commentario in Archimedis librum *περὶ τῆς τȣ͂ κύκλȣ μετρήσεως* his verbis: *Ἀλλ' ἐςὶ μὲν τȣ́τω τὰ βιβλίον, ὥς φησιν Ἡρακλείδης ἐν τῷ Ἀρχιμήδȣς βίῳ, πρὸς τὰς τȣ͂ βίȣ χρείας ἀναγκαῖον.* Inde non immerito dubitantur? uter hic intelligatur Heraclides, Ponticus an Lembus? Ponticum hic intelligi censent Meursius, notis ad Chalcidium, & Vossius de Hist. Gr. I, 9. Ego eorum sententiam falsam esse judico, idque propterea, quod Archimedes Olym. CXLII, 1. occisus sit, cujus vitam ab Heraclide Pontico, qui Platonem & Speusippum audivit, scriptam esse non credo. Quis vero Heraclides illius Archimedis vitæ fuerit auctor, equidem non dixerim. Forte est Heraclides noster Lembus, qui paullo post Archimedem vixit. Huic si ea, quæ de Platone, Menedemo & cætera, a Laertio citantur, quisquam malit tribuere, minus dubii restabit.

4. Sed magna Heraclidum est copia, quorum quatuordecim enumerat lib. V. *Ἡρακλείδης.* Laertius. Meursius notis ad Chalcidium Heraclidibus istis quatuordecim apud Laertium lib. V. enumeratis addit (15) Comicum ex Athenæo. (16) Lycium Sophistam ex Philostrato. (17) Mopseatem ex Athenæo. (18) Cretensem ex Apollonio *παραδοξολόγῳ.* (19) Soranum ex Etymologico *λημῶ.* (20) Syracusanum ex Polluce & Athenæo. (21) Tirinæum ex Etymologico. Potuisset Meursius porro addere (22) Aenium Thracem Platonis discipulum apud Laertium lib. III. Plat. (23) Heraclidem Alexandrinum, qui *Paradisum* scripsit, sive de vita patrum quorundam tempore Theodosii M. ut ipse initio libri indicat. Exstat is Latine apud Rosweidum *vitis patrum* folio CMXXXVI. (24) Erythræum medicum Herophileum, cujus meminit Galenus lib. IV. *de diff. puls. cap. 10.* ubi eum Chrysermi discipulorum clarissimum nuncupat & librum ejus de Herophili secta septimum citat. & lib.

& lib. *de arte medic. cap. 1.* Apollonii Muris Medici συσχολαστὴν eum adpellat Strabo lib. XIV. eumque sua ætate floruisse scribit. (25) Syracusanum alterum, qui itidem de re culinaria scripsit teste Athenæo XII, 3. (26) Tarsensem Stoicum, Antipatri Tarsensis Stoici familiarem, laudat Laertius lib. VII. *Zen.* quem tamen lib. V. in Heraclidum enumeratione ipse præterit: Sed horum omnium post Ponticum & Lembum celeberrimus est. (27) Heraclides Tarentinus Medicus Empiricus juxta Laertium lib. V. *Heracl.* Galenum lib. II. *Meth. Med.* cap. 7. Magistrum Herophileum habuit Manteam, Galeno teste lib. II. *de compos. Medic. sec. genera cap. 1.* Scripsit tres libros contra Bacchium Herophileum Medicum, quibus octodecim opposuit Apollonius ille Citticus Medicus, juxta Erotianum. Bacchii & Apollonii meminit Galenus lib. IV. *de diff. pulf.* c. 3. Apollonii Cittiensis Cælius Aurel. I, 4. III, 4. Heraclidis Tarentini librum ad Astydamantem laudat Galenus, *de antidotis*, II, 13. Librum ejus de serpentibus idem II, 14, σκευασίας καὶ δοκιμασίας Φαρμάκων ejus idem lib. VI. *de facult. Simpl. Med. præfat.* Librum secundum interiorum curationum ejus citat Cælius Aurel. I, 4. III, 8. Meminit sæpe Heraclidis hujus Galenus lib. *de subfigur. Empir.* cap. 13. lib. 1. *de compos. medic. sec. loca.* cap. 5. lib. 1. *de antidotis* cap. 2. & cætera. Cælius Aurel. II, 4. V, 2. Celsus III, 15. V, 25. Plinius Heraclidem Tarentinum & qui idem omnino est, Heraclidem Medicum inter externos auctores lib. I. numerat, e quibus lib. 11. confecerit. Idem Heraclidem inter medicos recenset, quos ad lib. XII, XX, XXI, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXXIII, XXXIV. conficiendos adhibuerit. Adde ejusdem XXII, 7. diversus, credo, est ab Heraclide isto Tarentino astuto politico sub Antiocho M. apud Polybium lib. XIII. (28) Heraclidem Grammaticum quendam περὶ καθολικῆς προσῳδίας scripsisse, auctor est Apollonius de Syntaxi lib. IV. cujus operis librum primum citat Ammonius, libello de vocum differ. in νῦν. Hunc Herac idem itidem laudat Eustathius il. α fol. XXII. XL. il. β fol. CCLVIII, CCLXXVI. Ammon. de diff. voc. ἱκέσθαι. Idem Eustath. il. α fol. XXX. laudat τὰ Ἡρακλείτου εἰς τὸν Ὅμηρον. Sed legendum omnino Ἡρακλείδου. Estque idem hic omnino Milesius ille Heraclides, de quo ex Herodori & Apionis in Homerum commentariis nonnihil citat Eustathius, il. θ. Ætatem ejus ignoramus, ante Herodorum tamen & Apionem grammaticos

ticos vixisse eum e dictis colligimus. At & Herodori ætas incerta est, de quo suo loco. (29) Heraclides Odessita Ponticus Thrax Historiographus laudatur Stephano Ὀδυσσός. Erat autem Odessus Ponti Thracici oppidum teste etiam Strabone lib. VII. (30) Heraclides, Alexandrinus Grammaticus, laudatur Eustathio il. I. fol. DCXXVIII. nisi forte idem est ac Milesius. Hunc credo esse, qui Ammonio *de differ. vocum* in φαυλὴ vocatur Ἡρακλείδης ὁ ἡμέτερος *Heraclides noster*, ubi ut Grammaticus laudatur: ut Ammonius eum *nostrum* adpellaverit, vel quod uterque Alexandrinus fuerit, vel quod hic eum magistrum habuerit. Laudat eundem iterum in eadem voce.

Caput XII.

1. Agatharchides Heraclides Lembi anagnostes. Non scripsit de viris inlustribus. Θαυμάσιος. 2. Θαυμασίων scriptores. Viri docti sententia improbatur, qui Agatharchiden his scriptoribus adnumerandum censet. Photius corrigitur.

I.

Superiore capite de Aristarcho ejusque familiari Satyro, & qui hunc in epitomen redegit, Heraclide egimus: nunc de Heraclidis hujus anagnoste sive lectore Agatharchide agendum. Qui βιογράφοις adnumerari debeat, nec ne, dubium videtur. Etenim est, qui affirmativam defendat eo, quod Photius Eclog. CCXIII. in librorum Agatharchidis catalogo recenseat ἐπιτομὴν τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων ἀνέμων. *Breviarium eorum, qui de collectione mirabilium ventorum scripsissent*, ubi pro ἀνέμων vir ille doctissimus ἀνέρων legendum esse, & Agatharchidem epitomen eorum fecisse censet, qui de collectione virorum admirabilium scripserant. Verum hic liceat salva aliorum sententia meam mentem exponere. Dico (1) Agatharchidem

non

non potuisse scribere ἐπιτομὴν τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων ἀνέρων, quia nemo ante eum scripserat περὶ συναγωγῆς θαυμασίων ἀνέρων, hunc enim titulum a βιογράφοις adhibitum fuisse, frustra quis supra vel alibi quæsiverit. (2) Ἀνδρῶν potius quam ἀνέρων in titulo illo dicendum fuisset: vocem ἀνδρῶν vero librarios in ἀνέρων mutasse, facilius dicitur quam probatur aut creditur. (3) Neque omnes viri celebres philosophi sunt, & dicuntur θαυμάσιοι *admirandi*; plus enim dicit θαυμάσιος quam ἔνδοξος cæterique usitati tituli. Præterea vocem illam θαυμάσιος in titulis ullibi fuisse a priscis usurpatam, nemo dixerit. Homerus sane & Plato, in quos laudandos antiquitas magno impetu ferebatur, hisce titulis superbiebant: Homerus quidem θεῖος, σοφώτατος, θειότατος, πολυΐστωρ, πάνσοφος, & porro: Plato vero θεῖος, θειότατος, θεσπέσιος, σοφώτατος, πάνσοφος, πάμμεγας, θεοείκελος; χρυσόγλωττος, ἱερώτατος, dicebatur; θαυμάσιος vero neuter illorum adpellatus est. Quinquod nec ipse Deus summe licet admirandus, ullibi apud veteres θαυμάσιος dicatur. Adeo insolens est atque ignota in virorum titulis atque elogiis, vox θαυμάσιος. Postea vero vocem illam in laudibus magnorum virorum adhibitam fuisse non nego. Jamblichus Platonicus ὀνομαστότατος φιλόσοφος erat, secundum Eunapium, ejusque eruditionem magnam æquales admirabantur. Hunc Eunapius vita ejus θαυμάσιον vocat circa A. C. CCCLXX. non tam ob eruditionem admirandam, credo, quam ob θαυματεργίαν & miras præstigias. Orans enim decem cubitorum altitudine a terra elevatus in vacuo aere pendere, corpore & vestibus in aureolum colorem mutatis: finitis vero precibus descendere, & ad pristinam speciem redire visus fuisse dicitur. Gadaris quoque Syriæ, ubi thermæ salubres erant a Baiis secundæ, contacta manu aqua, paucis admurmuratis verbulis e fontium duorum altero pusiones duos candidos ἔρωτα & ἀντέρωτα excivit, quos simul ac ab iis blando amplexu fuit recreatus, ad pristinum locum migrare jussit, ut vita ejus refert Eunapius. Cum itaque ejusmodi θαυματουργὸς fuerit Jamblichus, inde θαυμάσιος jure adpellari videtur. Apollodorum θαυμασιώτατον vocat Stephanus ὠρικός. Tatianus lib. *contra Gentes* Justinum θαυμασιώτατον adpellat. Martialis Anatomicus Erasistratum, θαυμάσιον nuncupavit, ut refert Galenus lib. *de libris suis.* Athenæus

næus quoque lib. III, cap. 5. *δειπν.* Herodotum Halicarnassæum illum, quem Cicero Orat. ad Brutum, *mirabilem* vocat, Ciceronem imitatus, *θαυμασιώτατον* adpellat. Quo titulo etiam Homerum lib. II, cap. 9. & Chrysippum, Stoicum illum celeberrimum lib. VIII, c. 31. ornat. Vixit autem Athenæus sub Commodo, itemque sub Pertinace & Severo Impp. A. C. circiter CXC. Lucianus, qui ejus æqualis *Vit. auct. vil.* inquit, *probibet te θαυμάσιον esse*, hoc est, facile homines in tui admirationem rapies. Πλάτων θαυμαςὸς ait Isidor. Pelus. II, 42. Θεόγνωςος ὁ θαυμάσιος apud Athanas. in illud Evangelii. *Quicunque dixerit verbum contra filium hominis*, Ἀνήρ τις θαυμάσιος ὀνόματι ὢς, ait Palladius Hist. Laus: ut ita tum temporis viri eruditione florentes, vel virtute quadam inlustres, imitatione Latinorum θαυμάσιοι dicti fuerint, quod ante quoque licet rarius factum esse, minime nego, cum Platonem hac voce θαυμάσιος usum fuisse observem. Utitur ea voce quoque Galenus, sed de iis, quos erroris arguit & nugarum. Sic Thessalum *θαυμασιώτατον* lib. I. *de cris.* c. 4. & Asclepiadem *θαυμάσιον* lib. III. *de cris.* c. 8. adpellat. Minime vero credendum Agatharchidis tempore jam tum illum titulum adeo frequentem fuisse, ut ipse epitomen eorum scribere potuerit, qui περὶ θαυμασίων ἀνέμων scripserint. Postquam igitur de eo jam constat, quid Agatharchides non scripserit, ulterius inquirendum, quid scripserit? Ego statuo verba Photii ita esse legenda: Ἀγαθαρχίδης --- ἐπιτομὴν τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων --- ἀνέμων & cætera. Scripsit itaque Agatharchides mea quidem sententia, ἐπιτομὴν τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων, *epitomen eorum, qui de mirabilibus ante scripserant*. Scripsit etiam περὶ ἀνέμων, *de ventis*. Uti & Callimachus fecit, in cujus libris & hos reperias περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καὶ Ἰταλίᾳ θαυμασίων καὶ παραδόξων. Περὶ μετονομασίας ἰχθύων, περὶ ἀνέμων, περὶ ὀρνέων, & sic porro. apud Suidam. Καλλιμ.

2. Vox συναγωγὴ in titulis alias frequens est, testibus elenchis variis librorum, apud Laertium passim. Sic & Plutarchus scripsit συναγωγὴν χρησμῶν, teste catalogo Lampriæ. *Lysimachus* συναγωγὴν τῶν Θηβαικῶν Schol. Apoll. ἀργον. lib. III. *Menecles* συναγωγῆς librum primum laudat Athenæus lib. IX. in titulis vero librorum de Mirabilibus satis frequens erat & vox συναγωγὴ, & vox θαυμασίων.

Alexan-

Alexander Polyhiſtor ille, ſcripſit *θαυμασίων συναγωγὴν*. Inde Photius * Eclog. CLXXXVIII. depromſit, deque eo ſic judicat: *λέγει ἐν τῷ βιβλίῳ πολλὰ τερατώδη καὶ ἄπιϛα.*

Anonymi cujusdam *συναγωγὴν θαυμασίων*, Sopater ad Eclogatum librum quartum conficiendum adhibuit, teſte Photio Tmem. CLXI.

Antigonus quoque Caryſtius, *ἱϛοριῶν παραδόξων συναγωγὴν* reliquit, quam Stephanus *γυαρὸς* citat & Meurſius notis illuſtravit.

Apollonius Dyſcolus, qui ſub Antonino Pio vixit, *ἱϛορίας θαυμασίας* edidit etiamnum ſuperſtites, & Meurſii notis itidem illuſtratas.

Archelaus *περὶ τῶν θαυμασίων*, citatur Antigono, *Hiſt. mir.* c. 96. qui ejusdem quoque meminit cap. 23. ubi ſimul indicat eum fuiſſe Ægyptium, qui Ptolemæo miraculoſa quædam per epigrammata narraverit.

Ariſtotelis quoque nomine liber *περὶ θαυμασίων ἀκυσμάτων* circumfertur. Verum titulum libri Caſaubonus eſſe cenſet, non *περὶ θαυμασίων ἀκυσμάτων*, ſed *ἀκύσματα θαυμάσια* ad Æneæ Tactica c. 38. Quale eſt dubium illud Simplicii ad Categorias: *Inſcriptus eſt hic liber Categoria, & non de Categoriis, quia nomen libri ſæpe in recto caſu ſcribi ſolet; ita ſermo de Themiſtocle, inſcriptus eſt Themiſtocles, & ſermo de politia, politia.* Sed utroque modo Ariſtotelis librum citatum obſervo: Ἀριϛοτέλης ἐν θαυμασίοις ait Stephanus *ταυλάντιοι*, Athenæus XII, 11. *ἐν πέμπτῳ θαυμασίων ἀκυσμάτων*, idem *γελωνοί*, *περὶ θαυμασίων*, idem *γέγμαρα, ὄινα, ὄμβρικοι. ἐν τῷ περὶ θαυμασίων ἀκυσμάτων*, idem Τῆνος, *Τραπεζῦς*. Sed quicquid ſit de titulo, major de auctore controverſia eſt, quem Stagiritam Ariſtotelem non eſſe multis argumentis probari poſſet. Sed de hoc alias.

Bolus Mendeſius Pythagoricus, *περὶ θαυμασίων* ſcripſit, teſte Suida βῶλος.

Dd Calli-

* *Phot. p. 467. Sed quia cognomen non addit Polyhiſtoris, omnino ſuſpicor, non hunc ſed alium ſignari.*

Callimachi περὶ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ καὶ Ἰταλίᾳ θαυμασίων καὶ παραδόξων. Item, θαυμασίων τῶν εἰς ἅπασαν τὴν γῆν κατὰ τόπους ὄντων συναγωγὴν adducit Suidas, Καλλ. Citat nonnulla ex eo Plinius Hist. Nat. XXXI, 2. Antigonus Hist. Mir. CXLIV. & seqq. Phlegon Trallianus de mirab. Καλλίμαχος ἐν τοῖς θαυμασίοις ait Stephanus, vel potius epitomator ejus, Κρᾶνων.

Monimi cujusdam θαυμασίων συναγωγὴν citat Clemens Alex. προτρ. Cyrillus lib. IV. contra Julian. Euseb. lib. IV. præpar. Evang. c. 7. Quis autem hic fuerit Monimus & quando vixerit non facile dixerim. Fuit enim & *Monimus* Cynicus, cujus vitam & libros tradit Laertius lib. VI. Meminit ejus Antoninus lib. II. de vita sua. ad *Monimum* quendam scripsit Fulgentius. *Monimum* Macedonem Alexandri M. æqualem memorat Diodorus Sic. XIX, 50.

Nicolai Damasceni παραδόξων ἐθῶν συναγωγὴν, citat Photius Ecloga CLXXXIX.

Nymphodorum Syracusium Philonis F. περὶ τῶν ἐν σικελίᾳ θαυμαζομένων scripsisse Athenæus lib. XIII, cap. 6. docet. Idem opus signari puto hisce verbis: ἐν τῷ περὶ σικελίας, apud Scholiast. Theocr. Idyll. α.

Pasitelem admirabilia opera litteris prodidisse, Plinio credimus lib. I, §. XXXIII. *quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe*, ait idem XXXVI, 5. ubi eum civitate Romana donatum esse addit, diversus itaque ab hoc erit non modo Praxiteles Olymp. CIV. juxta Plinium XXXIV, 8. celebris, sed & alter Pasiteles Plastes ille Colotæ, qui Phidiam quoque Olymp. LXXXIII. teste Plinio XXXIV, 8. celebrem magistrum habuit, teste Plinio XXXV, 8. itidem præceptor juxta Pausaniam El. I.

Philo Heracleota ad Nymphin περὶ θαυμασίων scripsit, teste Porphyr. lib. περὶ ζυγός apud Stobæum lib. Eclog. Phys. c. 40. §. *de stat. animarum post exitum. Suidas* παλαίφατος idem opus citat, sed alio titulo, περὶ παραδόξου ἱστορίας.

Phlegontis Tralliani περὶ θαυμασίων fragmentum superest.

Polemon ἐν τῷ περὶ θαυμασίων laudatur Athenæo lib. XII, c. 12. Hujus operis pars procul dubio fuit ejusdem liber, περὶ τῶν ἐν σικελίᾳ θαυμαζομένων ποταμῶν, cujus meminit Macrob. Saturn. lib. V, c. 19.

c.19. quem *περὶ τῶν ἐν σικελίᾳ ποταμῶν* adpellat Athenæus, lib. VII, cap. 16.

Pſelli librum de mirabilibus auditionibus commentatus eſt Leo Allatius.

Theocritum epiſtolas *θαυμασίας* conſcripſiſſe, e Suida Θεοκρ. conſtat; ſed vox *θαυμασίας* pro elogio potius habenda eſt, quod ſcilicet admiranda eruditione refertæ illæ fuerint, ſicut de Arcadio grammatico idem ſcribit, edidiſſe eum *ὀνομαστικὸν θαυμάσιον* in Ἀρκαδ. & Stephanus de Hippocrate Magno Heraclidis F. quod *θαυμασίας συντάξεις* reliquerit in voce *κῶς*.

Theopompi *θαυμάσια* citat Laert. lib. I. *Epimen.* & *Pherec.* Plinius Hiſt. Nat. XXXI, 2. XVI, 12. Servius ad Eclog. VI. Apollonius Hiſt. mir. c. 1. & 10. ubi confer Meurſii notas.

Trophyli collectanea mirabilium narrationum, citat Stobæus, Serm. XCVIII (CCXLII) *de morbis*. Inter Latinos ſimilem occupaverunt materiam *Cicero*, cujus *admiranda* citat Plinius Hiſtor. Nat. XXXI, 2. & *Varro*, cujus admirabilium ſeu admirandorum libros laudat Macrob. Sat. II, 12. Servius ad III. Georg. Arnobius lib. VI, Nonius *aborxiatur, fretum & fretus, perdix, papaver, putei,* Soſipater Chariſius lib. I. Ex admirandorum illis libris credo eſſe, quæ ex Varrone citat Plinius XXXI, 2. & Solinus c. 12. Hinc cuivis liquere arbitror, quænam illa apud Photium fuerit Agatharchidis *ἐπιτομὴ τῶν συγγεγραφότων περὶ συναγωγῆς θαυμασίων*. Quin Photius Ecl. CCL. ex Agatharchidis lib. *περὶ παραδόξων ζώων* fragmentum exhibet, ut de noſtra ſententia nemo poſthac dubitare poſſit. Agatharchides itaque, ut rem in pauca conferamus, & concludamus, non ſcripſit teſte Photio, *de vitis celebrium virorum*, ſed *de mirabilibus. Quod ſi quis συναγωγὴν θαυμασίων ἀνέρων*, de converſatione VII illorum ſapientum ceu virorum admirandorum cum Crœſo, Cypſelo & pluribus, explicare velit, næ ille magis abſurda ſtatuet. Toleranda vero eorum eſſet ſententia, ſi qui ſtatuere velint, *περὶ θαυμασίων ἀνέμων* eum ſcripſiſſe, quemadmodum *περὶ θαυμασίων ποταμῶν*, Polemona ſcripſiſſe audivimus. Sed mittamus hunc Agatharchiden, inter *βιογράφυς* propter illa Photii corrupta verba minime referendum.

CAPUT XIII.

1. 1. Panætius Polemonis magister non fuit. Scripsit de philosophorum sectis. De Socrate. 3. Accius didascalias scripsit. 4. Bato de Jone Chio egit. Jon Chius & Ephesius an idem? Plato temporum negligens. Cæsaris Scaligeri hallucinatio. Batonis ætas. Homonymi. 5. Aristodemus de Pindaro. 6. Herodicus de iis, qui in comœdiis notati fuerunt. Alter Herodicus. 7. Nicander varia scripsit, etiam de poetis Colophoniis. Anonymus de vita Homeri per Allatium editus. Alii Nicandri. 8. Apollodorus Epicureus ejusque ætas Vossio ignota indicatur.

1.

SUb Evergete secundo, cui Physcon cognomen erat, qui & ipse unus e discipulis Aristarchi fuit, teste Athenæo II, 28. non parva fuit doctorum copia. Rege enim docto & Musarum patrono, qui aliter fieri potuit? Panætius Rhodius teste Strabone lib. XIV. *Stoicorum prope princeps* judice Cicerone *Lucullo*, discipulus fuit Antipatri Tarsensis Stoici, & Cratetis grammatici, juxta quosdam apud Strabonem lib. XIV. præceptor vero Posidonii, & Mnesarchi Stoicorum: Scipionis item Africani, quem A. U. DCXXIII. sive Olymp. CLXII, 3. in Ægyptum comitabatur, teste Cicerone *Lucullo* & lib. IX. ad Att. ep. XIV. Plutarcho *præceptis politicis*. Suidas Polemonem Aristophanis Grammatici & Panætii nostri auditorem facit, sed valde metuo, ut verum sit. Aristophanes enim sub Ptolemæo Philopatore floruit: sub ejus successore Epiphane Olym. CI. defuncto Polemonem floruisse notat Suidas Πολέμων. Natus tandem est Panætius Olymp. CLII. sub Philometore. Qui ergo Panætii auditor fuit Polemon? vel alius intelligendus est Polemon: vel ita ex-

explicanda erunt verba, quod Polemon senex Panætium juvenem viderit atque audiverit: vel Suidæ verba ista διήκουσε καὶ τοῦ Ροδίου Παναιτίου omnino delenda, vel ita mutanda, διήκουσεν αὐτοῦ ὁ Ρόδιος Παναίτιος, ut Panætius Polemonis discipulus fuisse intelligatur. Quod si cui Panætius ille philosophus alter idemque antiquior Suidæ laudatus Polemonis magister fuisse videatur, næ ille minus absurde sentiet. Fuit quoque Panætius Lælii sapientis magister: unde Cicero lib. II. de Finibus: *Diogenem Stoicum adolescens: post autem Panætium audierat Lælius, eo dictus est sapiens* & cætera. Fannius quoque Lælii gener instituto soceri sui Panætium audivit, teste Cicerone *Bruto:* magister item fuit Hecatonis Rhodii Stoici, teste Cicerone lib. III. de officiis. Familiarem habuit Apollonium Nisaeum Stoicum juxta Strabonem lib. XIV.

2. Scripsit Panætius de *sectis philosophorum*, quem ejus librum laudat Diogenes Laertius lib. II. *Aristippo:* ἡδονὴν τὴν τοῦ σώματος, ἣν καὶ τέλος εἶναι, καθά φησι καὶ Παναίτιος ἐν τῷ περὶ τῶν αἱρέσεων, *Voluptatem corporis quam & finem esse dicunt* (Cyrenaici) *ut Panætius libro de sectis tradit.* Neque aliunde sunt, quæ paullo ante idem e Panætio de libris Aristippi commemorat. Scripsit etiam περὶ Σωκράτους, *de Socrate*, quod non uno loco testatur Plutarchus *Aristide.* Hanc Socratis historiam signat Athenæus XIII, 1. ἀντεῖπε τοῖς λέγουσι περὶ τῶν Σωκράτους γυναικῶν Παναίτιος ὁ Ρόδιος, *contradixit Panætius Rhodius iis, qui de Socratis uxoribus scripserunt.* Intelligit autem Callisthenem, Demetrium Phalereum, Aristoxenum, Satyrum Peripateticos, eorumque magistrum Aristotelem, de quo supra in *Demetrius Phalereus* egimus. Panætius omnium Socraticorum veros esse dialogos censet Platonis, Xenophontis, Antisthenis, Æschinis: de Phædonis & Euclidis ambigit, cœteros damnat, apud Laertium lib. II. *Æschines*, sed vereor, ne ea, quæ de Socrate tradidit, pars fuerint operis illius de sectis. De Platonis libris de Rep. quid ipse & Euphorion tradiderint, citat Laertius lib. III. epistolam ejus ad Q. Tuberonem memorat Cicero lib. IV. Tusc. Quæst. e qua petita sunt, quæ de Crantoris Academici de luctu libello aureolo ad verbum ediscendo præcipit Tuberoni Panætius apud eundem Tullium lib. IV. Ac. Qv. judicium ejus de orationibus Demosthenis leges apud Plutarchum parallelis majoribus,

vita Demosthenis. Mortuus tandem est Panætius Athenis, teste Suida Παναίτι☉. Unde Athenis potius, quam Rhodi docuisse videtur. Verum quia successor ejus Posidonius Rhodi docuit, ipse etiam ibidem docuisse videtur; unde etiam *Rhodius magister* dicitur Sulpiciæ isti in versibus de statu reipubl. & temporibus Domitiani, Ausonio annexis. Potest tamen utrobique & Rhodi & postea Athenis docuisse: ita ut Rhodi plurimos auditores & in iis Posidonium successorem habuerit: Athenis vero Mnesarcho scholam reliquerit, ut ita de successione Stoicorum Atheniensium dubitari possit, qualem initio hujus libri descripsimus. Sane extra patriam Panætium Rhodium docuisse ad obitum usque, testatur Cicero lib. V. Tusc. Quæst. *perpetua peregrinatio, in qua ætates suas philosophi nobilissimi consumpserunt Xenocrates, Crantor, Arcesilas, Lacydes, Aristoteles, Theophrastus, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Antipater, Carneades, Panætius, Clitomachus, Philo, Antiochus, Posidonius, innumerabiles alii: qui semel egressi, nunquam domum revertere.* Defunctus jam A. U. DCL, videtur Panætius cum anno illo Crassus, Athenis non Panætium, sed Panætii auditorem Mnesarchum viguisse dicat, cujus verba e Cicerone infra adduco, ubi de Clitomacho nobis sermo est. Sequente anno, qui erat Urbis DCLI, Mnesarchum Stoicum Athenis floruisse indicat M. Antonius, de quo itidem in Clitomacho. Cum Antiochus Philoni Athenis operam dabat, Mnesarchus & Dardanus Stoicorum principes erant. Cicero lib IV. Ac. Quæst. *Quid eum* (Antiochum) *Mnesarchi pænitebat? quid Dardani? qui erant Athenis eum principes Stoicorum. Nunquam a Philone discessit, nisi posteaquam ipse cœpit, qui se audirent, habere.* De eodem Cicero lib. I. de Finib. *Quid est a Chrysippo prætermissum in Stoicis? legimus tamen Diogenem, Antipatrum, Mnesarchum, Panætium, multos alios, inprimisque familiarem nostrum Posidonium.* Igitur si Panætius Olymp. CLII. sive A. U. DLXXXI, natus est, & A. U. DCL, jam e vita excessit, non adtigit annum ætatis LXX. Ultra octoginta annos eum non vixisse, inde conjicimus, quod eum Lucianus *Macrobiis* omittat. *Scriptum a discipulo ejus* (Panætii) *Posidonio est, XXX annis vixisse Panætium, postquam eos libros* (de officiis) *edidisset*, inquit Cicero lib. III. offic. Quod si constaret de anno, quo Panætius de officiis scripsit, simul de ætate minus dubitandum esset.

3. L.Ac-

3. L. Accius sive Attius, antiquus Romanorum poeta, διδασκαλικὰ scripsit, in quibus de poetis, eorumque fabulis egit, ut in didascaliis fieri consvevit, de quibus in vita Aristotelis & Callimachi pluribus diximus. Ipsum Attium audi lib. IX. apud Charisium lib. I. loquentem: ***Quam varia sint genera poematorum, Babi, quamque longe distincta ab aliis, nosce.*** Eundem διδασκαλικῶν librum nonum citat Priscianus lib. III. Gram. Ex isto opere omnino sunt, quæ de Homeri & Hesiodi ætate citat Gellius III, 11. & de Euripide Nonius *Temerius*. Plura leges apud Wovverium de Polym. c. 12. & Vossium lib. I. de Histor. Lat. c. 7.

4. Bato Sinopensis de *Ione* Chio poeta scripsit, eumque temulentiæ arguit. Athenæus lib. X, c. 10. Βάτων ὁ Σινωπεὺς ἐν τοῖς περὶ Ἴωνος τοῦ ποιητοῦ φιλοπότην φησὶ γενέσθαι καὶ ἐρωτικώτατον τὸν Ἴωνα. ***Bato Sinopensis ubi de Ione poeta agit, bibacem eum & in amorem maxime proclivem fuisse affirmat.*** Fuit autem Jon ille poeta Tragicus, cujus lib. de Chio citat Athenæus X. Ejus non pauca citant Pausanias *Ach. Eliac.* I. Epitome Strabonis. Athenæus lib. I, II, III, VI, X. Sextus Empiricus *contra Math.* fol. LXIX. Floruit Olymp. LXXII. Sed quia idem hic Bato scripsit de Tyrannis Ephesi juxta Athenæum VII, 10. & Suidam in Πυθαγόρας Ἐφεσ. hinc adduci quis posset in eam sententiam, ut crederet, Jona Ephesium hic potius intelligendum esse, cujus nomine dialogum scripsit Plato eumque Rhapsodum facit cum Socrate colloquentem. Quid si unus idemque sit Jon patria Ephesius, habitatione Chius? At tempora repugnant, cum Jon Chius Olymp. LXXII. jam floruerit, Socrates autem qui cum coævo Jone Ephesio colloquitur demum Olymp. LXXVII, 4. natus sit. Certum quidem est hanc rationem alibi valere, in Platone non item, quippe qui nulla temporis ratione habita, personas facit colloquentes ἀσυγχρόνους, cujus culpæ dudum cum arguit Athenæus XI, 15. Παρμενίδῃ μὲν γὰρ καὶ ἐλθεῖν εἰς λόγους τοῦ Πλάτωνος Σωκράτην μόλις ἡ ἡλικία συγχωρεῖ ---- ἀδύνατον δὲ καὶ Φαῖδρον οὐ μόνον κατὰ Σωκράτην εἶναι, ἤπου γε καὶ ἐρώμενον αὐτοῦ γεγονέναι. Ἀλλὰ μὴν οὐ δύνανται Πάραλος καὶ Ξάντιππος οἱ Περικλέους υἱοὶ τελευτήσαντες τῷ λοιμῷ Πρωταγόρᾳ διαλέγεσθαι, ὅτε δεύτερον ἐπεδήμησε ταῖς Ἀθήναις, οἱ ἔτει πρότερον τελευτήσαντες. Adde Casaubonum ad Athenæum fol. CCXLI. DX. *Quod licito fieri*

Plato-

Platonis dialogi testimonio sunt. Quippe Socrate ita Parmenides antiquior, ut hujus pueritia vix illius apprehenderit senectutem, & tamen inter illos de rebus arduis disputatur. Inclutum dialogum Socrates habita cum Timæo disputatione consumit, quos constat eodem seculo non fuisse. Paralus vero & Xanthippus, quibus Pericles pater fuit cum Protagora apud Platonem disserunt, secundo adventu Athenis morante, quos multo ante infamis illa pestilentia Atheniensis absumserat. Annos ergo coeuntium mitti in digitos exemplo Platonis nobis suffragante, non convenit, ait Macrob. Sat. I, 1. Quin plurima tribuit personis Plato, quæ veritas non admittit. Gorgia & Phædonem, quos Plato in dialogis eorum nomine inscriptis loquentes introducit, lectis istis dialogis dixisse tradit Athenæus loco citato, nihil ejusmodi se vel audivisse a Platone, vel apud Platonem locutos fuisse: Cicero Platonis dialogisticum docendi modum in quibusdam libris imitatus, falsa tamen & ficta personis suis tribuere non vult videri, unde se de hac suspicione aliis purgat in Lucullo & lib. II. Tusc. Quæst. At licet personarum a Platone introductarum ætas a colloquiis cum aliis habitis probari certo non possit, nondum tamen sequitur Jona Ephesium esse Jona antiquum Chium, etiamsi æquales fuisse concedamus. Diversos eos esse neque inter se confundendos existimo. Male igitur Julius Scaliger lib. I. Poet. cap. 46. *Multum opera in hoc genere poematis* (Dithyrambici) *posuit Ion Chius, cujus nomine scripsit Dialogum Plato.* At misere ob facilem hunc lapsum vapulat Scaliger a Leone Allatio lib. de patria Homeri fol. CCLXXIII, qui parum æquum se Scaligero ubique præbet. Sed hæc de Batone ad hæc tempora referendo, quod post Aratum Sicyonium Olymp. CXL. celebrem vixerit, teste Plutarcho *Arato*, & ante Strabonem Olymp. CXC. clarum quippe qui Batonis meminit. lib. XII. Rectius autem Βάτων quam Βάθων scribitur, propter homonymos ejusdem scripturæ. Memorat enim Anonymus ὀλ. ἀναγρ. ad Olymp. CXCVI, 3. Βάτωνα Pannoniæ regem & Olymp. CCXLIII, 2. Βάτωνα Philonis patrem. Baton item Ponticus Menippi Cynici dominus erat, teste Diogene lib. VI. *Men.* Prorsus autem diversus a Batone nostro est Biton ille, qui περὶ ὀργάνων ad Attalum scripsit, teste Athenæo XIV, 8. quem Bythum Dyrrachium adpellat Plinius XXVIII, 7.

5. Aristo-

5. Aristodemus aliquot libris *de Pindaro* egit, quorum tertium citat Athenæus XI, 13. Eundem laudat Scholiastes Pindari ad Olymp. IX. Pyth. III. Isthm. I. & Nemeon. VII. ubi *ὁ Ἀριςάρχȣ μαθητὴς* dicitur & propterea huc referendus est.

6. Herodicus Grammaticus Crateteus, sex minimum libros *κωμωδȣμένων, de iis, qui comœdia perstringuntur*, reliquit, ut ex Athenæo XIII, 6. constat. Cum vero in comœdia poetæ & philosophi olim quoque notati fuerint, Herodicum de iisdem egisse, verisimile est. Quod si *κωμωδȣ́μενα* hic intelligenda sunt, quæ Comicis materiam præbebant fabularum, res eodem fere recidet. Quoniam autem hic Herodicus Crateteus dicitur Athenæo V, 19. VI, 6. 15.; Vossio placuit eum Cratetis auditorem habere, & ad hæc tempora referre lib. I. *de Hist. Gr.* c. 21. Levis sane ratio est, sed pondus accipit a Vossii auctoritate, quam cur postponendam modo putem, nihil satis firmi video. Et ut Crates Aristarcho adversabatur, sic & Herodicum Babylonium, qui Aristarcheos apud Athenæum lib. V. cap. ultimo pungit, eundem cum nostro Crateteo Herodico esse censemus. Herodicum Selybrianum pædotribam novimus ex Eustathio ad Il. I. fol. DCLXVII. quem Hippocratis magni magistrum facit Tzetzes Chil. VIII. Hist. 155. Suidas Ἱπποκρ.

7. Nicander Colophonius scriptor non ignobilis est. Θηριακὰ ejus citat Plutarchus *de aud. Poet.* qui etiam ea commentatus est, teste Lampriæ catalogo. Stephanus *κορόπη*, de Nicandri interpretibus: *οἱ ὑπομνηματίσαντες αὐτὸν Θέων, καὶ Πλȣ́ταρχος, καὶ Δημήτριος Φαληρεὺς, qui eum commentati sunt Theon, Plutarchus & Demetrius Phalereus.* Hunc librum signat Servius cum in Creta nullum reperiri serpentem ex Nicandro refert ad lib. II. Georg. confer Plinium XXII, 38. Ejus *ἑτεροιȣμένων* libros citat Athen. lib. III, c. 7. qui quartum ejus operis librum citat lib. VII, c. 15. *Georgicorum* ejus librum primum citat idem III, 36. Secundum idem IX, 11. XV, 8. 9. Ejus *περὶ πετεινῶν* librum, citat Athenæus XIII, 7. *Ætolica* ejus advocat Tzetzes ad Lycoph. fol. CXII. secundum ejus operis librum citat Schol. Apollonii ad IV. *ἀργον*. Tertium idem ad lib. I. *ἀργον*. *Thebana* ejus omnino intelligit Plutarchus lib. de Herod. malign. cum Aristophanem Bœotum & Nicandrum Colophonium, tradidisse ait non Leontiadem, quod Herodoto lib. VIII. visum, sed Anaxandrum Thebanorum in Thermopylis Ducem fuisse. *Colophoniacorum*

ejus sextum memorat Harpocration Πάνδημ☉ ἀφροδ. *Thracica* ejus videtur citare Schol. Apoll. I. ἀργον. *Europaeorum* secundum librum signat idem ad IV. ἀργον. Sed eruditorum quoque historiam scripsit: librum enim illius περὶ ποιητῶν, *de poetis*, usurpavit Parthenius ἐρωτ. c. 4. nisi forte hoc opus idem fuit illi περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶν☉ ποιητῶν, quod citat Schol. Nicandri Θηρ. in quo libro Homerum Colophonium fuisse asseruit, apud Plutarchum lib. *de Homero*, & anonymum illum de vita Homeri per Leonem Allatium lib. *de patria Homeri* editum. Adde quae de Nicandro habet Joh. Georg. Schenckius *bibl. jatrica*, vel potius Gesnerus *bibl.* e quo ista ut pleraque alia, Schenckius ad verbum transcripsit. Plutarchus lib. de solertia anim. alium ut apparet Nicandrum paullo juniorem χερσαίας δαίμονα ἄργας vocat & Euthydamum ejus parentem nominat, qui forte *Damnaus* ille corrupte est apud anonymum vita Nicandri. Alius erit Nicander ille sub Philadelpho, cujus auctor vitae Theocriti apud Andr. Schottum Observ. Hum. II, 50. ita meminit: Ἐγένετο δὲ ἰσόχρον☉ (Theocritus scilicet) τῦ τε Ἀράτυ καὶ Καλλιμάχυ καὶ τῦ Νικάνδρυ. Ἐγένετο ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίυ Φιλαδέλφυ. *Vixit aetate Arati & Callimachi, & Nicandri, temporibus Ptolemaei Philadelphi.*

8. Apollodorus, Epicureus, Κηποτύρανν☉, h. e. *Hortityrannus* dictus, Zenonis Sidonii, magister, aliquot *de Epicuri vita* libros confecit: quorum primum citat Laertius lib. V. *Epicurus*. Ἀπολλόδωρ☉ ὁ Ἐπικούρει☉, ἐν τῷ πρώτῳ περὶ τῦ Ἐπικύρυ βίυ φησί. *Apollodorus Epicureus, libro primo de vita Epicuri dicit.* Aetatem ejus ex aetate discipuli cognoscimus. Cum enim Zenonis illius magister fuerit juxta Laertium lib. X. Zenonem vero Athenis Cicero & Atticus A. U. DCLXXIV. Olymp. CLXXV. senem audiverint, Apollodorum nostrum sub Evergete & Lathuro vixisse & floruisse oportet. Scaevolae item coaetaneus fuit. *Hac cum ego Praetor Rhodum venissem & cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio, ea quae e Panaetio acceperam, contulissem, irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam atque contemsit*, inquit Scaevola apud Ciceronem lib. I. de oratore. Vossius de Hist. Gr. IV, 10. Apollodorum hunc ad Epicuri aetatem refert, quod Epicureus dicitur. Sed *hic Magister non tenetur*.

CAPUT

Caput XIV.

1. Clitomachus Carneadis discipulus atque successor. Condiscipulus Æschinis & Charmidæ. Magister Philonis. 2. Pluscula scripsit. Aliquot libris sectarum philosophicarum historiam complexus est. 3. Carneades quo anno mortuus, dubium nonnullis videtur. Ciceronis quædam loca expenduntur. Vossius notatur. 4. Apollodori sententia aliquot rationibus contra Ciceronem & Petavium defenditur. Charmides resuscitatur. Varia menda in Cicerone mutantur.

1.

EXtremis Evergetæ secundi temporibus σχολαρχεῖν cœpit Clitomachus, Carthaginensis, qui patria lingua Asdrubal dicebatur, teste Plutarcho *de fort. Alexii:* Stephano καρχηδὼν, Eustathio ad Dionys. περιήγησιν vers. CXCVI. Laertio lib. IV. *Clit.* Athenis venit annos natus XXVIII. juxta Stephanum & Eustathium locis citatis: vel XL, juxta Laertium; quanquam hic ex illis corrigendus videtur. Tametsi vero primorum etiam elementorum rudis erat, naturæ tamen felicitate & summa industria tantum profecit, ut Carneadi magistro defuncto succederet in academia. Carneades is Cyrenæus erat, teste Cicerone lib. IV. Tusc. Quæst. Stephano Καρχηδὼν Laertio lib. IV. Symmacho lib. X, epist. 25. Suida. Atheniensis tamen dicitur Synesio *Dione* & Philostrato *Sophistis*, ob professionem & habitationem. Alius est Carneades Arcesilæ, academici, æqualis, Epicuri perfamiliaris apud Ciceronem, lib. V. de Finib. si codicibus vulgatis fides habenda est. Laertius lib. X. de Carneade, velut Epicuri æquali non tamen familiari loquitur, homonymia forte deceptus. Academicus autem ille Carneades academiam diu rexit, teste Cicerone *Lucullo*, cumque diu Clitomachus audivit, teste eodem ibi-

dem, verba hæc sunt: *A Clitomacho sumam, qui usque ad senectutem cum Carneade fuit, homo & acutus, ut Pœnus, & valde studiosus ac diligens, & quatuor ejus libri sunt de sustinendis assensionibus, hac autem quæ jam dicam sunt sumpta de primo. Duo placet esse Carneadi visorum genera*, & cætera. Condiscipulum Clitomachus habuit Æschinem, teste Plutarcho *an seni gerenda Resp.* idem omnino est Æschines ille Neapolitanus philosophus academicus Melanthii Rhodii discipulus, apud Laertium lib. II. *Æsch.* Horum enim temporum æqualis erat Melanthius. audi Ciceronem *Lucullo: qui illum* (Carneadem) *audierant, admodum floruerunt, e quibus industria plurimum in Clitomacho fuit. Declarat multitudo librorum: ingenii non minus in hoc, quam in Carneade eloquentia, in Melanthio Rhodio suavitatis:* Condiscipulus & discipulus ejus fuit Charmides, qui cum Philone quartæ academiæ princeps statuitur a Sexto Empirico lib. I. *Pyrrh. Hypot.* cap. XXXIII. & Eusebio *de præp. Evang.* lib. XIV. Meminit ejus iterum Sextus Empir. *lib. contra Mathem.* cap. 18. Clitomachus magister fuit Philonis per plures annos. Cicero *Lucullo: Clitomacho Philo vester operam multos annos dedit. Philone autem vivo patrocinium academiæ non defuit.* Sed Philo jam celebris erat A. U. DCLXII. quo habita est illa de Oratore disputatio, quam Cicero tribus libris est complexus. Verba Crassi lib. III. sunt: *Nunc apud Philonem, quem in academia maxime vigere audio, etiam harum causarum cognitio exercitatioque celebratur.* Quia igitur Philo nusquam Carneadis auditor fuisse dicitur, a quo maxime laudandus fuisset, sed Clitomachum multos annos audivit, hinc recte conligere nobis videtur, Philonem post defunctum Carneadem ad Clitomachum venisse, & hunc multos annos academiæ præfuisse. Sed obstat huic sententiæ primus Ciceronis locus modo a nobis adductus, in quo Clitomachus, *ad senectutem* cum Carneade fuisse dicitur. Verum ut alibi, ita & difficilem Cicero nobis reddit historiam philosophicam, suamque fidem suspectam. Nos, ut commode interpretemur Ciceronem, statuimus Clitomachum anno 2 Olymp. CLXII. A. U. DCXIV, quo Carneades decessit, σχολαρχεῖν cœpisse, academiamque per annos triginta circiter tenuisse, eique defuncto circa Ol. CLXX. A. U. DCLIII. Philonem successisse, quem anno duodecimo post bello Mithridatico Athenis profugum Cicero Romæ audivit anno ætatis suæ XIX, anno Urbis vero DCLXV.

Scripsit

2. Scripsit Clitomachus plurima, ut e Cicerone modo audivimus. Quatuor ejus libros περὶ ἐποχῆς citat idem Cicero lib. IV. Ac. Qv. in quibus Carneadis sententiam exposuit, ut vidimus. Paullo post ibidem alios Clitomachi libros Cicero nominat: *Explicavi paullo ante Clitomacho auctore, quomodo ista Carneades diceret: accipe quemadmodum ea dicantur a Clitomacho in eo libro, quem ad C. Lucilium scripsit poetam, cum scripsisset iisdem de rebus ad L. Censorinum eum, qui consul cum M. Manilio fuit.* Obiter nota L. Censorinum & M. Manilium Coss. fuisse Olymp. CLVII, 4. A. U. DCIV, anno primo belli Punici tertii. Aliquandiu vero post hæc tempora vixisse videtur L. Censorinus, ad quem Clitomachus scripsit. C. Lucilius poeta juxta Hieronymum *Chronicis* natus est Olymp. CLVIII, 1. mortuus Olymp. CLXIX, 2. adeoque anno ætatis XLVI, anno Urbis DCL; unde Clitomachi nostri ætas a nobis indicata confirmatur. Huc facit locus ille Ciceronis lib. III. Tusc. Qvæst. *Legimus librum Clitomachi quem ille eversa* (A. U. DCVII. Olymp. CLVIII, 3.) *Carthagine misit consolandi causa ad captivos cives suos, in eo est disputatio scripta Carneadis, quam se ait in commentarium retulisse, cum ita positum esset, videri fore in ægritudine sapientem patria capta: quæ Carneades contradixerit, scripta sunt.* Clitomachi scripta porro signat Cicero lib. IV. Ac. Qv. *Credo Clitomacho ita scribenti, Herculis quendam laborem exantlatum a Carneade, quod, ut feram & immanem belluam, sic ex animis nostris assensionem, id est, opinationem & temeritatem extraxisset.* Quibus verbis tanquam de mortuo jam Carneade Clitomachus loqui introducitur. Ibidem: *Legi apud Clitomachum, cum Carneades & Stoicus Diogenes ad Senatum in Capitolio starent, A. Albinum, qui tum P. Scipione & M. Marcello Coss. prætor esset, eum, qui cum avo tuo, Luculle, Consul fuit, sane doctum hominem, ut indicat ipsius historia scripta Græce, jocantem dixisse Carneadi: ego tibi Carneade prætor esse non videor, quia sapiens non sum, nec hæc urbs, nec in ea civitat.* Tum ille huic Stoico non videris. paullo post: *Cujus quidem sententiam Carneades ita studiose defensitabat, ut eam probare etiam videretur: quanquam Clitomachus affirmabat, nunquam se intelligere potuisse, quid Carneadi probaretur.* E dictis patet, Clitomachum Carneadis dogmata exposuisse, quod Laertii testimonio confirmatur dicentis lib. IV. διεδέξατο τὸν Καρνεάδην καὶ τὰ αὐτοῦ μάλιστα διὰ τῶν

 συγγράμ-

συγγραμμάτων ἐφώτισεν, *successit Carneadi, ejusque dogmata libris exposuit.* Nihil enim scripsisse Carneadem jam dixerat Laertius lib. IV. *Carn.* Clitomachi soriten de eo, quod non sint dii, habet Sextus Empiricus lib. VIII. contra Mathem. & respicit Theophilus lib. III. institutionum ad Autolicum. Maxime vero hic laudatur ob libros, quos *de Sectis* scripsit, quorum primum citat Laertius lib. II. Aristippo: Μελέαγρος ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ δοξῶν, καὶ Κλειτόμαχος ἐν τῷ πρώτῳ περὶ αἱρέσεών, φασιν, αὐτοὺς ἄχρηστα ἡγεῖσθαι τό τε φυσικὸν μέρος καὶ τὸ διαλεκτικόν. *Meleager libro secundo de opinionibus, & Clitomachus libro primo de sectis, dicunt eos* (Cyrenaicos) *inutilem judicare Physicam & Dialecticam.*

3. Quod autem diximus Clitomachum Olymp. CLXII, 4. σχολαρχεῖν cœpisse, dubio non caret. Quare ut de veritate constet, Clitomachi & Carneadis magistri ætas investiganda est. Carneadem mortuum esse diximus Olymp. CLXII, 4. Audi Laertium lib. IV. *Carn.* Φησὶ δὲ Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς ἀπελθεῖν αὐτὸν ἐξ ἀνθρώπων ἔτει τετάρτῳ τῆς δευτέρας καὶ ἑξηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος, βιώσαντα ἔτη πέντε πρὸς τοῖς ὀδοήκοντα. *Refert Apollodorus in Chronicis, humanis eum excessisse rebus Olympiadis centesima sexagesima secunda anno quarto, quum vixisset annos octoginta quinque.* Ubi simul est observandum, quod Laertius, qui in rebus dubiis aliorum quoque discrepantes sententias advocare solet, hic solo Apollodori testimonio contentus sit, certo argumento hanc ejus de anno mortis Carneadis sententiam, non modo veram esse, sed omnibus etiam probari. Anonymus Olympiadographus ad Olymp. CLXII, 3. δύο ἥλιοι ἐφαντάσθησαν, & anno 4. ἔκλειψις σελήνης καὶ ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ Καρνεάδης ὁ φιλόσοφος τὸν βίον μετήλλαξε. Huc respicit Suidas in Καρνεάδης· Φασὶ τελευτήσαντος αὐτοῦ τὴν σελήνην ἐκλιπεῖν, καὶ τὸν ἥλιον ἀμυδρὸν γενέσθαι. Eadem fere habet Hesychius Καρνεάδου. Et Laertius lib. IV. *Carneade.* Τελευτῶντος αὐτοῦ φασὶν ἔκλειψιν γενέσθαι σελήνης συμπάθειαν (ὡς ἂν εἴποι τις) αἰνιττομένης τοῦ μεθ' ἥλιον καλλίστου τῶν ἄστρων. *Defuncto illo defectionem lunæ factam ajunt, ut compati videretur pulcherrimum post solem sidus.* Horum igitur trium Apollodori, Laertii & Anonymi testimonio adducti, Carneadem Olymp. CLXII, 4. de-

deceſſiſſe ſtatuimus. Hiſce contradicit aut contradicere videtur Cicero, qui Olymp. CLXX. Carneadem adhuc vixiſſe tradit. Loca quibus inferiorem ætatem ei tribuit, non pigebit adſcribere. Sic L. Craſſus apud Ciceronem lib. I. de Oratore: *Non ſum neſcius Scævola, iſta inter Græcos dici & diſceptari ſolere: audivi enim ſummos homines, cum Quæſtor ex Macedonia veniſſem Athenas florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam Carneades, & Clitomachus, & Æſchines obtinebant. Erat enim Metrodorus, qui cum illis una ipſum ullum Carneadem diligentius audierat hominum omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum & copioſiſſimum: vigebat auditor Panatii illius tui Mneſarchus & Peripatetici Critolaus & Diodorus.* Natus autem eſt hic L. Licinius Craſſus C. Lælio, Q. Cæpione Coſſ. A. U. DCXIII, ut Cicero *Bruto* docet. Quæſtura functus circa A. U. DCL. mortuus A. U. DCLXII, anno ætatis XLIX. Quo ipſo extremo ejus vitæ anno habita eſt egregia illa de oratore diſputatio hunc inter & M. Antonium, Q. Scævolam, C. Cottam, P. Sulpitium: quam Cicero a Cotta, qui ei interfuerat, ſibi expoſitam tribus libris provecta jam ætate eſt complexus. Obiter hic notaerrorem Voſſii, qui lib. de Rhet. Nat. & Conſtit. cap. 14. hæc diſputata eſſe ait a graviſſimis illis viris, cum Cicero viginti eſſet annorum. At redarguit eum ipſe Cicero, qui lib. XIII. ad Att. ep. XIX. *ſe puero* illum ſermonem habitum eſſe ſcribit. *Sunt etiam*, inquit, *de oratore noſtri tres mihi vehementer probati, in eis quoque ea perſona ſunt, ut mihi tacendum fuerit. Craſſus enim loquitur, Antonius Catulus ſenex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpitius. Puero me hic ſermo inducitur, ut nulla eſſe poſſent partes meæ.* Deſiit Cicero puer eſſe anno ætatis ſuæ decimo ſexto, quo more tum recepto virilem ſumebat togam. De quo vide Fabricium vita Ciceronis ad annum citatum, quo etiam facit hic locus Ciceronis ad Att. VII, 7. *Alexim humaniſſimum puerum, niſi forte dum ego abſum, adoleſcens factus eſt, id enim agere videbatur, ſalvere jubeas velim.* Habita igitur eſt illa diſputatio ante XX. ætatis Ciceronis annum, ſecus ac Voſſio viſum. Deinde Craſſus, qui ei colloquio interfuit, eodem anno paullo poſt diem obiit, anno ætatis Ciceronis XVI. Natus enim Cicero eſt Q. Servilio Cæpione & C. Atilio Serrano Coſſ. A. U. DCXLVII. ut ipſe *Bruto* ſatis perſpicue tradit; dicit enim ſe natum eſſe anno, quo Craſſus orator legem Serviliam ſuaſit: hoc autem

Craſſum

Crassum anno ætatis suæ XXXIV. fecisse, & hunc natum esse Q. Cæpione & C. Lælio Coss. Tandem ipse Cicero initio istius dialogi consulem tum Philippum fuisse indicat: qui eodem anno scilicet A. U. DCLXII. consul erat. Sed hæc obiter. Quoniam itaque Crassus anno urbis circiter DCI. Quæstor Athenas venit, Carneades tum vixit, si & Ciceronis ista verba sana sunt & fidem merentur. Alter locus pro inferiore Carneadis ætate adstruenda in Cicerone paullo post sequitur, ubi M. Antonius de se: *Namque egomet, qui sero ac leviter Græcas litteras attigissem, tamen cum Proconsul in Ciliciam proficiscens, Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus: sed cum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te* (Crassum intelligit, cujus verba jam a nobis citata respicit) *modo sunt nominati. ---- Horum alii sicut iste ipse Mnesarchus ---- Carneades vero multo uberius iisdem de rebus loquebatur ---- Quibus dicere Carneades solebat, ingenium tuum Crasse vehementer admirans, me sibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem in disputando esse visum. ---- Cum Athenienses ad Senatum Legatos de suis maximis rebus mitterent, tres illius ætatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem & Critolaum, & Diogenem. Itaque eos dum Romæ essent & a se* (P. Africanum, C. Lælium & L. Furium intelligit) *& ab aliis frequenter auditos quos tu cum haberes auctores Antoni,* (hunc enim jam adloquitur Catulus) *miror cur philosophiæ sicut Zethus ille Pacuvianus prope bellum indixeris.* Hinc colligimus, Carneadem vixisse eo anno, quo Antonius Proconsul in Ciliciam proficiscebatur. Is erat annus Urbis DCLI, ut testatur Epitome Liviana lib. LXVIII. Hæc fere sunt, quæ nostræ sententiæ de Carneade Olymp. CLXII, 4. A. U. DCXXIV. mortuo obstare videntur, & a Petavio acriter nobis opponuntur.

4. Tametsi vero Petavio in temporum supputatione, plurimum tribuendum, ejusque diligentiam atque industriam summe prædicandam existimamus, hic tamen ut eum eo faciamus, adduci non possumus (1) cum in ore duorum aut trium consistat omne verum; tribus potius illis Apollodoro, Laertio & Anonymo Olympiadographo credendum judico, quam uni Ciceroni. Dices: plus valet oculatus testis unus quam auriti decem. Antonius tum audivit & vidit Carneadem. Vixit

Vixit igitur tum Carneades. Respondeo, Cicero ex aliorum relatione hæc scribit. Ex Cotta A. U. DCLXXX. mortuo qui cum Antonio & Crasso sermonem istum habuit, Cicero ea audivit, quæ ipse postea A. U. DCXCVIII. tribus libris de Oratore complexus est. Cicero igitur, qui personas ita loquentes fingit, pro teste oculato haberi non potest. (2) Eo plus fidei sententia nostra meretur, quod Apollodorus Atheniensis ejusdemque cum Carneade ætatis, & quidem Chronologus id tradat, quippe quem accuratius & exactius singula novisse, notasse, & scripsisse probabile est, quam a rhetore Cicerone factum. Notat Apollodorus Carneadem anno ætatis LXXXV. obiisse, eumque sequitur Lucianus *Macrobiis:* Cicero numero rotundo usus (quis enim tantam ἀκρίβειαν in Rhetore requiret?) eum anno ætatis XC. defunctum tradit lib. IV. Ac. Qu. in quo cum negligentem se & oscitantem Chronologum prodat Cicero, qui tuto ei credi potest in chronologia? habet tamen, qui ipsum sequatur, Valerium Maximum. Minus roboris autem hæc contraria Ciceronis sententia habet, quod Cicero Apollodori Chronica non habuerit, adeoque ex ignorantia contradicat. Ipse fatetur lib. XII. ad Att. epist. 24. *Quibus Coss. Carneades & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Hæc nunc quæro, quæ caussa fuerit. De Oropo, opinor. Sed certum nescio, &, si ita est, quæ controversiæ: præterea qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis, qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint inlustres, quæ etiam ex Apollodori puto posse inveniri.* (3) Confirmat nostram sententiam ipsa Græcorum legatio. Mittebant Græci tres celeberrimos viros Romam, Diogenem Babylonium, Stoicæ, Critolaum Phaselitem Peripateticæ, & Carneadem Cyrenæum academicæ philosophiæ magistros atque professores, idque factum P. Scipione & M. Marcello Coss. teste Cicerone *Lucullo*, sive lib. IV. Ac. Qu. Anno Urbis DXCVIII, Olymp. CLVI, 2. Nobilis hæc erat legatio, & multum inter antiquos celebrata, quam *nobilem trium sapientiæ procerum ab Athenis legationem* adpellat Plinius VII, 30. Vide de ea Ciceronem lib. IV. Tusc. Quæst. Erat tum Diogenes LXXVII. annorum: occisus enim est Olym. CLIX. teste Athenæo V, 13. annos natus LXXXVIII. teste Luciano Macrobiis. Critolaus XXX annorum fuit circiter, si LXXXII annos vivit, juxta Lucianum *Macrobiis* & A. U. DCL. adhuc cum Crassus Athenas veniret, vixit; quod tamen dubio non caret,

 Dio-

Diogene paullo junior erat Carneades, quippe qui ab illo dialecticam didicerat, juxta Ciceronem lib. IV. Ac. Qv. Erat LIX. annorum, mortuus enim est Olymp. CLXII, 4. anno ætatis LXXXV. juxta Laertium. Quod si juxta Petavium dixeris Carneadem Olym. CLXX. A. U. DCLIII. mortuum esse: concedas necesse est, Carneadem tempore legationis XXX vel juxta Ciceronem XXXV annorum fuisse, quod non est verisimile. Cum legatus mittebatur Romam, jam Academiæ præerat, eique diu post præfuit. Cicero Lucullo: *Academiam ipse Carneades diu tenuit. Nam nonaginta vixit annos,* Ante legationem jam aliquot annos Academiæ ipsum præfuisse negari nequit, cum e legatis unus ipse maxime sit nobilitatus, & quidem usque ad invidiam, tantaque vi eloquentiæ polluerit, ut quoquo lubebat, animos flecteret, vera falsa pari applausu & eloquentia defenderet. Cicero apud Nonium *calumnia: Carneades sæpe optimas caussas ingenii calumnia ludificari solebat.* Idem lib. II. de Oratore: *Carneadis vis incredibilis illa dicendi & varietas per quam esset optanda nobis: qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit quam non probarit: nullam oppugnavit, quam non everterit.* Adde Lactantium lib. V, cap. 15. 17. Propterea Cato ille Major, qui tum ætatis annum LXXXVIII. agebat, vir summæ auctoritatis veritus, ne juventus Romana nimio eloquentiæ & philosophiæ studio capta, belli & armorum scientiam negligeret, legatos quamprimum ex urbe dimittendos censuit. Plinius VII, 30. *Cato Censorius in illa nobili trium sapientia procerum ab Athenis legatione audito Carneade, quamprimum legatos eos censuit dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri esset, haud facile discerni posset:* adde Plutarchum *Catone Majore.* In istis tribus legatis rhetores tres dicendi characteres notant tribuentes Carneadi magnificum, Diogeni mediocrem, Critolao humilem characterem, de quo Gellius VII, 14. Unde cum tanta tum esset Carneadeæ eloquentiæ præ aliis fama atque excellentia, ut caput quasi legationis haberetur, LIX potius quam XXXV annorum fuisse, probabiliter conligimus. (4) Ipsius Clitomachi historia Ciceroni adversatur. Iste enim de Carneadis dogmatibus ad Lucilium poetam A. U. DCL. mortuum scripsit, quod mortuo Carneade cum ipse Academiæ præesset, omnino factum. Vide quæ de Clitomacho e Cicerone modo diximus, & quantopere ea hanc de ætate Carneadis sententiam Cicero-

ceronianam convellant, atque labefactent. (5) Tandem ut ne justo iniquior in Ciceronem cui videar, fidem ejus omni suspicione erroris liberabo, aut saltim liberare conabor. Puto in verbis illis, quibus Crassus & M. Antonius Carneadem Athenis audivisse dicebantur, mendum latere, & pro *Carneadem* legendum esse *Charmidem*. Florebat enim tum Charmides, mortuus erat Carneades. Audi potius ipsum Crassum, qui triennio minor erat quam Antonius teste Cicerone *Bruto*, loquentem verbis non corruptis apud Ciceronem lib. III. de Orator. *Carneades cujus ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum & socerum meum Scævolam, qui eum Romæ audivit adolescens, & Q. Metellum L. F. familiarem meum clarissimum virum qui illum a se adolescente Athenis, jam affectum senectute multos dies auditum esse dicebat.* Similis error in oratore Ciceronis occurrit: *Scitum est, quod Carneades noster dicere solebat, Clitomachum eadem dicere, Carneadem autem eodem etiam modo dicere.* ubi priore loco pro *Carneades* legi *Charmides* mea quidem sententia debet. Idem mendum latet in his ejusdem Ciceronis libro *de Oratore* II extremo ubi M. Antonius: *Vidi*, inquit, *ego summos homines, & divina prope memoria Athenis Carneadem: in Asia, quem vivere hodie ajunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque tanquam litteris in cera; sic se ajebat imaginibus in iis locis, quos haberet. qua meminisse vellet, perscribere.* Et lib. I. Tusc. Quæst. *Non quæro quanta memoria Simonides fuisse dicatur, quanta Theodectes, quanta is, qui a Pyrrho legatus ad Senatum est missus, Cyneas, quanta nuper Carneades, quanta qui modo fuit Scepsius Metrodorus, quanta noster Hortensius.* Vir doctissimus Adr. Turnebus Adversf. lib. X, cap. 16. vitiose Carneadem isthic legi, recte statuit: sed lectionem *Carmadam*, quam in antiquis codicibus reperit, frustra tuetur. Nostram super hoc loco sententiam confirmat Plinius Hist. Nat. VII, 24. *Charmidas quidam in Græcia, qua quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repræsentavit. Ars postremo ejus rei facta & inventa est a Simonide Melico, consummata Metrodoro Scepsio ut nihil non iisdem verbis redderetur auditum.* Notat Turnebus loco citato, in his Plinianis verbis *Carmidas* legi in antiquis exemplaribus, eamque lectionem in suum Carmadam pessime transformat, cum Charmidas sive Charmides noster intelligatur. Ex his facile erit corrigere eos, qui vitiatum

tiatum Ciceronem sequuti memoriæ excellentiam Carneadi adtribuunt, de quibus prolixe agere, operæ pretium non est. Solinus qui alias Pliniana plurima suo inseruit Polyhistori, eosdemque quos Plinius capite citato, memoria valuisse cap. 7. tradit, Charmidan tamen nostrum præterit, idque ea forte de caussa, quod ignotum Charmidæ nomen, de mendo suspectum haberet. Sed dum unum errorem declinat, alterum longe graviorem errat. Metrodorum enim illum, qui Ciceronis coætaneus erat, Diogenis Cynici æqualem facit. *Metrodorus*, inquit, *Philosophus, qui temporibus Cynici Diogenis fuit, in tantum se meditatione assidua provexit, ut a multis simul dicta non modo sensuum, sed etiam verborum ordinibus detineret.* Quod si in M. Crassi verbis initio citatis ut Critolaus & Diodorus Peripatetici successores, sic Carneades & Clitomachus Academici intelligendi cuipiam videantur, *ἀνιϛορησίας* suspicione Cicero ægre liberabitur. Et quis facile credat, Critolaum, qui A. U. DXCVIII. cum Carneade & Diogene Romam legatus missus est, adhuc A. U. DCL. cum Crassus Athenis esset, vixisse? Exstaret Cæcilii liber *περὶ τῶν κατὰ ἱϛορίαν ἢ παρ' ἱϛορίαν, εἰρημένων τοῖς Ῥήτορσι*, *de iis, quæ ab Oratoribus secundum historiam, vel præter historia veritatem dicta sunt*, facilior hujusmodi foret solutio. Atque hæc de ætate Carneadis contra Petavium veritatis studio dicta sint.

CAPUT

CAPUT XV.

1. Castor Chronographus errores Chronicos notavit. Varii errores Chronici in Laertio. Leges variarum nationum collatæ. Alii Castores. 2. Apollodorus de sectis philosophorum, de Sophrone, de Legislatoribus & Chronica scripsit. Hervetus notatur. 3. Apellicon de familiaritate Aristotelis cum Hermia scripsit. Ætas ejus. Φιλόβιβλος fuit. 4. Diotimus infensissimus Epicuri hostis. Epicurus honestus vir. Diotimus supplicio capitis affectus ob crimen falsi. Varii Diotimi. 5. Amphicrates de viris inlustribus. 6. Antiochus Ascalonita contra Philonem Sosum condidit.

I.

PTolemæi Lathuri imperium Castorem vidit, qui Rhodius, vel Galata, ob insignem temporum peritiam χρονογράφος Josepho lib. II. *de antiquit. Jud. gentis* dictus. Apollodori Atheniensis æqualis fuit, eidemque citatur lib. II. *bibl.* quapropter de Castore prius, quam de Apollodoro agere, Vossium decuisset, secus ac ab illo factum. Cum observaret ille Castor varie a doctis peccatum esse vel circa personas, dum unius gesta alteri tribuuntur: vel circa loca, dum quædam in hoc loco gesta sunt, in altero dicuntur: vel circa tempora, dum & ipsa confunduntur: his erroribus aliquo modo subvenire voluit. Errores circa personas eum correxisse, & homonymos distinxisse, indicat Ausonius carm. XXIII, in prof. Burdeg. ubi de *Regibus ambiguis* eum egisse scribit. Errores vero circa tempora potissimum eum sublatum ivisse libro, quem inscripsit χρονικὰ ἀγνοήματα, hoc est *errores Chronicos*, observamus. Citat istum librum Suidas Κάστωρ, & Apollodorus lib. II.

Bibl. Atque ut ista *χρονικὰ ἀγνοήματα*, & isti *ἀναχρονισμοὶ* in omnibus fere historiis occurrunt; si historiæ nostræ philosophicæ illum librum profuturum fuisse persuasi sumus, præsertim cum videamus de philosophorum nativitatis & mortis annis apud Laertium, varias & diversas auctorum sententias adferri. Quin quod & in ipso Laertio varia *χρονικὰ ἀγνοήματα* occurant, sive Laertio, sive Librariis tribuenda, v. g. cum Anaxagoras Olymp. LXXXVIII, 1. mortuus sit, Laertius lib. II. cum dicit obiisse, *τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ὀγδόης*; lege igitur *ὀγδοηκοστῆς ὀγδόης*. Eodem libro Socrates natus dicitur *ἐπὶ Ἀψεφίωνος* (inserenda hic sunt *ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἢ ὡς ἄλλοι ἐπὶ Φαίδωνος*, hinc sequentia) *ἐν τῷ τετάρτῳ ἔτει τῆς ἑβδομηκοστῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος*. Eodem libro Xenophonta floruisse ait, *περὶ τὴν ἐννάτην καὶ ὀγδοηκοστὴν ὀλυμπιάδα*, pro *περὶ τὴν ἐνενηκοστὴν καὶ ὀγδόην ὀλυμπιάδα*. lib. III. Platonem Isocrate minorem esse dicit *ἔτεσιν ἕξ*, pro *ἔτεσι ζ*. lib. IV. Xenocrates mortuus perhibetur *ἔτος ἤδη γεγονὼς δεύτερον καὶ ὀγδοηκοστὸν*, pro *δ. κ. ἑκατοστόν*. Error quoque Chronicus est in Laertio, cum lib. V. Heraclidem Platonis auditorem Dionysii Metathemeni familiarem facit. Libro VII *Zenone* a XXX. Tyrannis interfectos esse ait *πρὸς τοὺς χιλίους τετρακοσίους*, sed lege *πεντακοσίους*. Eodem libro Chrysippum defunctum tradit *κατὰ τὴν τρίτην καὶ τεσσαρακοστὴν* (adde *ὑπὲρ ἑκατοστὴν*) *ὀλυμπιάδα*. Libro IX. Parmenides juxta Laertium floruit *κατὰ τὴν θ καὶ εἰκοστὴν* (lege *ἑβδομηκοστὴν*) *ὀλυμπιάδα*. Eodem libro Democritus obiisse dicitur anno ætatis *ρθ*, sed lege *ρδ'*. lib. X. Epicurum mortuum auctor est, *κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης* (adde *καὶ εἰκοστῆς*, porro *καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος*.) Præterea historiam dogmatum illustravit, & Pythagorica instituta cum Romanis conciliavit libro peculiari. *Κάστωρ ὁ τὰ Ρωμαϊκὰ τοῖς Πυθαγορικοῖς συνοικειῶν*, inquit Plutarchus, *Quæst. Rom.* sicut postea anonymus quidam tempore Theodosii junioris, Leges Romanas cum Mosaicis contulit, qui prodiit e bibliotheca Pithoei impressus 8. Heidelbergæ A. 1656. Extat quoque in Codice Theodosiano Parisiis edito A. 1586. fol. & inter Pithoei opera edita Parisiis 1609. confer de hoc anonymo Freheri Verisimil. lib. I. cap. 9. Similiter Joh. Calvinus Themida Hebræo Romanam juris Canonici & Civilis scripsit. Alii Atticas & Romanas leges conciliarunt. Stephanus

nus leges Mosaicas cum Græcis contulit. Alius est Castor ille Agrippa, qui contra Basilidem hæreticum scripsit, teste auctore libri, qui inscribitur *Hieronymi Stridonensis indiculus de hæresibus Iudæorum*, cap. 2. Antonius Castor Medicus Plinii erat æqualis.

2. Apollodorus, ὁ Ἀσκληπιάδου, *Asclepiadis* discipulus forte, Atheniensis Grammaticus, teste Suida Ἀπολλόδωρος, scripsit *de sectis philosophorum*, περὶ τῶν φιλοσόφων αἱρέσεων, ut testatur Laertius lib. I. *Solone*. scripsit item commentarium in Sophronem. Athenæus, III, 11. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τοῖς περὶ Σώφρονος, *Apollodorus Atheniensis lib. de Sophrone.* confer VII, 17. Pluribus autem libris id opus constitit. *Tertium* citat Athenæus VII, 6. Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῷ τρίτῳ περὶ Σώφρονος, *Apollodorus Atheniensis libro tertio de Sophrone.* non *de Temperante* vertenda sunt ultima verba cum Dalechampio: cum Σώφρων nomen proprium hic sit, non appellativum adjectivum, ut grammatici loquuntur. Frequentes autem sunt hujus generis errores apud interpretes quosdam. Sic Clementis προτρ. Φανοκλῆς ἐν ἔρωσιν, ἢ ταῖς καλοῖς, Ἀγαμέμνονα τῶν Ἑλλήνων βασιλέα, Ἀργύννιδος νεὼν Ἀφροδίτης ἵσασθαι, ἐπ' Ἀργήννῳ (lege Ἀργύννῳ. Ἀργύννος enim Amasio nomen erat) τῷ ἐρωμένῳ. Hervetus ignorans Phanoclis fuisse quoddam δρᾶμα, quod ἔρωτες ἢ καλοὶ dictum, perperam interpretatur: *Phanocles autem in pulchris colebat heroibus Agamemnonem, Græcorum Regem. Argynna stare templum Veneris propter Argennum dilectum.* Pessime, sed mittamus hæc. Apollodori de Sophrone, *quartum* librum citat Scholiastes Aristophanis ad Vespas fol. CDLXVI. librum *secundum* operis ejus περὶ Νομοθετῶν, *de legislatoribus*, citat idem Laertius lib. I. de Solone. Crebro ejus Chronica * ad philosophorum historiam inlustrandam adducit Laertius lib. I. *Thal. Pitt.* lib. II. *Anaximand. Anaxag.* lib. IV. *Arcesil. Carn.* lib. V. *Arist. Strat.* lib. VII. *Zen. Chrys.* lib. VIII. *Emped. Xenoph.* lib. IX. *Melis. Democr. Pyrrh.* lib. X. *Epic.* Phlegon. lib. *de Longævis.* *Tertium* χρονικῶν citat Laertius lib. IV.

anno

* *quæ alii χρονικὴν σύνταξιν vocant.*

*Crat.** τὰ Λυκέργε νόμιμα ὡς Ἀπολλόδωρος, inquit Eusebius, Chron. anno MCCXVIII. *Lycurgi leges a Lacedæmone juxta sententiam Apollodori hac ætate susceptæ*, vertit Hieronymus. Qui locus vel ex libris ejus de legislatoribus, vel ex Chronicis petitus est. Ista Chronica respicit omnino Cicero lib. XII. ad Att. epist. XXIV. *Quibus consulibus Carneades & ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Hæc nunc quæro, quæ caussa fuerit de Oropo, opinor, sed certum nescio. Etsi ita est, quæ controversiæ, præterea qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui præfuerit hortis, qui etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint illustres, quæ etiam ex Apollodori puto posse inveniri.* Vixit autem hic Apollodorus Evergetæ secundi & Lathuri tempore, fuitque discipulus Aristarchi Grammatici, & Panætii Rhodii Stoici, teste Suida Ἀπολλ. Stoicus fortassis & ipse, sed sententia hæc dubio non caret.

3. Lathuri temporibus quoque Apellicon Tejus florebat, philosophus Peripateticus, qui de Hermea Atarnensium Tyranno, & Aristotelis cum eo familiaritate scripsit. Testis est Aristocles Peripateticus lib. VII. de philosophia, apud Eusebium de præp. Evang. XV, 1. περὶ μὲν ὖν Ἑρμείε καὶ τῆς Ἀριστοτέλες πρὸς αὐτὸν φιλίας, ἄλλοι τε πολλοὶ συγγεγράφασι, καὶ δὴ καὶ Ἀπολλίκων, ὃ τοῖς βιβλίοις ὁ ἐντυχὼν, πεπαύσεται βλασφημῶν αὐτὲς. *De Hermia vero & Aristotelis cum eo familiaritate cum alii multi scripserunt, tum Apellicon, cujus libros qui legerit, maledicere iis desinet.* Apellicon autem hic familiaris erat Athenioni itidem Peripatetico, Athenionis illius, qui in Erymnei Peripatetici ludo diligentem se præbebat disputatorem, filio, Atheniensium Tyranno, cum Mithridates Asiam in suam potestatem redegerat A. U. C. DCLXV. ut fuse narrat Athenæus V, 13. 14. Biennio post Romani duce Sylla Athenas receperunt, ubi Sulla Apellicontis Teji jam mortui, teste Strabone XIII, bibliothecam, in qua plerique Aristotelis & Theophrasti erant libri multis parum noti, Romam deportandam curavit, ut alibi

* *I. III. & IV. Stephanus, & VIII. forte Syncellus, uti putat Thom. Gale. qui consuli potest in dissertatione historiæ poeticæ scriptoribus præmissa, p. 21.*

alibi in *Andronicus* ex Plutarcho adducimus. Apellicon autem libros illos a Nelei, cui Theophrastus bibliothecam suam tradiderat, posteris magno emit. Strabo lib. XIII. hunc Apelliconta φιλόβιβλον magis, quam φιλόσοφον fuisse tradit, ejusque librorum usum Romæ a bibliothecæ præfecto Tyrannionem Grammaticum impetrasse, a quo nos exemplaria corrupta habeamus.

4. Horum temporum æqualis erat Diotimus, Stoicus, Zenonis Epicurei omnium Epicureorum acerrimus insectator, qui epistolas quasdam, quibus philosophorum priscorum vita perstringeretur, nomine Epicuri fictas edidit & hac ratione Epicurum ejusque discipulos contemtui atque ludibrio exposuit. Optime vero factum a Laertio lib. X, qui veritatis amore fraudem detegit, & Epicuro neque istas neque alias lascivas epistolas confictas, quippe a Diotimo Stoico, esse tribuendas, aliterque de Epicuro sentiendum esse docet. Audit is male non suo merito aut culpa, sed Stoicorum iniquitate, atque invidia. Cicero Stoicorum partes quandoque sequutus, Epicurum carpit, verum non raro accuratius re perpensa, honeste de eo sentit & loquitur. Sic lib. III. Tusc. Quæst. *Nullum genus hominum est minus malitiosum, quam Epicurei*, ubi Epicureos adpellat viros optimos. *Solent isti Epicurei negare, nos intelligere, quid dicat Epicurus*, verba sunt ejusdem Ciceronis, libro citato, ubi paullo post addit: *Quid? Ergo tu Epicurum existimas ista turpia scilicet voluisse, aut libidinosas ejus fuisse sententias? Ego vero minime. Video enim ab eo dici multa severe, multa praclare*, idem lib. II. Tusc. Qv. *Epicurus homo minime malus, vel potius vir optimus.* Tandem de Epicureis lib. II. de Fin. *Hi mihi videntur facere melius, quam dicere.* Hæc Cicero, sed non sine teste. Seneca enim vir prudentissimus, & ab ista Stoicorum rabie atque invidia alienissimus, quantumvis Stoicus, de Epicuro longe rectius sensit. *Epicurus honeste vivendum esse censet*, inquit ille, epist. XXI. *Epicurus immerito mollia pracipere videtur*, verba sunt ejusdem lib. de constant. Sap. cap. 15. *Sancta & recta pracipit* ejusdem judicio lib. de vita beata, c. 13. *Clausulam hanc utilem & salutarem animo te affigere volo: aliquis vir bonus eligendus ac semper ante oculos habendus est, ut sic tanquam illo spectante vivamus. Hoc Epicurus pracepit*, ait idem ep. XI. Ita scilicet Epicurus alius fuit, alius habetur. Diotimo

autem impostori male ista fraus cessit, ita ut morte eam luere coactus fuerit. Etenim Zeno Epicureus ille, quem *Epicureorum Coryphæum* adpellat Philo ap. Cic. lib. I. de Nat. Deor. quemque Athenis cum Attico se audivisse indicat idem Cicero lib. II. & V. de Fin. lib. III. Tusc. Quæst. lib. I. Acad. Quæst. quem *Sidonium* nominat Laertius lib. VII. & X. Hic, inquam, Zeno non modo Stoicis convitia reddidit, dum Chrysippum Chesippum (non *Cisippam*, ut quidam codices habent) vocavit, Apollodorumque Syllum (forte Ephillum Stoicum, de quo infra vel potius interjecto distinctionis signo *Apollodorum, Syllum)* cæterosque maledictis insectatus est, teste Cicerone lib. I. de Nat. Deorum, sed Diotimum istum quoque de falsis atque spuriis epistolis Epicuro suppositis accusavit, remque eo deduxit, ut capitis damnaretur. Athenæus XIII, 9. Θεότιμος (lege Διότιμος) ὁ γράψας τὰ κατ' Ἐπικούρου βιβλία ὑπὸ Ζήνωνος τοῦ Ἐπικουρείου ἐξαιτηθεὶς ἀνῃρέθη, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς ὁμωνύμοις. Plures autem præter hunc fuere Diotimi. Diotimus unus ex rhetoribus Atheniensium fuit, teste Plutarcho de X. Rhet. *Demosth.* Suida Ἀντίπατρος. Diotimus Atheniensis refert, Alcetám Macedonem fuisse bibacem apud Athenæum lib. X. c 10. Diotimus quidam complures παντοδαπῶν ἀναγνωσμάτων libros scripsit, quorum *sexagesimum quintum* quo Anaximenem ἐν μεταλλαγαῖς βασιλέων exposuit, adducit Stephanus, πασσαργάδαι. Diotimus ὁ Στρομβίχου πρεσβείας Ἀθηναίων ἀφηγούμενος tempore Eratosthenis laudatur Straboni lib. I. Forte hic est (neque enim tempora repugnant) Asclepiadis illius Myrleani, qui Apollonium Grammaticum audivit, pater apud Suidam. Ἀσκληπ. Diotimus ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ, Εὐρυσθέα φησὶν Ἡρακλέους γενέσθαι παιδικά, apud Athenæum XIII, 8. Diotimus *Olympenus familiaris noster de aenigmatibus fuse scripsit*, ait Æmilianus, Maurusius Deipnosophista apud Athenæum X, 15. Diotimus Adramyttenus ἐν γαργάρῳ τῆς Τρῳάδος πόλει γράμματα ἐδίδασκε, teste Stephano γάργαρα. Sed forte hic cum superiorum aliquo conjungendus est. Diotimus τὴν παντέλειαν τῶν ἀγαθῶν statuit, esse summum bonum apud Clementem Alex. lib. II. Strom. Diotimum Thebanum Plinius XXVIII, 7. Diotimum παιδοτρίβην memorat Lucianus χελιδόνιον.

5. Amphicrates *de viris inlustribus* scripsit. Laertius lib. II. Aristip. Ἀμφικράτης ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν φησι κώνειον αὐτὸν πιεῖν κατα-

καταδικασθέντα, *Amphicrates libro de inlustribus viris auctor est, eum damnatum venenum bibisse.* Athenæus lib. XIII, Deipnos. cap. 5. Θεμιστοκλῆς ἐξ ἑταίρας ἦν γεγεννημένος ὄνομα Ἀβροτόνου, ὡς Ἀμφικράτης ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, *Themistocles e scorto, cui nomen Abrotono, natus est ut refert Amphicrates libro de viris claris.* Hic cum memoro, quod credam, eundem esse rhetora illum Amphicratem, qui apud Tigranem vitam voluntaria inedia finiit, teste *Plutarcho Lucullo.*

CAPUT XVI.

1. Alexander Polyhistor dictus. Plinii error & Suidæ: Meursii item & Vossii. Scripsit de symbolis Pythagoreis. 2. De nominibus locorum apud Alcmanem de successionibus philosophorum. Alii Alexandri. 3. Posidonius de Athenione Peripatetico egit. Zenonem Epicureum refutavit. Error Athenæi super ætate ejus. Patritii error. Rhodi docuit Posidonius. Varii ejus nominis.

1.

ALexander, Cornelius, Γραμματικὸς πολυμαθέστατος, & patria Κοτυαεύς, juxta Stephanum Κοτυάειον, unde Ἀλέξανδρος ὁ Κοτυαεὺς dicitur Porphyrio, Quæst. Hom. XXIII. ob variam eruditionem Πολυΐστωρ dictus est: mendo itaque non caret hic locus Plinii IX, 35. *Alexander & Polyhistor & Sudines.* deleri scilicet debet prior copula. Ut autem ex Alexandro Polyhistore duos fecit Plinius, Alexandrum scilicet & Polyhistora: Sic lib. I. c. 20. lib. XX, c. 8. & lib. XXV, c. 9. Petronium Diodotum medicum Ἀντιλεγομένων auctorem laudat, cum Petronius & Diodotus apud Dioscoridem initio lib. I. *de re med.* distincti sint medici, nisi forte illum Plinii Petronium Diodotum quis diversum ab his esse velit, cui tamen non accesserim. Sed hos & similes Plinianos

errores notatos credo ab A. Schotto, qui indicem auctorum a Plinio in Historia Naturali citatorum edidit. Unus autem idemque est Alexander, Cornelius, Polyhistor, Asclepiadæ filius, vel, ut ego interpretor, magister. Quem enim Stephanus Κοτυάειον τὸν Ἀσκληπιάδου, & γραμματικὸν πολυμαθέστατον adpellat, de eodem omnino intelligenda sunt Eusebii lib. IX. de præp. Evang. cap. 17. verba ὁ Πολυΐστωρ Ἀλέξανδρος, πολύνους ὢν καὶ πολυμαθὴς ἀνὴρ, τοῖς τε μὴ πάρεργον τὸν ἀπὸ παιδείας καρπὸν πεποιημένοις Ἕλλησι γνωριμώτατος. *Alexander Polyhistor, vir acutus, & varia scientia ac Græcorum iis notissimus, qui non perfunctorie ex studiis fructum perceperunt.* De eodem Phavorinus ἰητῆρα Ἀλέξανδρος ὁ κοττιεὺς (lege κοτιαεὺς sive κοτυαεὺς, ex Stephano κοτυάειον) πρὸς ἀκρίβειαν λαλῶν. De eopse Alexandro Suidas Ἀλέξ. Ἀλέξανδρος, ὁ Μιλήσιος, ὃς Πολυΐστωρ ἐπεκλήθη, καὶ Κορνήλιος· διότι Κορνηλίῳ Λεντύλῳ, αἰχμαλωτισθεὶς, ἐπράθη, καὶ αὐτῷ παιδαγωγὸς ἐγένετο· εἶτα ἠλευθερώθη. Ἦν δὲ ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ τῶν Σύλλα χρόνων καὶ ἐπὶ τάδε. ἀνῃρέθη δὲ ἐν Λαβρένταις, ὑπὸ πυρὸς τῆς οἰκίας φθαρείσης. Καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ Ἑλένη, μαθοῦσα τὸ συμβὰν, ἀπήγξατο. Ἦν δὲ γραμματικὸς τῶν Κράτητος μαθητῶν. Οὗτος συνέγραψε βιβλία ἀριθμοῦ κρείττω. Καὶ περὶ Ῥώμης βιβλία πέντε· ἐν τούτοις λέγει, ὡς γυνὴ γέγονεν Ἑβραία Μωσὼ, ἧς ἐστι σύγγραμμα ὁ παρ' Ἑβραίοις νόμος. *Alexander, Milesius, qui & Polyhistor, & Cornelius cognominatur, propterea quod captus, Cornelio Lentulo fuit venditus, ejusque pædagogus fuit factus, & postea manumissus. Fuit autem Romæ Syllæ temporibus, & ante Laurenti periit, ædibus, in quibus erat, flamma consumtis. Quod ubi ejus uxor audivit, laqueo vitam finivit. Fuit vero Grammaticus, Cratetis discipulus: & libros scripsit pene innumeros; & de Roma libros quinque, in quibus ait, Hebræam fuisse mulierem, Moso nomine, quæ legis Hebræorum auctor fuerit*, quem posteriorem locum idem quoque Μωσὼ citat. Ex modo citatis locis adparet, quam nihil sit discrimen illud, quo alibi usus est Xylander, de quo lib. I. cap. 2. diximus. Frequenter alias apud Plinium III, 17. XVI, ubi Cornelius Alexander dicitur, & alibi laudatur. Verum quod Suidas Ἀλεξ. ὁ Μιλήσ. eum Milesium facit, παρόραμα esse arbitror.* Dum enim apud Plutarchum *parall.* hæc verba

* *confer celeberr. Küsterum in notis ad ipsum.*

verba legit: Ἀριστείδης Μιλήσι☉ καὶ Ἀλέξανδρ☉ ὁ Πολυΐστωρ ἐν τρίτῳ Ἰταλικῶν, patriam prioris posteriori adtribuisse videtur, errore non infrequente. Alexander autem ille edidisse putatur ὑπομνήματα Πυθαγορικά, *commentarios Pythagoricos*, e quibus Laert. lib. VIII. 36. Pyth. nonnulla adducat, vide Meursium notis ad Chalcidium fol. VII. & VIII. ubi Alexandri hujus libris, quos omnes recensere conatur, eum adnumerat, & Vossium lib. I. *de Hist. Græc.* cap. 22. quorum uterque Alexandro illa Pythagorica Hypomnemata tribuit. Verum Laertii loca hæc sunt: φησὶ δὲ καὶ ὁ Ἀλέξανδρ☉ ἐν ταῖς τῶν Φιλοσόφων διαδοχαῖς καὶ ταῦτα εὑρηκέναι ἐν Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασι ---- καὶ ταῦτα μὲν φησιν ὁ Ἀλέξανδρ☉, ἐν τοῖς Πυθαγορικοῖς ὑπομνήμασιν εὑρηκέναι. *Dicit Alexander lib. de successionibus philosophorum, se hæc quoque in commentariis Pythagoricis reperisse ---- & hæc dicit Alexander in Pythagoricis se reperisse* Hic dicit Alexander in libro de successionibus philosophorum, se in commentariis Pythagoricis reperisse & cætera. Inde autem nemo conliget, ὑπομνήματα illa Pythagorica esse ab Alexandro scripta. Nisi forte & Suidam ὑπομνήματα Πυθαγορικὰ scripsisse dixeris, quod in Πυθαγ. sic loquatur: ἐν ὑπομνήμασι δὲ Πυθαγορικοῖς καὶ ταῦτα εὕρηται, ubi inde dogmata Pythagorica adducit. Scripsit autem Alexander περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, *de symbolis Pythagoricis.* Hinc Alexander ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῶν συμβόλων, ait Clemens ϛρωματεὺς sive Alexandrinus lib. I. *Strom.* Hujus libri mentionem quoque fieri apud Cyrillum lib. I. adversus Julianum censet Vossius lib. I. *de Hist. Gr.* cap. 22. sed errat. De Ænigmasi quidem Pythagoricis ex Porphyrio agit ibi Cyrillus, verum libri cujusdam peculiaris de Ænigmatibus illis Pythagoricis non meminit, neque ullam Alexandri Polyhistoris in illo libro mentionem injicit. Simile quid e recentioribus præstiterunt Claudius Minos & Lilius Gyraldus, qui itidem symbola Pythagorica exposuerunt. Exstant symbola Pythagoræ Manuscripta Parisiis in Bibl. Regia Num. DXCIII, MDXCVI, MDCCLIII, MMLXXXVIII.

2. Scripsit præterea Alexander noster περὶ τῶν παρ' Ἀλκμᾶνι τοπικῶς εἰρημένων, nomina nimirum locorum, quorum apud Alcmanem mentio facta erat, explicavit, Geographiæ quippe peritissimus. Meminit ejus operis Stephanus ἄραξα, ἄσσος. De geographica ejus peritia abunde

abunde testatur Stephanus, ὁ τὰ ἐθνικὰ γράψας. Neque alterius est, mea quidem sententia liber Alexandri, αἱ τῶν φιλοσόφων διαδοχαὶ, *philosophorum successiones*, quem laudat Laertius lib. I. *Pherec.* lib. II. *Socr. Eucl.* lib. IV. *Carn.* lib. VII. *Chrys.* lib. VIII. *Pyth.* lib. IX. *Pyrrh.* Sed fuerunt præter hunc, Alexandri alii plures scriptores, ut plerumque dubium sit, cui quæ scripta tribuas, nisi unus locus alterum inlustret. Sic Carica Alexandri tribuuntur Polyhistori; Scholiastes tamen Apoll. in *ἀργον.* & Phavorinus Χερσονήσῳ alii tribuenda ea censent, dicentes: Ἀλέξανδρος ὁ περὶ Καρίας γράψας, ἐκ Χερσονήσου Καρίας ὤν, Alexandrum Ætolum, ex urbe Pleurone, Satyri filium, Grammaticum, ætate Arati Solensis, & Ptolemæi Philadelphi, juxta Suidam ἄρατ. Σολεύς. celebrem memorat Parthenius Ερωτ. c. 14. Auctor hypotheseos Theocriti Idyll. VIII. Sext. Emp. lib. I. *de Phil.* Athenæus VII, 12. X, 2. Gellius XV, 20. Macrobius, aliique. Alexandrum Myndium* (modo hic a priore diversus sit) celebrat Athenæus, II, 16. V, 20. IX, 10. Scholiastes Theocriti Idyll. V & VII. Helladius apud Photium Ecl. CXC. Eustathius ad il. β fol. 193. Suidas, alii. Alexander Peripateticus, Crassi magister, memoratur Plutarcho, *Crasso.* Fuit quoque Alexander Ægæus, philosophus Peripateticus, Neronis præceptor, teste Suida Αλεξ. Alexandro Grammatico Græco, magistro usus est M. Antoninus, teste Capitolino. Alexander Seleuciensis, Cilix, Alexandri Caussidici F. Dionysii Milesii, Sophistæ, & Favorini discipulus, cognomine Peloplaton dictus, sub M. Antonino vixit, de quo Philostratus lib. II. de vit. Soph. & Suidas Αλεξ. Tum quoque vivebat Alexander Damascenus, Flavii Boethi, viri consularis, præceptor, philosophus Peripateticus, qui tametsi Platonis etiam philosophiam sequutus est, in Aristotelem tamen fuit propensior, teste Galeno lib. *de præcogn. ad Epigenem sive* (ut Latinam interpretationem cum quibusdam servem) *Posthumum*, c. 5. Huic Alexandro Romæ, ubi Galenus anatomiam administrabat, Adrianus rhetor ille anno ætatis LXXX. sub Commodo mortuus, juxta Philostratum lib. II. *Soph.* & Suidam Αδρ. & Demetrius Alexandrinus Favorini familiaris se opponebant, teste Galeno loco citato. Alexander, Aphrodiseus, philosophus, e Caria eodem tempore & paullo post florebat, nimirum sub Severo & Antonino, quibus librum *de*

* *Scriptorem* ὀνειροκριτικῶν.

de Fato dedicavit. Hic autem Severus & Antoninus sunt Septimius Severus, & Antoninus Caracallus: non autem Marcus Antoninus & frater Lucius Verus, ut opinantur Fr. Patritius *discuss. Perip.* I, 10. & Pererius lib. IV. *Phys.* Fuit hic Alexander egregius Aristotelis interpres, ita, ut ob commentarios suos doctissimos κατ' ἐξοχὴν ἐξηγητὴς dicatur: & nemo tum Aristotelici nomen tueri potuerit, quin idem ab eo diceretur Alexandreus. Simplicius ad lib. IV. φυσ. ἀκρ. com. CXLI. eum omnium interpretum laboriosissimum adpellat. Laudant eum Hieronymus *epistola ad Domnionem & Pammachium contra Rufinum.* Ruffinus lib. II. *contra Hieronymum.* Librum ejus contra Zenobium Epicureum citat Simplicius ad lib. III. φυσ. ἀκρ. com. 52. discipulum fuisse *Aristoclis* tradit idem I. de cœlo com. XXXV. & *Hermini* idem II. de cœlo com XXIII. Idem Simplicius *comm ad Categorias* Alexandrum Ægæum & hunc Aphrodiseum ejusdem fuisse sententiæ de scopo libri περὶ κατηγοριῶν scribit. Pylæmenem ut Alexandri Aphrodisei & Nicostrati libros sibi mittat, rogat Synesius epist. CXXVIII. Hunc Alexandrum de musica scripsisse, solius Possevini testimonio credit Vossius *de scientiis Math.* c. LIX. §. 16. fol. CCCXLVI. Simplicius quoque hunc Alexandrum laudat, commentario in Categorias Aristotelis, cujus verba sed latine versa lubet adferre: *Alii alio & alio modo circa hunc librum* (Aristotelis de Categoriis) *sunt versati. Hi quidem ipsa verba sola planius & apertius transferre conati sunt, ut Themistius Euphrades. & si quis alius ejusmodi. Alii autem sensus quidem & ipsos solos nudes ab Aristotele expressos breviter aperire studuerunt; ut fecit Porphyrius libro secundum interrogationem & responsionem. Alii cum his quæstiones tetigerunt modice, ut Alexander Aphrodiseus & Herminius. Itemque Maximus, insignis ille Iamblichi discipulus, in expositione Categoriarum Alexandro in omnibus fere consonus. Aliqui tamen & profundioribus circa ipsam meditationibus usi sunt ut mirabilis ille Boëthus: aliis placuit dubitationes solas, super iis, quæ dicuntur, notare, ut Lucius fecit & post Nicostratus volentes ad omnia, quæ in hoc libro dicuntur, instantias adferre, non cum reverentia, sed magis præcipitanter & inepte. Plotinus autem magnus super his operosissimas descriptiones tribus libris de generibus Entis inscriptis totas ad librum hunc retulit.* Alexandrum Stoicum, cui Bacchilus & Ambrotus monumentum fecerunt, prodit inscriptio illa apud Grute-

Gruterum fol. 388. Alexander quoque de S. Elpidio, Italus, circa A. C. MCCCXXX. celebris, quosdam Aristotelis libros commentatus est & cum Alexandro Aphrodiseo antiquo nonnunquam confunditur. Odoratur hanc confusionem Franc. Patritius I, 3. *discuss. Perip.* *

3. Posidonius, Apameensis patria, professione vero & habitatione Rhodius; Stoicus, Ciceronis in Rhodo præceptor, teste Plutarcho *Cicerone*. *De Athenione* Peripatetico philosopho, scholæ philosophicæ quondam rectore Athenis, Messanæ & Larissæ Thessaliæ, postea vero urbis Athenarum Tyranno multa καθ' ἕκαστον tradidit, ut auctor est Athenæus V, 13. Idem Zenonem Sidonium Epicureum integro volumine refutavit, teste Proclo comment. III. in I. Euclidis. Erat præter hunc & alter Posidonius Alexandrinus idem Stoicus, sed antiquior & Zenonis auditor cum Athenodoro Solense, Philonide Thebano, Callippo Corinthio, & Zenone Sidonio, juxta Laertium lib. VII. *Zenone*. Hunc hypotheses in Demosthenis orationes scripsisse, quas alii Posidonio cuidam tertio Olbiopolitæ Sophistæ tribuant, indicat Suidas. Errat in ætate Posidonii nostri Deipnosophista ille apud Athenæum XII, 12. XIV, 21. quando Posidonium Scipionis Æmiliani comitem fuisse adserit. de quo errore vide, quæ monuit Marsilius Cagnatus lib. III. var. observ. cap. 20. & post eum G. I. Vossius lib. I. de Hist. Gr. cap. 24. Scipio enim ille minor Olymp. CLXII, 3. mortuus est juxta anonymum Olympiadographum, id est, A. U. DCXXIII. paullo post legationem suam. Posidonius vero Ciceronis erat æqualis & familiaris. Audi oratorem lib. I. de Nat. Deorum. f. *Verius est igitur illud, quod familiaris omnium nostrum Posidonius disseruit in lib. V. de Natura Deorum, nullos esse Deos Epicuro videri.* & lib. II. de Nat. Deor. *Quod si in Scythiam aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in sole & in luna & in V. stellis errantibus, quod efficitur in cœlo singulis diebus & noctibus.* Erat quippe Posidonius Astrologiæ peritus. *Posidonius Stoicus multum Astrologiæ deditus*, ait Augustinus de Civ. Dei V, 2. *Posidonius magnus Astrologus idemque philosophus*, idem V, 5. confer Plinium II, 23. Hinc & Platonis Timæum commentario inlustravit, teste Sexto Empirico adversus

* *Sed Alexandros plerosq; enumerant Suidas, Meursius, Vossius & Fabricius.*

ſus Mathem. fol. CLIV. ſtatuit terram eſſe σφενδονοειδῆ, juxta Euſtathium, il. η fol. DLXVIII. *Prognoſticorum cauſſas perſequutus eſt noſter etiam Poſidonius,* ait Cicero lib. II. de divin. Idem hic Poſidonius epitome Meteorologicorum e Gemino Rhodio Mathematico æquali ſuo nonnihil de Phyſicæ & Aſtrologiæ diſcrimine adfert apud Alexandrum, teſte Simplicio ad lib. II. φυσ. ἀκρ. comm. X. Cicero Poſidonium Rhodi docentem audivit A. U. DCLXXV. teſte Plutarcho *Cicerone.* Familiariter Poſidonio uſus eſt Cicero etiam poſt conſulatum ſuum. Teſtatur hoc lib. II. ad Att. ep. 1. *Quem* (librum de conſulatu ſuo intelligit) *tibi ego non eſſem auſus mittere, niſi eum lente ac faſtidioſe probaviſſem. Quanquam ad me reſcripſit jam Rhodo Poſidonius ſe noſtrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, ut ornatius de iisdem rebus ſcriberet, miſeram, non modo non excitatum ad ſcribendum, ſed etiam plane perterritum.* Factum autem hoc eſt A. U. DCXCII. ut colligitur ex lib. I. ep. ad Att. 16. Venit tandem Poſidonius Romam ſub Marco Marcello, teſte Suida Ποσ. Quod ſi de conſulatu Marcelli interpretari velis, contigit idipſum A. U. DCCII. Tum enim ille Marcus Marcellus conſul erat (de aliis enim Marcis Marcellis conſulibus nobis hic ſermo non eſt.) Fuit circa eadem tempora & alter M. Marcellus litterarum bonarum ſtudioſus, de quo Craſſus apud Ciceronem lib. I. de Oratore: *M. Marcellus hic noſter, qui nunc* (A. U. DCLXII.) *Ædilis Curulis eſt & profecto, niſi ludos nunc faceret, huic noſtro ſermoni intereſſet; ac jam tum erat adoleſcentulus his ſtudiis mirifice deditus.* Videtur a priore diverſus eſſe, & Poſidonium aliquando Romam duxiſſe. Sed & aliquando de Suidæ verbis iſtis dubitavi. Cum enim Diogenes Stoicus in nobili illa legatione Romam venerit M. Marcello Conſule, hinc viſus mihi eſt Suidas corruptum codicem ſequutus eſſe, in quo ea, quæ de Diogene vera ſunt, de Poſidonio tradita fuerint. Sed venerit Poſidonius ſub M. Marcello illo A. U. DCCII. Conſule Romam. Hoc igitur anno ſi mortuus fuit Poſidonius, quem LXXXIV. annos vixiſſe refert Lucianus *Macrobiis,* natalis ejus incidet in A. U. DCXVIII. Cum vero Scipio ille Æmilianus ſive Minor Africanus quinquennio poſt mortuus fuerit, ut indicavimus, quis credat Poſidonium quinquennem Scipionis comitem & familiarem dici? Quare Deipnoſophiſta ille apud Athenæum in nomine errat & pro Poſidonio Panætium nominare debuit.

Sed ejusmodi errores Chronologicos alii tum quoque committebant, a quibus ut sibi caveret, Gellius virorum eruditorum ætatem e Chronicis didicit. Audi ejus industriam laude & imitatione dignam lib. XVII, c. 21. *Ut conspectum quendam ætatum antiquissimarum, item virorum inlustrium, qui in his ætatibus nati fuissent, haberemus, ne in sermonibus forte in conspectum aliquid super ætate atque vita clarorum hominum temere diceremus: sicuti Sophista ille ἀπαίδευτος, qui publice nuper disserens Carneadem philosophum a Rege Alexandro Philippi filio pecunia donatum, & Panætium Stoicum cum superiore Africano vixisse dixit: ut ab istiusmodi, inquam, temporum ætatumque erroribus caveremus, excerpebamus ex libris, qui Chronici adpellantur, quibus temporibus floruissent Græci simul atque Romani viri, qui vel ingenio vel imperio nobiles insignesque post conditam Romam fuissent ante secundum bellum Carthaginensium.* Franciscus Patritius Tom. I. lib. III. Discuss. Perip. probare conatur libros illos septendecim Geographiæ, qui Strabonis nomine veneunt, Strabonis cujusdam esse: Strabonis vero Geographiam, quam exstitisse fatetur, intercidisse contendit. Rationes suæ sententiæ has adfert. (1) Posidonius vixit ætate Scipionis Africani Minoris juxta Athenæum, & sub M. Marcello, qui A. U. DCI. consul erat, Romam ivit, juxta Suidam. At Posidonii ætate vixit Strabo, teste Athenæo lib. XIV. Auctor vero librorum XVII. de Geographia, qui Strabonis nomine circumferuntur, non vixit ætate Scipionis Minoris, sed Tiberii Augusti, qui imperio præerat A. U. DCCLXX, auctor itaque librorum XVII. Geographicorum sesquiseculo minor erit Strabone, & ab hoc alius habendus. (2) Citat Athenæus nonnulla e Strabone, quæ in superstitibus illis XVII Geographicis libris vel prorsus non exstant, vel aliter leguntur. v. g. Athenæus auctor est, Strabonem scribere, se nosse Posidonium: & hunc fuisse Scipionis familiarem; at ea nusquam in nostro Strabone leguntur. Alius igitur erit Strabo, quem Athenæus laudat, ab auctore librorum XVII. Geographicorum. His fere rationibus motus Patritius temere adeo de Strabonis ætate pronunciare ausus est. Prior earum fundamento nititur carioso & putrido facileque conlabascet. Erravit enim Τραπεζοφήτιος, quod Posidonium Scipionis familiarem fecerit, ut supra jam diximus. Posidonius sesquiseculo minor est & Ciceronis ætate vixit. Igitur & Strabo cujus ætatem attigit Posidonius, sesqui-

seculo

minor erit. Posidonius ὁ καθ' ἡμᾶς dicitur Straboni, id est, *qui nostra ætate*, vel *qui circa nostra tempora vixit*. Minus recte Deipnosophista hæc Strabonis verba sic accepit, quasi Strabo Posidonium noverit. Alterum argumentum quod adtinet; dicimus, Deipnosophistarum eorum ἐπικυλικείους λόγους, *sermones convivales*, censura adeo rigida ad veritatis trutinam a Patritio examinandos non fuisse, cum in mensa solito liberiores sermones haberi soleant plerumque. Athenæus vero qui eos literis mandavit, non omnino culpa vacat, quod eorum famæ & ipsius veritatis rationem majorem non habuerit: unde & *Græcorum Plinius* dicitur Casaubono præfat. Animadversionum in Athenæum. *Qui factum sit, nescio, quod factum tamen scio, ut locis prope infinitis verba Aristotelis & Theophrasti describens Athenæus erraverit*, ait idem Casaubonus lib. II. Animad. c. 20. Iterumque lib. V, c. 15. *Sæpe*, ait, *scriptorem hunc peccare graviter, dum suorum excerptorum sequitur fidem, neque ad fontes ipsos adit, multis locis probatum nobis satis superque*, confer lib. VII. c. 5. & ad corrupta ista loca a nobis citata. Plurima hujus generis exempla adferri possent, nisi id a Casaubono dudum factum esset. Ut ita & alterum Patritii argumentum prorsus fragile sit & stramineum. Hæc de ætate Posidonii nostri, de qua postremo & hoc dicendum, errare quoque auctorem libri *de historia philosophica*, dum Antipatrum Diogenis Babylonii discipulum Posidonii nostri magistrum facit. Vixit hic Posidonius Rhodi & philosophiam Stoicam professus est. Audivit eum Rhodi Cicero, ut modo indicavimus. Pompejus confecto bello Mithridatico scholas Mitylenensem, Atheniensem & Rhodiam A. U. DCXCI. invisit & bonis artibus se favere variis beneficiis probat, sed eo fine, ut rerum a se gestarum præcones & scriptores excitaret, teste Plutarcho *Pomp.* In hac autem schola Posidonium honorifice prorsus visitat, teste Plinio Hist. Nat. VII, 30. Hic licet graviter esset æger, disputat tamen cubans præsente Pompejo graviter & copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset: & cum inter disputandum dolore vexaretur, hunc Stoica fortitudine repressit, dicens: *nihil agis dolor, quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum*, id quod sibi Pompejum narrasse tradit Cicero lib. II. Tusc. Quæst. litteris postea hanc disputationem mandavit Posidonius, teste Plutarcho *Pompejo*, qui adversarium ejus in illa quidem disputatione fuisse Hermagoram Rhetora addit. Hoc morbo tandem liberatus fuit

Hh 2 & A. U.

& A. U. DCXCIII. adhuc vixit, ut dictum. Tandem Posidonii successor τῆς ἐν Ῥόδῳ διατριβῆς, *in schola Rhodia* fuit Jason, teste Suida Ἰάσων. Verum quod Romam venerit A. U. DCCII. sub Marcello, de eo nihil apud antiquos: neque propter hoc silentium solum, Suidam erroris arguam: cum & philosophi tum peregrinarentur & Romam quoque commigrarent. Molon Rhodius rhetor Romam legatus mittitur, cui tum Romæ Cicero operam dabat, eodemque anno Urbis DCLXVI. Philo academiæ princeps cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello profugus Romam venit, cui similiter Cicero se totum tradidit: sed hi postea ad pristinas suas sedes rediere. Cratippus Peripateticus philosophus suæ ætatis nobilissimus Mitylenis docebat A. U. DCCII. teste Cicerone *fragm. de universo*: itemque A. U. DCCVI, teste Plutarcho *Pompejo*. Migravit tandem Athenas, ubi eo familiarissime usus est Cicero filius A. U. DCCVIII. teste ipso lib. XVI. *ad famil. epist.* 21. Romam igitur venisse Posidonium pertinaciter non negabimus, propter Suidæ auctoritatem. Hæc de nostro Posidonio. Laudat Eustathius il. ζ fol. DXXV. Posidonium Aristarchi ἀναγνώστην, ut Grammaticum. Posidonium Ephesium cælatorem Pompeji ætate celebrem memorat Plinius Hist. Nat. XXXIII, 12. XXXIV, 8. Posidonium Medicum, celebrat Philostorgius Histor. Eccles. *

CAPUT

* *Circa hæc tempora claruit quoque Antiochus Ascalonensis, philosophus Stoicus, a nobis Stoicis etiam adnumeratus Cap XVIII. 1. qui non silendus hoc loco propter acutissimum librum, quem* de Secta Academica *scripsit, ut in Cic. Lucullo legitur. Is enim præceptor Ciceronis fuit anno post C. V. DCLXXIV. teste Cic. in Bruto, & L. I. de Nat. Deor. itemque Plutarcho in vita Cic. Confer pluribus Vossium & Stanlejum.*

Caput XVII.

1. Apollodorus Ephillus de philosophorum dogmatibus egit. Varii Apollodori. 2. Sedigitus de poetis scripsit. Ætas ejus. Suetonius corrigitur. Andr. Schotti error. 3. Asclepiades Myrleanus Bithynus de Grammaticis egit. Horum alii Ενςατικοὶ, alii Λυτικοὶ. Forte idem, qui de Demetrio Phalereo egit. Varii Asclepiades. 4. Demetrius Magnes de homonymis locis & personis scripsit.

1.

Circa hæc tempora vixisse videtur Apollodorus Ephillus, philosophus Stoicus, qui ut apparet, εἰσαγωγὰς εἰς τὰ δόγματα; hoc est, *introductiones in dogmata* scilicet philosophorum scripsit; quarum *primum* librum citat Laertius lib. VII. *Zen.* Ejusdem omnino Physica & Ethica citantur ibidem: estque idem, cujus φυσιολογικῆς εἰσαγωγῆς ὑπόμνημα, commentario inlustravit Theon, Alexandrinus, Stoicus, sub Augusto, teste Suida Θέων. Neque diversus est Atheniensis ille, cujus συναγωγὴν τῶν δογμάτων citat Laertius lib. VII. *Chrys.* Quo opere de Chrysippi plagio, vel potius locis ex alio citatis, minus honeste loquitur, ut Stoicum eum non fuisse inde colligere liceat, aut Stoicum fuisse prius, sed post eam sectam reliquisse. Multi autem sunt Apollodori. *Apollodorus* ὁ Δωριεὺς, de plantis scripsisse videtur ex Schol. Theocriti ad idyll. 1. *Apollodorus* Atheniensis, celebris pictor, Olymp. XCIII. apud Plinium Histor. Nat. XXXV, 9. ὁ σκιαγρά-

κιαγρά(φ)ος dictus Eustathio il. κ fol. DCCXXIII. *Apollodorus* ὁ Κορκυραῖος, *Corcyraeus*, de versibus Empedoclis quid sentiat, videatur apud Clementem V. Strom. *Apollodorum* de vocis *Puls* derivatione laudat Varro lib. IV. de L. L. *Apollodorum* Cyrenæum, Grammaticum, qui de poculis scripsit, citat Athenæus XI, 12. qui confundi non debet cum Apollodoro, Atheniensi, Grammatico, quem itidem de poculis scripsisse docet Athenæus XI, 13. 14. Apollodoros duos, Tarentinum & Cittiea laudat Plinius XX, 4. Apollodorum Cumæum, primum Grammaticum esse dictum, tradit Clemens Strom. I. *Apollodorus* Pergamenus, Augusti præceptor, notus est ex Suetonio, II, 89. De eodem Quintilianus Instit. orat. III, 1. ubi de Rhetoribus agit: *Præcipue tamen in se studia converterunt Apollodorus Pergamenus, qui præceptor Apolloniæ Cæsaris Augusti fuit: & Theodorus Gadareus, qui se dici maluit Rhodium: quem studiose audisse, cum in eam insulam secessisset, dicitur Tiberius Cæsar. Hi diversas opiniones tradiderunt, adpellatique inde Apollodorei & Theodorei ad morem certas in philosophia sectas sequendi.* mortuus est annos natus LXXXII. juxta Lucianum *Macrobiis*. *Apollodori* cujusdam librum de coronis & unguentis, citat Athenæus XV, 5. forte idem est Apollodorus, quem de odoribus scripsisse, auctor est Plinius Histor. Nat. I, 12. 13 *Apollodori* cujusdam librum περὶ θηρίων, laudat Athenæus XV, 8. *Apollodorus* quidam ἐν τῇ πρὸς τὴν Ἀριστοκλέους ἐπιστολὴν ἀντιγραφῇ citatur Athenæo XIV, 9. e quo loco de musicis instrumentis eum egisse adparet. Sed forte hic Apollodorus idem est cum Apollodoro Atheniensi, Grammatico, Aristarchi discipulo. Vixit enim Apollodorus sub Ptolemæo Evergete secundo, ut ex Suida Ἀπολλ. colligimus.* Aristocles Musicus circa eadem tempora vivere potuit teste Athenæo IV, 23. de quo vide quæ in Aristocles paullo post dicemus.

Vol-

* *Idem citato loco Apollodorum Atheniensem, Comicum, recenset, qui fabulas conscripsit XLVII. Plures Apollodoros qui scire desiderat, adeat Suidam, Scipionem Tettum, Vossium & Thom. Galaum potissimum in laudata dissertatione cap. III.*

2. Volcatius Sedigitus librum *de poetis* scripsit, laudatum Gellio Noct. Att. XV, 14. ubi de Comicis Latinis quid judicaverit, adfertur. De Plauti fabulis eum judicasse etiam conligimus ex eodem Gellio III, 3. Post Turpilium Comicum Olymp. CXCVI. mortuum, teste Suetonio apud Hieronymum *Chronicis*, vixisse eum inde conligimus, quod de Turpilio sententiam ejus laudet Gellius loco priore citato. Meminit ejus omnino Messala Corvinus Olymp. CLXIX, teste Hieronymo *Chronicis* natus, apud Suetonium de inlustr. Gramm. cap. 4. his verbis: *Messalla Corvinus in quadam epistola, non esse sibi dicens rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigida quidem aut literatore Catone.* Ubi pro Sigida nomen Sedigiti ope antiqui Codicis restituit eruditissimus vir Johannes Wowerus non Belga, ut opinatur A. Schottus ad Procli Chrestomathiam pag. 15. (quanquam ejus nominis Belgam fuisse, sed alium docet Bibliotheca Belgica Valerii Andreæ) sed Hamburgensis lib. de Polymathia cap. 4. Meminit hujus Volcatii quoque Cicero ad Atticum lib. VII. epist. 3. *Nec mihi concederet, ut imitarer Volcatium aut Servium, quibus tu es contentus.*

3. Asclepiades Myrleanus junior Grammaticus, περὶ Γραμματικῆς scripsit, & in isto opere Dionysii Thracis de partibus Grammaticæ sententiam refellit, teste Sexto Empirico. Idem credo est, qui de *Grammaticis* scripsit, cujus operis *sextum librum* citat Suidas Ορφεὺς, ubi Orphea quendam Crotoniatem juniorem Pisistrati tempore vixisse scribit. *Vndecimum* citat anonymus, vita Arati & inde Aratum probat Tarsensem fuisse, non Solensem. Forte ex hoc opere Polemonis ætatem cognovit Suidas Πολέμων. Vix aliunde est, quod ex Asclepiade Myrleano citat Scholiastes Apollonii ad lib. I. ἀργον. quod scilicet Apollonius Grammaticus, omnia sua ex Cleone transtulerit, Ασκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς δεικνὺς, ὅτι παρὰ Κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν Απολλώνιος. Nimirum hic est ille Cleon, cujus librum primum ἀργοναυτικῶν citat idem Scholiastes *ibidem.* Exposuit autem omnino illo de Grammaticis opere officium & differentiam Grammaticorum, quod scilicet eorum quidam citantur ἐνςατικοὶ, qui alios propositis quæstionibus fatigabant, de quibus Eustathius il. β. ἐκ δὴ τούτων δῆλον,

δῆλον, ὡς οὐχ ὥρισται ὁ χιτὼν κατὰ τοὺς ἐνστατικοὺς ἐπὶ μόνου τοῦ προσεχῶς ἐπικεχυμένου τῇ σαρκί. Hujusmodi ἐνστατικὸς fuit Isidorus teste Suida ἐνστατικός. Alii dicebantur Λυτικοὶ sive Ἐπιλυτικοὶ, qui Ζητήματα ποιητικὰ, *quaestiones poeticas*, & dubias exquisite & docte solvebant, cujusmodi Λυτικὸς fuit Sosibius. Suidas: Σωσίβιος Λάκων Γραμματικὸς τῶν ἐπιλυτικῶν καλουμένων. Athenæus XI, 12, ὁ θαυμάσιος Λυτικὸς Σωσίβιος. De iisdem Λυτικοῖς Eustathius il. ί. οἱ δὲ παλαιοὶ λυτικοὶ λέγουσι πολλὰ καὶ ἄλλα εἰς λύσιν τῆς ῥηθείσης ἀπορίας. Sic Hephæstion κωμικῶν καὶ τραγικῶν ἀπορημάτων λύσεις, Zenodotus Alexandrinus Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων λύσεις, scripsit ut auctor est Suidas. Apollonius Grammaticus ex quorundam sententia δύσκολος propterea dictus est, ὅτι ἐν ταῖς γυμνασίαις δυσλύτους ἀπορίας ἔλεγεν, ut auctor est anonymus vita ejus. adde Wovverum de Polym. cap. 10. De Cratino quoque poeta Asclepiadem scripsisse auctor est Athenæus XI, 14. Sed Grammaticum opus fuisse reor non Historicum. Asclepiades quidam ὁ Ἀρείου, σύγγραμμα scripsit *de Demetrio Phalereo*, philosopho Aristotelico; unde Athenæus XIII, 3. refert meretricem quandam Clepsydram propterea fuisse dictam, quod sui copiam ad Clepsydram facere consueverit, donec aqua effluxisset, cum ejus nomen fuerit Metiche. Idem tamen cum nostro ille sit Asclepiades dicere non habeo. Si ὁ Ἀρείου interpretari licet, *Arei Didymi magister*, nec dum nota est ejus ætas, cum Didymi Arei ætas ignoretur, Sed sit Asclepiades ille ὁ Ἀρείου, noster Asclepiades Myrleanus Grammaticus: fuerit item Arei Didymi magister, donec occurrant, quæ aliter nos sentire cogant. Plures autem fuere Asclepiades, quidam Tragilensis, Isocratis discipulus erat, teste Plutarcho lib. de X. Rhet. *Isocr.* & Photio Ecl. CCLIX, unde ætatem ejus cognoscimus: & τραγῳδουμένων sex libros reliquit, de quo Meursius. Asclepiadem quendam Phliasium, philosophorum Eretricum, Platonis discipulum memorant Plutarchus lib. *de discr. amici & adulat.* Athenæus IV, 19. Laertius lib. II: *Phadone. Mened.* lib. VI. *Crat.* Hesychius Milesius *Mened.* Forte hic, quem oculis postea captum scribit Cicero lib. V. *Tusc. Quaest.* Asclepiadem Atheniensem, signat nummus quidam Goltzianus. Asclepiades quidam pater, vel præceptor fuit Alexandri Polyhistoris. Stephanus

Κοσύτη.

κοσύτη. Ἀλέξανδρος ὁ Ἀσκληπιάδου γραμματικὸς κοτιαεὺς πολυμαθέστατος χρηματίζων. ad hunc forte Asclepiadem Didymus Grammaticus epitomen tabularum Solonis scripsit, teste Plutarcho *Solone*. Asclepiades Medicus quidam Prusiæus in Bithynia Philophysicus cognomine sub Pompejo M. vixit, teste Strabone lib. XII. Meminit ejus auctor libri de Theriaca ad Pisonem cap. 3. Plinius VII, 37. XXVI, 3. alii. Duo Asclepiadæ Medici post Musam & Augusti tempora vixerunt, teste Galeno. Ælium quendam Asclepiadem, Augusti libertum, memorat inscriptio apud Gruterum fol. CCCXXXV. hujus forte est liber ille Στεφάνοι, quem citat Athenæus XV, 6. 7. Asclepiades quidam philosophus, tempore Juliani Imperatoris vivebat, de quo Ammianus lib. XXII. Porro Vossius lib. IV. *de Histor. Græc.* p. DVII, Asclepiadem quendam Alexandrinum τοὺς κατὰ δῆμον ἄρχοντας consignavisse scribit, & auctorem suæ sententiæ Scholiasten Aristophanis in Nubes laudat. Verum Scholiastes nihil aliud ibi dicit, nisi quod Asclepiades ille τοὺς δημάρχους adpellaverit, τοὺς κατὰ δῆμον ἄρχοντας librum vero Asclepiadis nullum citat.*

4. Demetrius Magnes, uti adpellatur Ciceroni lib. IV. *epist. ad Atticum X, & Bruto*, ubi eum inter præceptores suos in Rhetoricis numerat: scripsit *de Urbibus ejusdem nominis*, teste Stephano Ἀγβάτανα, ἀκτὴ, ἀλαβὼν, & hoc Harpocrationis loco μεθώνη. Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν ταῖς συνωνύμοις πόλεσι τέσσαρας εἶναί φησι μεθώνας. Simili modo in elegantissimo libro *de scriptoribus ejusdem nominis*, περὶ ὁμωνύμων συγγραφέων egit ita, ut & ejusdem nominis distingueret & singulorum vitam, præsertim tamen celebriorum breviter exponeret, eorumque libros recenseret, deque iis indicaret. Pars ejus operis erat

περὶ

* Περὶ τῶν Ἀσκληπιαδῶν γενέσεως, de Asclepiadarum ortu, *peculiarem librum scripsisse olim Polyanthum Cyrenaeum, testatur Sextus Empiricus, qui, si prostaret, & Asclepiadarum, & philosophorum forte nonnullorum historiam illustrare posset, vide Vossium Lib. de Hist. Gr. III. 404.*

περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν, apud Harpocrationem Ισαῖος. Frequenter ſane hunc *περὶ ὁμωνύμων* librum citant Dionyſius Halicarnaſſ. *Dinarcho.* Plutarchus lib. de X. Rhet. *Demoſth.* & alter Plutarchus *in parall. maj. vita Demoſthenis ter*, ubi in primo loco pro *ἐν τοῖς συνωνύμοις* legendum, *ἐν τοῖς ὁμωνύμοις*, Athenæus XIII, o. ubi Diotimi, de quo ſuperiore capite diximus, hiſtoriam inde promit. Laertius lib. I. *Thal. Epim.* lib. II. *Xenoph. ter*, lib. V. *Ariſtot. Demetr. Heracl.* lib. VI. *Diog. Oneſ.* lib. VII. *Zen. Cleanth. Chryſ.* lib. VIII. *Hipp. Philol.* lib. IX. *Heracl. Democr. Zen.* lib. X. *Epic.* Varinus ille Camers Ισαῖος. Ex hoc opere hiſtoria philoſophica in homonymis ſcriptoribus diſtinguendis mire inluſtrari potuiſſet: cujus tamen operis jacturam æquius propterea ferimus, quod non aſpernanda ex eo fragmenta ſervet Laertius.

CAPUT XVIII.

1. Apollonius Stoicorum hiſtoriam & libros recenſuit. Stoicorum multitudo & nomina. 2. Philodemus Epicureus de philoſophis. 3. Demetrius Byzantinus de poetis egit. Ejus ætas. Demetrii plures. 4. Cornelius Nepos de viris doctis, Homero, Cicerone egit. Cicero Philoſophus.

1.

PTolemæi Auletæ temporibus floruit Apollonius Tyrius, qui Stoicorum philoſophorum eorumque librorum hiſtoriam texuit. Teſtis eſt Strabo lib. XVI. *ἐκ Τύρου δὲ Ἀντίπατρος, καὶ μικρὸν πρὸ ἡμῶν Ἀπολλώνιος ὁ τὸν πίνακα ἐκθεὶς τῶν ἀπὸ Ζήνωνος φιλοσόφων καὶ τῶν βιβλίων.* *Syro oriundi ſunt Antipater, & qui paullo ante nos vixit*

Apol-

Apollonius, qui indicem fecit philosophorum Zenoniorum eorundemque librorum. Librum hujus operis primum bis citat Laertius lib. VII. Zen. Ex isto opere omnino sunt quæ de Zenone tradit Laertius lib. VII. Zen. ὁ δὲ Ἀπολλώνιος φησὶν ἀφηγήσασθαι τῆς σχολῆς αὐτὸν ἔτη δυοῖν δέοντα ἑξήκοντα. *Apollonius vero dicit eum schola annos LVIII. præfuisse.* Hujus, credo, Apollonii Tyrii historia exstat Manuscripta Parisiis, in Regia Bibliotheca, teste Labbæo bibl. novæ Manusc. libr. Græc. fol. LXXI. & Oxoniæ in biblioth. Mertonensi, notante Jamesio: confer Vossium lib. III. de Histor. Lat. fol. DCCXXIX. Quod si Apollonii illud opus de Stoicis philosophis superesset, de istorum præ cæteris philosophis frequentia constaret. Nos damnum illud aliquando resarcire conantes, Stoicorum in scriptoribus priscis occurrentium historiam notabamus, quorum hæc fere sunt nomina: Agathocles, Alcinous, Alexander, Annæus Cornutus, Antibius & Antiochus Ascalonita, Antipater Tarsensis, Antipater Tyrius, Apollodorus Atheniensis, Apollonides, Apollonius Chalcedonius, Apollonius Nisæus, Apollophanes Asibenus, Archedemus Tarsensis, Aristo Chius, Aristocreon, Arrhianus Nicomediensis, Asclepiades, Athenodorus Solensis, Athenodori duo Tarsenses, Attalus, Balbus, Basilides, Bassus, Boethus, Callippus Corinthius, Cato Uticensis, Chæremon Alexandrinus, Chrysippus Solensis, Cinna, Claudius Maximus, Cleanthes Assius, Crates Mallotes, Crinis, Crispinus, * Damascius Damascenus, Damasippus, Dardanus, Demetrius Bithynus, Diodotus, Diogenes Babylonius, Dionysius, Diotimus, Diphilus, Epictetus Hierapolita Phryx, Etœmocles, Eubius Ascalonita, Eudromus, Euphrates, Fabianus Papirius, Favonius, aliis Fannius, Hecato Rhodius, Heliodorus, Helvidius Priscus, Herillus Carthaginensis, Hermotimus, Hierocles Alexandrinus, Isidorus, Julius Canus, Junius Rusticus. Leonidas Rhodius, Lysimachus, Mnesarchus, Musonius Rufus, Naucleras Ponticus, ** Nestor

* *Hoc nomen tantum fictum alicujus Stoici esse, docet Horatius Lib. I, Sat.* 1. penult. *Confer & Juvenalem Sat. I, 28. & IV, 1.*

** *Non proprium nomen hoc est, sed Marcion ita dicitur apud Tertulli-*

stor Tarsensis, Panætius Rhodius, Pantænus, Pericles Lydus, Persæus Cittieus, Persius, Phanias, Philippus Prusiensis, Philonides Thebanus, Plancus, Polemo, Posidonius Alexandrinus, Posidonius Apameensis sive Rhodius, Procli Mallotæ bini, Protagoras, Publius Hierapolita, Publius Rutilius, Quintus Sextius, Scævola, Semius, Seneca, Serapion Hierapolita, Sextus Chæroneus, Sextus Herius, Sextus Pompejus, Sosus Ascalonita, Sotio Alexandrinus, Sphærus Bosphoranus, Spurius Strabo, Amasenus, Themistocles duo, Theo Alexandrinus, Theo Antiochenus, Theo Tithoræus, Theodori tres, Thraseas Poetus, Timocles, Tubero, Zeno Cittieus, Zeno Sidonius, Zeno Tarsensis, Zenodotus, Zenothemis. Minime vero dubitamus longe plures exstitisse, quorum & libri & nomina pariter interierunt, quorum historia ex Apollonio nostro petenda fuisset.

2. Philodemus, Gadarensis patria juxta Strabonem, lib. XVI, Epicureus philosophia, teste Laertio, lib. X, Cicerone orat. in Pisonem & ibidem Asconio, ubi poeta Ciceronis æqualis fuisse dicitur, cujus lasciva poemata exstiterint. adde de eo Petitum observat. I, 9. Scripsit *τὴν τῶν Φιλοσόφων σύνταξιν*, aliquot libris, quorum *decimum* laudat Laertius lib. X, qui Epicuri discipulos ex eo recenset.

3. Demetrius, Byzantinus, Peripateticus, forte ille philosophus apud Laertium lib. V. Dem. Scripsit *περὶ ποιητῶν* aliquot libros. Ex *quarto* eorum de Pythagoræ Symbolis locum adfert Athenæus X, 19. De Socrate ex eodem opere quædam citat Laertius lib. II. Socr. Eundem credo Demetrium citat Athenæus XII, 12. *ἐν τῷ περὶ ποιημάτων.* & XIV, 8. *ἐν τετάρτῳ περὶ ποιήματος.* Hunc, ut arbitror

---

anum in præscript. adversus hæreticos cap. 30. Vbi tunc Marcion, Ponticus Nauclerus, *Stoicæ Studiosus? sic apud Euseb. dicitur* Ponticus lupus, *conf. Acta Philos. p. 46.*

tror & Apollonidem Stoicum Cato minor Uticæ jam e vita discessurus circum se habebat, teste Plutarcho *Cat. min.* Plures autem olim exstiterunt Demetrii, quorum viginti recenset Laertius lib. V. *Demetrio.* (1) fuit rhetor Cathaginensis. (2) Phalereus de quo ipse agit. (3) Byzantinus Peripateticus, de quo Vossius. Meminit Demetrii Byzantini nummus quoque Goltzianus. (4) pictor γραφικὸς dictus. (5) Aspendius, Apollonii Solensis discipulus. (6) Calatianus, qui de Asia & Europa libris XX egit, teste ipso Laertio, Demetrius Καλατιανὸς τὰς καθ᾽ ὅλην τὴν ἑλλάδα ποτὲ γενομένους σεισμοὺς διηγούμενος ait Strabo lib. I. adde Vossium. (7) Byzantinus Historicus sub Ptol. Philadelpho: adde Vossium (8) Sophista Alexandrinus, qui artes rhetoricas scripsit. (9) Ixion dictus, Grammaticus Adramyttenus sub Augusto. adde Suidam & quæ in *Grammaticis* de eo dicemus. (10) Grammaticus Cyrenæus, cognomine Stamnus. (11) Scepsius. (12) Erythræus, Grammaticus Temni civis factus, cui tempore Luculli & Mithridatis Tyrannion ἀντεσοφίστευσε teste Suida Τυράννιων. quare inter incertæ ætatis scriptores cum Vossio posthac non erit numerandus. (13) Bithynus sub Lathuro, Panætii Stoici discipulus. (14) Rhetor Smyrnæus. (15) antiquæ comœdiæ poeta. (16) Epicus poeta. (17) Tarsensis, Satyricus poeta. (18) poeta jambicus. (19) Sculptor apud Polemonem. adde Plinium XXXIV, 8. (20) Erythræus, Rhetor & Historicus. Sed præter hos Demetrios a Diogene recensitos alii quoque occurrunt. (21) Demetrius Amphipolites Platonis erat discipulus, teste Laertio lib. III. (22) Demetrius Alexandrinus Cynicus auditor Theombroti illius, qui magistrum habuit Metroclem Theophrasti Peripatetici auditorem teste Diogene lib. VI. *Metrocle.* (23) Bithynus poeta, cujus epigramma in Myronis bovem exstat in Anthologiæ libro IV, cap. 7. Quare autem hunc a decimo tertio jam recensitorum diversum putem facit Laertius, qui XIV. illorum priores soluta, sex posteriores ligata oratione scripsisse docet. (24) Phalereus interpres Nicandri, juxta Stephanum κορόπη. Diversum hunc a secundo eorum, quos recenseo, esse ætas evincit. Nisi forte glossema est vox *Phalereus*, & Demetrius absolute legi debet: quemadmodum in Josepho Demetrius Phalereus de Judæorum Regibus scri-

 psisse

psisse dicitur, quem alii Demetrium absolute adpellant, de quo in *Demetrio Phalereo* diximus & in *Philone Alexandrino* pluribus dicemus. (25) Dem. Physicum Plinius laudat libro I. inter auctores libri octavi. (26) Ratheni Mathematicum, Sidenum Ponticum laudat Strabo lib. XII. (27) Odessenus Ponticus de patria sua scripsit, teste Stephano ὀδησσός. (28) Dem. qui de quaternario numero scripsit, teste Plinio XXVIII, 6. (29) Demetrius Megas Siculus etiam P. Cornelius a P. Cornelio Dolabella patrono dictus fuit, notus e Cicerone lib. XIII. epist. ad familiar. XXXVI. (30) Demetrii cujusdam nomine de ponderibus & mensuris quaedam exstant. vide Gesnerum. (31) Lacon Epicureus, juxta Laertium lib. X. discipulus idem Protarchi Epicurei Bargyleensis, teste Strabone lib. XIV. (32) Dem. qui περὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον scripsit, teste Athenaeo XV, 7. (33) Syrus, Ciceronis magister, teste ipso Cicerone *Bruto*. (34) Gadarensis Pompeji libertus, in cujus gratiam Pompejus Gadaram dirutam restauravit teste Josepho Antiq. Jud. XIV, 8. (35) Peripateticus Catonis Minoris aequalis apud Plutarchum *Cat.* Forte idem cum Tertio. (36) Demetr. qui libro Ἰταλικῶν refert statuae Junonis Tirynthiae materiam pinum, fabrum vero Argum fuisse, apud Clementem προτρ. (37) qui Monejam ab Achille captam tradit apud Scholiasten Homeri minorem il. ζ fol. CXIX. potest hic esse Ixion. (38) Tarsensis Grammaticus e Britannia apud Plutarchum lib. *de orac. defectu*. (39) Troezenius, de quo jam supra lib. I. cap. 4. (40) Chlorus Grammaticus apud Scholiasten Nicandri Θηρ. & Sextum Empiricum contra Mathem. cap. 7. (41) sub Nerone accusatur apud Plinium XXXIII, 13. (42) Cynicus, de quo infra in Pollione Valerio. (43) Sunicus Cynicus, qui cum Antiphilo Alopecense Medico in Aegyptum sub Vero peregrinabatur teste Luciano *Toxari*. (44) Sagalensis παρθονικὰ scripsit teste eodem, libro *qui historia scribenda*. (45) Marci Antonini ἀρχίατρος apud Galenum lib. I. *de antidotis* cap. I. (46) Medicus Bithynus apud eundem lib. IV. *de compos. med. secundum genera* cap. 7. (47) Alexandrinus Favorini familiaris apud eundem lib. *de praecogn. ad Posthumum*. (48) Alexandrinus Mathematicus, cujus librum περὶ γραμμῶν ἐπιστάσεων Pappus laudat. (49) Milesius apud Gruterum Inscript. fol. CMIL. (50) Ephe-

(50) Ephesius Eupatoris F. in Nummo Goltziano. (51) Cumanus, itidem in Nummo Goltziano. (52) Syracusius Diodoti F. in inscriptione Goltziana.

4. Cornelius Nepos, libros aliquot *de viris inlustribus* scripsit, in quibus non modo de excellentibus imperatoribus, sed etiam de scriptoribus claris egit, Catone scilicet, Terentio, Cicerone, Attico, aliisque. Vide Vossium de Historicis Latinis lib. I, cap. 14. *De Homero* locum ex primo Chronicorum ejus adfert Gellius lib. XVII, cap. 21. De *Cicerone* quoque seorsim eum egisse innuit Gellius, XV, 28. *Cornelius Nepos & rerum memoria non indiligens & M. Ciceronis, ut qui maximus amicus familiaris fuit, atque is tamen in primo librorum, quos de vita illius composuit, errasse videtur.* Ipse autem Cicero inter philosophos numerari vult Κικέρων ὁ Φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται, inquit Cicero ipse lib. II. ad Att. ep. 8. Et philosophis ab aliis accensetur. Macrob. lib. I. Saturn. c. 24. *Tullius, qui non minus professus est philosophandi studium, quam loquendi.* - adde eundem lib. II. in Somn. Scip. cap. 17. Lactantius lib. I, cap. 2. *Cicero academicæ disciplinæ defensor.* idem lib. I, cap. 15. *M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit.* Verum laudem eloquentiæ tribuendam ei censeo, philosophiæ non item. Titus quoque Pomponius Atticus ex quorundam sententia philosophus fuit Epicureus. Licet vero Cicero, quo Atticus ille triennio major erat, P. Servilio & Appio Claudio Pulchro Coss. A. U. DCLXXXIV, ætatis A. XXVIII, Athenis Epicureos Zenonem & Phædrum senem frequenter cum Attico audiverit, ipso teste. Inde tamen non video quomodo vere concligatur, Ciceronem & Atticum fuisse Epicureos. Cicero Epicureis omnem doctrinam adimit, Attico tribuit. Vide Cicer. lib. XIII. ep. ad famil. 1. habitus tamen est Epicuro deditus. Audi ipsum Pomponium apud Ciceronem lib. V. de Finib. *Tum Pomponius, at ego, quem vos ut deditum Epicuro insectari soletis, sum multum equidem cum Phædro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo præteribamus, sed veteris proverbii admonitu vivorum memini,*

nec

nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & annulis habent. Idem Cicero lib. I. *de fin.* de Attico: *cum miraretur ille quidem utrumque* (Zenonem & Phædrum Epicureos) *Phædrum autem etiam amaret.*

Atque hic esto libri secundi finis; sequitur, ut deinceps de iis agamus, qui sub Imperatoribus Romanis historiam eruditam inlustrarunt.



IOAN-



IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ.

Liber Tertius.

Cap. I.

1. Andronicus indicem librorum Aristotelis & Theophrasti edidit. 2. Varro de Poetis egit. Imagines doctorum virorum eorumque elogia. 3. Didymus de Platonis decretis, de Pythagorica Philosophia egit. Arei varii. 4. Cæcilius de comparatione Demosthenis cum Æschine & Cicerone: de Rhetoribus decem. 5. Lysimachides an de Rhetoribus scripserit. 6. Timagenes de viris doctis Heracleotis.

I.

Nosse bonos libros proxima & facillima via est ad omnem eruditionem: notitiamque scriptorum historiæ philosophicæ facilior sequitur historia philosophica, & clarius hæc lumen porro ipsi philosophiæ fœnerabit antiquæ. Hic enim ordo scientiarum est, hoc commune earum vinculum, ut priores aliæ sint, aliæ posteriores: quo neglecto & posthabito, variæ existunt & inexplicabiles difficultates.

Divina res est Philosophia, & ardua: certis gradibus adeunda, ni in errorum scopulos præceps ruere velis. Historia philosophica comes esto, quam tibi facilem reddimus hac nostra qualicunque opera, monstrando ex quibus subsidium petendum sit & peti potuerit. Sed pertexenda est, quam orsi sumus, tela, quique sub Romanis Imperatoribus floruerint Scriptores Historiæ Eruditæ sunt exponendi. Andronicus Rhodius Peripateticus Boethi Sidonii Peripatetici magister, juxta Ammonium *in Categorias*, historiæ philosophicæ de libris Aristotelis subvenire voluit editione πινάκων, sive indicum librorum Aristotelis & Theophrasti. Sed vide, quæ de eo in *Grammaticis* dicimus.

2. Marcus Terentius Varro *de Poetis* egit, ut constat e Cicerone *Bruto*, Gellio I, 24. Prisciano lib. IX. Operis ejus librum primum citat Gellius XVII, 21. & de Ennio atque Nævio locum ex eo adfert. Illustris Scaliger inter fragmenta Varroniana librum de Poetis ignorat, & hunc Gellii locum inter ea recenset, quæ incerti sint operis: sed non video quare Gellii lectio sit improbanda. Scripsit etiam Varro *de Bibliothecis*, teste Sosipatro Charisio L. I. Gram. Imagines doctorum eorumque elogia singulari hebdomadum opere tradidit, de quo vide Vossium lib. I. de Histor. Lat. cap. 11. Exhibet fragmenta ejus operis Josephus Scaliger inter Varronis fragmenta. Vix huc pertinet ejusdem *de philosophia* liber, in quo de philosophorum dissidio circa summum bonum humanum determinandum egisse videtur, propter hæc Augustini verba lib. XIX. *de Civ. Dei* cap. 1. *Marcus Varro in libro de philosophia, tam multam dogmatum varietatem diligenter & subtiliter scrutatus advertit, ut ad* CCLXXXVIII. *sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime perveniret.* Extitit tandem ejus *de Sectis* Satyra, cujus Nonius *Nobile, Satullem, & dextima.* Priscianus lib III. meminerunt.

3. Didymus Arejus his temporibus vixit, si Asclepiadis illius discipulus fuit, de quo lib. II. cap. 17. diximus. Ex hujus Arei Didymi epitome quid Stoici de Deo & mundo sentiant, locum adfert Eusebius lib. XV. *præp. Evang* cap. ὅλον δε. Idem omnino est Didymus ille, e cujus περὶ τῶν ἀρεσκόντων Πλάτωνι συντάγματι, *de Platonis placitis* locum adfert Eusebius, lib. XI. *præp. Evang. cap.* ὅτω δὲ. Idem credo, quem de Pythagorica philosophia scripsisse docet Clemens lib. I *Strom.* Δίδυμος ἐν τῷ περὶ Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας, Θεανώ τὴν Κροτωνιάτιν,

νιάτιν, πρώτην γυναικῶν φιλοσοφῆσαι καὶ ποιήματα γράψαι ἱστορεῖ *Didymus, ubi de Pythagorica philosophia agit, Theano Crotoniatin primam fœminarum esse philosophatam,* & *poemata scripsisse auctor est.* Forte hic, qui contra Asclepiadem de Solonis tabulis scripsit apud Plutarchum *Solone* p. Suidas de nostro certe Didymo: Δίδυμος Ατήϊος χρηματίσας φιλόσοφος Ακαδημαϊκὸς, πιθανῶν καὶ σοφισμάτων λύσεις ἐν βιβλίοις β'. καὶ ἄλλα πολλά. *Didymus Atejus dictus, philosophus Academicus, verisimilium & Sophismatum solutiones libris duobus & multa alia scripsit.* Sed pro ἀτήϊος, legendum censeo ἀρεῖος, ut noster intelligatur Eusebianus Areus Didymus, quem e locis citatis colligimus fuisse Philosophum Academicum & philosophorum historiam atque placita exposuisse. Neque enim minus notum est nomen Αρεῖος, quam Ατήϊος Areus Acrotati F. tempore Antiponi Demetrii filii vixit, teste Pausania *Laconicis.* Areum cantorem laudat Athenæus lib. VIII. Asclepiades ὁ Αρεῖου notus est ex eodem XIII, 3. quanquam minus notum est, quis ille fuerit Asclepiades. Num dicemus Asclepiadem Bithynum Myrleanum, Medicum Prusiensem intelligi? Fuit is sane rhetor sed a Rhetorica post ad Medicinam transiit, teste Plinio XXVI, 3. Hinc *eloquens Medicus* dicitur Ciceroni lib. I. de oratore, qui se puero eum jam floruisse ibidem significat. Lucii Crassi quippe medicus & amicus erat, teste Cicerone loco citato Mithridatis etiam tempore florebat, teste Plinio VII, 37. senex jam scalarum lapsu periit eodem loco Plinii teste. Suidas Asclepiaden Apollonii discipulum facit Vossius Apollonium Rhodium Grammaticum intelligit: est item, qui Apollonium Memphitem Erasistrateum Medicum intelligendum putet. Quod autem ὁ Αρεῖου Asclepiades dicitur, si interpretari velis Arei magister: non male explicaveris de Areo Medico si constaret, auditorem Asclepiadis Areum fuisse. Ætate Dioscoridis Tarsensis vivebat Areus ille Asclepiadis, sed cum Dioscoridis Tarsensis & hujus Arei ætas incerta sit, nihil certi affirmare licet Areus hic Asclepiadis illius discipulus & auditor vel sectator an neuter fuerit. Dioscorides Anazarbeus Areo libros inscribit: an dicendum Dioscoridem Anazarbeum quoque Tarsensem ob viciniam dici, Areumque nostrum intelligi? Sed nec ita dubio liberi sumus. Fuit & Areus Rhetor, de quo Quintilianus Instit. Orat. III, 1. *Multa post Apollonius Molon, multa Areus, multa Cæcilius.* Fuit ille Apollonius Molon ab Apollonio Malaco Scævolæ juxta Ciceronem lib. I

de orat. magiſtro & libri de Siphniorum finibus juxta Athenæam VI. 9. auctore diverſus ſecus ac Meurſio viſum: Vixit ſub Lathuro, Cæcilius ſub Auguſto, inter quos, ætate ſcilicet Auletæ Ptolemæi & Ciceronis Areus vixiſſe videtur: idque propter ordinem, quo recenſentur. Atque hujus Arei Rhetoris magiſtrum potius Aſclepiadem intelligi judico iſtis verbis Ἀσκληπιάδης ὁ Ἀρείου. Areus philoſophus Alexandrinus Auguſto familiariſſimus, cujus opera ipſe in philoſophia uſus fuit, ſatis celebris eſt, de quo, ſi lubet, vide Strabonem l. XIV. Suetonium II, LXXXIX. Dionem lib. LI. & LII. Plutarchum *Antonio & Apophthegmaſi* itemque *preceptis Reip. gerendæ*, Julianum in Cæſaribus pag. LXX. & epiſtola ad Alexandrinos p. 332. Suidam Θέων Ἀλεξ Themiſtium ὑπατικῷ. Senecam de conſol. ad Marciam cap. 4. Sed hæc de Areis propter Aſclepiadem Arei movere debuimus dubia, ut per ἀπορίαν tandem exiſtat εὐπορία.

4. Cæcilius Calactinus Siculus Julii & Auguſti ætate Rhetorum hiſtoriæ illuſtrandæ ſe dedit. Scripſit σύγκρισιν Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος σύγκρισιν Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου. *Comparationem Demoſthenis cum Cicerone, comparationem item Demoſthenis cum Æſchine*, ut Ariſtophanis & Menandri σύγκρισιν Plutarchus: alii Ariſtotelis & Platonis comparationem ſcripſerunt. Item περὶ Δημοσθένους, ποῖοι αὐτοῦ γνήσιοι λόγοι, καὶ ποῖοι νόθοι, *De Demoſthene. quæ ejus orationum genuina eſſent, quæ notha*, teſte Suida Καικ. Supponebantur enim non raro ſcriptoribus alieni fœtus, ex Librariorum & Bibliopolarum avaritia: in ſcholis item celebriorum rhetorum nomine omnis generis orationes de rebus illorum ætate geſtis exercitii gratia conficiebantur quas Scholaſticas declamationes a veris rhetorum orationibus diſtinguere earumque diſcrimen indicare Grammaticorum erat, cum non raro eæ incautis lectoribus imponerent. Hoc fine Cæcilius de Demoſthenis orationibus teſte Suida, & aliorum rhetorum orationibus teſte Plutarcho, judicavit ſpuriæ eſſent an veræ. Sed cum Grammatici officio hoc ipſo functus fuerit, commodior de eo alibi dicendi locus erit. Videtur tamen Cæcilius noſter de Viris decem rhetorum quoque ſcripſiſſe. Decretum, ſecundum quod Antiphon damnatus eſt, Cæcilius notavit & ex eo citat Plutarchus libro de decem Rhet. *Antiph.* confer eundem ibidem *Lyſia, Æſchine.* Thucydidem Hiſtoricum Antiphontis Magiſtrum fuiſſe e Cæcilio ſcribit Photius. Eclog. CCLIX. Æſchines

ſchines Alcidamantem Gorgiæ diſcipulum teſte Dionyſio *Iſæo* audivit juxta Cæcilium apud Plutarchum lib. de decem Oratoribus. Leodamantis diſcipulum eum fuiſſe ex Cæcilio probat PhotiusEcloga CCLXIV ſed hic pro *Leodamantis* legendum eſt cum Plutarcho *Alcidamantis.* Quam lectionem confirmat Suidas Αἰσχίνης. De Menandri furto e Cæcilio teſtimonium petit Porphyrius apud Euſebium lib. X. de præp. Evang.

5. Lyſimachides πρὸς Καικίλιον περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς Ῥητόρων ſcripſit teſte Ammonio libello de vocum differentiis in Θεωρός. Voſſius lib. IV. de Hiſt. Gr. cap. 16. vertit : *Lyſimachides libro ad Cæcilium qui erat de decem Atticis rhetoribus* & inde colligit Lyſimachiden & Cæcilium ſub Julio & Auguſto coætaneos fuiſſe & Lyſimachiden adCæcilium de Atticis rhetoribus commentarium ſcripſiſſe. Verum ex Ammonio non licet concludere, quod Voſſius conligit. Neque enim ætas Lyſimachidæ recte conligitureCæcilii ætate, neque hiſtoricus fuit Lyſimachides, qui de X. rhetoribus ſcripſerit. Minus a ſcopo mihi aberrare videor, ſiita vertam *Lyſimachides libro adverſus Cæcilium de iis quæ apud rhetoras Athenienſes occurrunt.* Scripſit videlicet Cæcilius περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα Ῥητόρων, *de charactere decem rhetorum* & περὶ τῶν κατὰ ἱστορίαν ἢ παρ' ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς Ῥήτορσι. *de iis quæ contra, vel præter hiſtoriæ fidem a rhetoribus dicta ſunt.* Horum de rhetoribus librorum Cæcilii poſteriori contraxiſſe arbitror Lyſimachiden, & rhetorum cauſam egiſſe, præſertim cum περὶ τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς Ῥήτορσι, non vero περὶ Ἀττικῶν Ῥητόρων Lyſimachides ſcripſiſſe dicatur. Quare ætas Lyſimachidæ fruſtrà ex Cæcilii ætate conligitur : ſed demus id auctoritati Voſſii, & Lyſimachiden Cæcilii σύγχρονον ſtatuamus.

6. Timagenes vel Timogenes Mileſius Hiſtoricus περὶ Ἡρακλείας τῆς ἐν τῷ πόντῳ καὶ τῶν ἐξ αὐτῆς λογίων ἀνδρῶν βιβλία έ. *De Heraclea Pontica & viris ex ea illuſtribus libros* V. ſcripſit, teſte Suida Τιμαγένης. Licet vero de ſolis philoſophis hic non egerit. Philoſophorum tamen eorum hiſtoriam, qui Heraclea oriundi fuerunt, expoſuit. Ejusmodi Heracleotæ fuerunt Heraclides peripateticus ſecundum Diogenem L. V. *Heracl.* & alter Heraclides ὁ πυῤῥίχας καὶ Φλυαρίας συντεταγμένος apud eundem : Diogenianus Grammaticus ſub Adriano, teſte Suida. Itemque Marcianus ille peripli auctor, qui vixit poſt Artemidorum

Ephe-

Ephesium & Ptolemæum Geographos. Diversus autem a nostro esse videtur Timagenes ille Solonis apud Gruterum fol. MXCIX.

Caput II.

1. Tullius Tiro de vita Ciceronis. 2. Jason de successione Philosophorum & vitis illustrium Virorum egit. Vossii error. 3. Aristonicus de Museo Alexandrino egit. Varia Musea. Museum Alexandrinum quid. 4. Eudorus Pythagorica dogmata tradidit. 5. Didymus de Lyricis Poetis. Varii Didymi. 6. Nicolaus Damascenus Philosophus Peripateticus vitam suam ipse exposuit: ab aliis idem factum.

1.

Augusti felicissimum imperium magna litteratorum copia florebat, in quibus erat Tullius Tiro, Ciceronis libertus, qui de vita patroni sui aliquot libros scripsit, quorum quartum laudat Asconius Pedianus in oratione pro Milone, *Legimus apud Tironem libertum Ciceronis, in libro quarto de vita ejus, oppressum a Clodio L. Cecilium pratorem.* Scripsit etiam *de jocis Ciceronis*, sed de hoc vide Vossium de Hist. Lat. I, 17. nimium enim jocax quibusdam visus est Cicero, vide Macrobium Sat. II, 3. VII, 3. Senecam l. III. controv. 18, ubi Schotti notæ consulantur: Petrum Fabrum Senestr. II, 6. Petrarcham ad Thomam Messanensem epistola, quæ inter Goldasti philologicas est secunda, ita & Passeratius *de ridiculis in Cicerone* scripsit.

2. Jason, Stoicus, Menecratem Nysæum patrem, matrem vero Rhodiam habuit: Posidonii philosophi e filia nepos, discipulus & in schola successor, *philosophorum successiones, & vitas illustrium virorum* scripsit, teste Suida Ἰάσων, qui Geographum eum quoque fuisse & βίον ἑλλάδος βιβλίοις δ´ & περὶ Ῥόδου scripsisse commemorat. Sed, cum Jasoni Argivo, qui Plutarcho Chæroneo posterior fuit, itidem περὶ ἑλλάδος βιβλία δ´ tribuat Suidas, dubium relinquit lectorem, annon alteri eorum saltem Geographici hi libri tribuendi sint & ipse errore vulgari

duobus

duobus idem tribuat nominis similitudine deceptus. Plutarchus L. de Fluminibus *Strymon* Jasona Byzantium, Geographum facit. Ἰάσων inquit βυζάντιος ἐν τοῖς Τραγικοῖς, Corrupte omnio pro Θρακικοῖς: ut paullo post in eodem Thraciæ flumine explicando citatur Θράσυλλος ὁ Μενδήσιος ἐν τοῖς Τραχικοῖς, pro Θρακικοῖς, & antea in *Hebrus* Κλειτώνυμος ἐν τῷ γ' Τραγικῶν, pro Θρακικῶν. ut non necessum sit, auctores hic cum Vossio cudere, qui de Tragicis scripserint, cum & Ægyptiaca Thrasyllo, & Italica atque Sybaritica Clitonymo & Ἑλληνικὰ Jasoni idem Vossius recte tribuat.

3. Aristonicus, forte ille Grammaticus, Ptolemæi filius, quorum uterque Romæ vixit, teste Suida Πτολ. Aristonicus ὁ καθ' ἡμᾶς dicitur Straboni lib. I. Scripsit περὶ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Μουσείου, *de Museo Alexandrino*, e quo Sopater duodecimum Eclogarum suarum librum confecit, teste Photio Eclog. CLXI. In illo autem opere Aristonicus Alexandrinorum philosophorum & virorum doctorum historiam texuit, Museique ejus rationem exposuit, uti & Callimachus Μουσεῖον scripsit, teste Suida: & Alcidamas, teste Agone Hesiodi & Homeri. Amphion ὁ Θεσπιεύς, περὶ τοῦ ἐν Ἑλικῶνι Μουσείου, *de Museo in Helicone*, aliquot libris egit, teste Athenæo XIV, 6. ubi *secundum* eorum citat. Fuit & Athenis Μουσεῖον, teste Pausania *Att.* & *Lacon.* Plutarcho *Demetrio*, sed vide de eo omnino Meursium Athen. Att. II, 9. Træzene itidem erat Museum, teste Pausania *Corinth.* & Stagiris teste Plinio *Hist. Nat.* XVI, 32. Ipse tandem Athenæ dicebantur τὸ τῆς Ἑλλάδος Μουσεῖον, *Græciæ Museum*, apud Athenæum. V, 2. Verum Alexandria a multo jam tempore Musas sinu suo fovit, omnisque philosophiæ suos ibi habuit professores: Celebris erat bibliotheca eique præfectis Grammaticis doctissimis, quorum subinde mentionem facimus. Museum vero hoc Alexandrinum quid fuerit Strabo l. XVII. docet. Τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ, καὶ τὸ μουσεῖον, ἔχον περίπατον καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν ἐν ᾧ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ μουσείου φιλολόγων ἀνδρῶν. Ἔστι δὲ τῇ συνόδῳ ταύτῃ καὶ χρήματα κοινά, καὶ ἱερεὺς ὁ ἐπὶ τῷ μουσείῳ τεταγμένος, τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων, νῦν δὲ ὑπὸ καίσαρος. *Pars Basilicarum sive ædificiorum regiorum est Museum, quod ambulacrum & exedram habet, magnamque insuper domum, in qua cœnaculum est, sive convictorium, iis commune, qui ad museum pertinent, & litteris humanioribus operam navant. Hoc collegium publicas pecunias habet, & sacerdotem, qui musæo præest,*

praest, olim a regibus, nunc a Cæsare constitutum. Itemque Philostratus L. I. de Sophistis in Dionysio. *Adrianus Dionysium Satrapam design. vit non humilium Gentium, sed inter viros ordinis equestru censeri voluit & eos, qui in museo alebantur. Museum autem erat mensa Ægyptia, qua ex omni terrarum orbe celeberrimos quosque convocabat.* Atque hoc museum jam Ptolemæi Philadelphi tempore floruisse docet Athenæus, lib. V. c. 8. ubi de Ptolemæo Philadelpho agit: Περὶ δὲ βιβλίων πλήθους καὶ βιβλιοθηκῶν κατασκευῆς, καὶ τῆς εἰς τὸ Μουσεῖον συναγωγῆς τί δεῖ καὶ λέγειν· πᾶσι τούτων ὄντων κατὰ μνήμην. *de librorum multitudine & Bibliothecarum instauratione, deque convocatione in museum quid opus est loqui? cum ea in omnium memoria versentur.* Huc autem Veteri museo Claudius Augustus alterum de suo nomine adpellatum addidit, de quo Tranquillus Claudio c. 42. in hoc museum convocabantur, inque eo alebantur viri celeberrimi, philosophi, philologi, & qui principis gratiam meriti erant. *Dionysius*, Sophista, teste Philostrato lib. I. *de vitis Sophist.* ab Adriano musei honore ornatus est, ut modo audiebamus. *Polemon* Sophista ab eodem, teste eodem, ibidem: Itemque *Nicetas* Smyrnæus. Athenæus XV, 6. *Pancratem* poetam beneficio Adriani alumnum musei esse factum auctor est. quanquam in Græco textu. pro τὴν ἐν μουσῶν αὐτῷ σίτησιν ἔχειν ἐχαρίσατο, legendum τὴν ἐν Μουσείῳ σίτ, ἐχ. ἐχαρ *Theo* ὁ ἐκ τοῦ Μουσείου αἰγύπτιος φιλόσοφος, ait Suidas Θέων, qui cum Pappo philosopho itidem Alexandrino & mathematico sub Theodosio Magno eum vixisse tradit. Celebriores eorum quique cæteris præerant, οἱ τοῦ μουσείου προστάντες, dicuntur Epitome Artemidori Ephesii p. m. 95. ubi traditur, Eratosthenem ab his Beta esse dictum. Quod vero philosophi etiam in eo fuerint, docet præter alios Timonis scomma apud Athenæum L. 19. Ὅτι τὸ Μουσεῖον ὀφλιάπιος Τίμων ὁ Σιλλογράφος, ταλαρόν που φησιν, ἐπισκώπτων τοὺς ἐν αὐτῷ τρεφομένους φιλοσόφους, ὅτι ὥσπερ ἐν πανάγρῳ τινὶ σιτεῦνται, καθάπερ οἱ πολυτιμότατοι ὄρνιθες.

Πολλοὶ μὲν βόσκονται ἐν Αἰγύπτῳ πολυφύλῳ
Βιβλιακοὶ χαρακεῖται ἀπείριτα δηριόωντες
Μουσέων ἐν ταλάρῳ.

Ἑως ἂν τῆς λογοδιαῤῥοίας ἀπαλλαγῶσιν. *Timon Phliasius Sillographus Museum caveam esse dixit, irridens Philosophos, qui ibi alebantur, & tanquam aves maximi pretii, inclusa reti saginabantur:*

Permulti

Permulti pascuntur in Ægypto populosa
Pugnantes libris ac semper digladiantes
Musarum in cavea,

ut de verbis rixari nunquam cessent. Quæstionibus enim certabant, more tum consueto. Spartianus de Adriano. *Apud Alexandriam in museo, multas quæstiones professoribus proposuit & propositas ipse dissolvit.* Dum itaque de museo Alexandrino φιλοσοφοτροφείῳ egit Aristonicus, historiam philosophicam minimum Alexandrinam inlustravit. Idem forte est, cujus meminit Suidas Ἀριστον· quem de notis Homericis & Hesiodeis scripsisse tradit. sed de eo in *Grammaticis* pluribus.

4. Eudorus quidam *dogmata Pythagoreorum* diligenter tradidit juxta Simplicium ad lib. I. Φυσ. ἀκρ. comment. XL. sed quis ille Eudorus? Eudorum & Aristonem Peripateticum sua ætate *de Nilo* eadem adeo scripsisse, ut alter alterum omnino compilaverit, auctor est Strabo L. XVII. Eudorum Academicum, Boethum, Aristonem, Andronicum & Athenodorum antiquos Categoriarum explicatores nominat Simplicius in Categ. ibidemque Athenodorum Stoicum, sive Solensem, sive Tarsensium alterum contra Aristotelis illas Categorias scripsisse, idemque post Cornutum Stoicum & Achaicum (cujus etiam *Ethica* laudant Laertius lib. VI. *Menippo* & Theodoretus *Serm.* VIII.) fecisse: similiter & Eudorum & Aristonem dubia contra Aristotelis Categoriarum librum proposuisse tradit. Iidem sint hi Eudorus & Aristo cum prioribus, an diversi, ulteriori relinquam inquisitioni. Et si idem utrobique Eudorus intelligendus, porro dubium existit, idem hic sit cum nostro, quem dogmata Pythagoreorum tradidisse e Simplicio cognovimus, an diversus. Quod si idem est, ut verisimile est, Augusti ævo vixisse dicendus est, quo Aristo Peripateticus vivebat.

5. Didymus, Didymi F. Grammaticus Alexandrinus Aristarcheus, Chalcenterus ab assiduo studio dictus, scripsit περὶ Λυρικῶν ποιητῶν, *de Lyricis Poetis*, teste Auctore Etymologici in ὕμνος & προσῳδίαι. Nisi forte Grammaticum opus fuit, & commentarius in Poetas istos, non eorum historia. Habuit Didymus plures sibi homonymos. Septem Didymos recenset Suidas, quorum primus est Didymus Areus, de quo supra. Alter est is, de quo agimus. Tertius est Didymus junior, Grammaticus Alexandrinus, qui Romæ docuit. Quartus est Didymus Claudius, Grammaticus. Quintus est Didymus, Heraclidis

 magister

magister sub Nerone. Sed de his utpote Grammaticis alibi commodior erit dicendi locus. Sextus est Didymus Alexandrinus, qui de re rustica libris XV. egit. Septimus est Didymus ille Biblicus, qui & Thomas dicitur. Præter hos a Suida memoratos notus est Didymus Cynicus, Planetiades ex Plutarcho *lib. de oracul. defectu.* Didymi cujusdam Alexandrini librum de marmoribus & lignis omnium generum manuscriptum servat Bibliotheca Patrum Soc. Jesu N. XL. Parisiis in platea S. Jacobi. Didymus Alexandrinus Ecclesiasticus a puero oculis orbatus, poeticæ, rhetoricæ, arithmeticæ, geometriæ & doctrinæ Syllogismorum Aristotelis atque eloquentiæ Platonis μαθήματα aurium adjumento didicit, teste Hieronymo de Script. Eccles. & Theodoreto Hist. Eccl. IV, 29. Hieronymus, qui initio & fine libri *de Script. Eccles.* anno XIV. Theodosii hoc est A. C. 392. se hunc ipsum librum scripsisse testatur, tum temporis Didymum adhuc vixisse, & annum ætatis suæ octogesimum tertium excessisse, testatur vita Didymi. Sigebertus Gemblacensis A. C. 396 eum ad meliores sedes translatum esse, auctor est. Scripsit librum de Spiritu S. quem Hieronymus in latinum se vertisse testatur, quique inter Hieronymi opera etiamnum legitur. In eo *de Sectis* se scripsisse indicat Didymus. sic pag. 5. *Quod autem ab aliis capiatur Spiritus S. & non alia capiat, & nunc, & in sectarum volumine, prout potuimus, expressimus.* Iterum libro primo extremo: *de quibus jam abundanter in sectarum volumine disputavimus.* Ex eo Didymi de sectis opere locum adfert Stobæus Ecl. I. Ethica. Sed theologicum fuit opus, neque de sectis philosophorum, sed Christianorum egit. Scripsit enim Didymus contra Arianos teste Hieronymo, & contra Manichæos teste H. Canisio T. V. Ant. Lect.

6. Augusto familiariter usus est Nicolaus ille Damascenus, qui Peripateticus fuit philosophus, teste Athenæo IV, 14. Plutarcho L. VIII. *conviv. quæst.* 4. Suida Νικόλ. Scripsit πολύβιβλον ἱστορίαν, ut loquitur Athenæus lib. VI. c. 12. Pluribus quippe libris constabat. Librum XXVII. citat Athenæus L. VI. librum CIII. idem L. X. Librum CXIV, idem L. VI. Historiam autem philosophicam augere voluit libro *de vita sua*, quem laudat inter ejus opera Suidas Νικόλ. Neque id ei arrogantiæ aut insolentiæ tribui debet, quod a pluribus factitatum cognoscimus. Scripserunt enim de vita sua Scaurus, Rutilius, M. Terentius Varro: Impp. Augustus, Tiberius, Claudius, Severus: Augustinus,

de quibus omnibus abunde testatur diligentissimus antiquitatis scrutator G. J. Vossius libris de Histor. Lat. Adrianum de vita sua libros scripsisse testatur his verbis Ælius Spartianus Adriano cap. 8. *Famæ celebris Adrianus tam cupidus fuit, ut libros vitæ suæ scriptos a se, libertis suis literatis dederit, jubens, ut eos suis nominibus publicarent : nam Phlegontis libri, Adriani esse dicuntur.* Gregorius Nazianzenus versibus vitam suam exposuit. E recentioribus idem fecerunt Cardanus, Thuanus, Lipsius, alii.

CAPUT III.

1. Apollonides, Nicenus de Sillis Timonis egit. Gesneri, Vossii & interpretis Laertiani errores notantur. 2. Thrasyllus de Democriti libris & vita egit, & de Platone. Varii Thrasylli. 3. Seleucus de philosophia, & Vitis. Varii Seleuci.

I.

APollonides, Nicæus, hypomnematum aliquot libros in Sillos Timonis scripsit, eosque Tiberio Cæsari dedicavit, ut ita cognita hinc ejus ætate, eum inter incertæ ætatis scriptores cum Vossio non amplius referamus. Illorum autem primo Timonis patrem & patriam exposuit. Testis est Laertius lib. IX. *Timone* Τίμων Ἀπολλωνίδης, ὁ Νικαεὺς, ὁ παρ' ἡμῶν ἐν τῷ πρώτῳ τῶν εἰς τὺς Σίλλυς ὑπομνημάτων, ἃ προσφωνεῖ Τιβερίῳ Καίσαρι φησὶ τὸν Τίμωνα εἶναι πατρὸς μὲν Τιμάρχυ, Φλιάσιον δὲ τὸ γένος, κ. λ. Quæ verba Ambrosius sic interpretatur : *Timon Apolloniates Nicæus, de quo in primo Commentariorum in Sillos libro diximus, quod opus suum ille Tiberio Cæsari dedicavit, Timonem asserit patre Timarcho, genere Phliasium fuisse.* Hic autem aliquot errores sunt notandi (1) initium verborum Græcorum non ita legi debet Τίμων Ἀπολλωνίδης, sed vel vox Τίμων titulum occupare debet, ut vox Λύκων L. V, Μητροκλῆς & Ιππαρχία L. VI, Παρμενίδης L. IX. vel potius maneat prima vox vitæ, more Laertiano, ut Ονησίκριτος & Μένιππος L. VI. Ζήνων Ελεάτης & Λεύκιππος Ελεάτης L. IX. Κλεάν-

θης Φανίς, ἄσσιος L. VII. Neque Timon & Apollonides sine distinctione cohærere debent, neque Ἀπολλωνίδης minusculo α scribi debuit, (2) pro παρ' ἡμῶν, lege πρὸ ἡμῶν. In Latina autem Ambrosii versione nota, (1) quod hæc Græca verba Τίμων, Ἀπολλωνίδης, ὁ Νικαεύς, sic perperam reddantur: *Timon Apolloniates Nicæus*, quasi patria iis significaretur, cum sic verti debeant. *Timon Apollonides Nicæus*: istum quem errorem sequitur Gesnerus L. XV. Pandectarum Tit. I. (2) Ambrosius hypomnemata in Sillos, quæ scripsit Apollonides, perperam Laertio tribuit. Tandem Vossius, dum hunc Ambrosii lapsum bene corrigit, graviore lapsu ipse ruit. Sic autem loquitur L. II. de Hist. Græc. c. 13. *Quod si Laertii interpreti Ambrosio credimus, etiam reliquit* (Laertius) εἰς τοὺς Σίλλους ὑπομνήματα, *quorum primum librum citet ipse in vita Timonis. Sed omnino interpres mentem Laertii assecutus non est. Nam non se, sed Timonem Apollonidem ait commentarios eos scripsisse, dicasseque Tiberio Cæsari. At inter Tiberium & Antoninum Pium, sub quo Laertius vixit, integrum seculum est. Atque ideo addit de Timone seu Simone, hoc* ὁ παρ' ἡμῶν, *ubi malim* ὁ πρὸ ἡμῶν, hoc est, *qui antecessit seculum nostrum. Nempe propius, quam alter Timo philosophus, qui cognitus fuit Antigono Regi & Philadelpho, æqualis Arati poetæ.* Erratur hic (1) dum ex Timone & Apollonide Niceno unus cuditur scriptor, Timon Apollonides, (2) dum Timon etiam Simon dicitur; (3) dum Timones duo finguntur, quorum unus Timon Apollonides Tiberii tempore vixerit, alter antiquior tempore Philadelphi: cum tamen posterior Timon, Sillographus, Philadelphi æqualis hic memoretur, ejusque vita describatur: Timon vero Apollonides ignoretur. unde verba Laertii sic legenda putamus. Τίμων. Ἀπολλωνίδης, ὁ Νικαεύς, ὁ πρὸ ἡμῶν (quanquam & de his verbis manuscripti libri erunt consulendi) ἐν τῷ πρώτῳ, &c. *Timon. Apollonides Nicenus, qui ante nostra tempora vixit libro primo*, &c. Hujus Apollonidis Niceni librum tertium περὶ κατεψευσμένων, laudat Ammonius de diff. voc. in κατοίκησις. Meminit ejus quoque Harpocration Ἴων, aliique apud Vossium de Hist. Gr. L. III. fol. 328. præter hunc fuere Apollonides Cous & Cyprius, Medici: Apollonides item Stoicus.

2. Thrasyllum ut huc referam, facit Laertius, qui de Democriti libris & vita eum scripsisse auctor est, L. IX. Δοκεῖ δὲ (φησὶν ὁ Θράσυλλος) ζηλωτὴς γεγονέναι καὶ τῶν Πυθαγορικῶν. *Videtur* (Demo-

critus) *Pythagoricorum quoque sectator fuisse, ut inquit Thrasyllus.* Postea de ætate Democriti e Thrasyllo locum adfert: γεγόνοι δ᾽ ἂν (ὡς μὲν Ἀπολλόδωρος ἐν χρονικοῖς κατὰ τὴν ὀγδοηκοστὴν Ὀλυμπιάδα, ὡς δὲ Θράσυλλος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ περὶ τῆς ἀναγνώσεως τῶν Δημοκρίτου βιβλίων, κατὰ τὸ τρίτον ἔτος τῆς ἑβδόμης καὶ ἑβδομηκοστῆς Ὀλυμπιάδος, ἐνιαυτῷ φησὶ πρεσβύτερος ὢν Σωκράτους. *Vixit* (Democritus.) *secundum Apollodorum Chronicis, Olympiade* LXXX *secundum Thrasyllum vero, libro qui inscribitur, de legendis Democriti libris Olymp.* LXXVII. *anno major natu, quam Socrates.* Hæc Laertius L. IX. *Dem.* De libris etiam Platonis, & genere ejus egisse Thrasyllum indicat Laertius L. III. Platonis prosapiam a Neptuno derivans, idque Thrasylli testimonio. Plura de hoc Thrasyllo *in Grammaticis.* multi autem fuerunt Thrasylli. Fuit Thrasyllus Cynicus, de quo Seneca L. II. *de benef.* c. 13. & Plutarch. *Apophth.* Thrasyllum Anyti familiarem, Alcibiadis tempore memorat Athenæus XII, 9. Phliasium musicum laudat Plutarchus L. *de musica* quem itidem a Nicomacho lib. I. ἁρμ. ἐγχειρ. laudari credo. Thrasyllus Ammonii F. cum Aristodemo Cyprio aliisque colloquitur apud Plutarchum Sympos VIII, 3. alios Thrasyllos eorumque libros recensent Meursius notis ad Nicomachum fol. 166. & Vossius de Histor. Græc. IV, 16. Hunc nostrum vero Thrasyllum eum esse existimo, qui tempore Tiberii Imp. vixit, de quo Juvenalis Scholiastes in Sat. VI. *Thrasyllus multarum artium scientiam professus, postremo se dedit Platonica secta, ac deinde Mathesi, qua præcipue viguit apud Tiberium.* Tandem a Tiberio interemtus est Statilio Tauro & L. Libone Coss, ut auctor est Dio lib. LVII.

3. Seleucus, Grammaticus, forte Alexandrinus ille Homericus dictus, qui Romæ docuit, *de philosophia* scripsit aliquot libros. Eorum primum citat Laertius L. III. περὶ βίων, de *vitis*, itidem pluribus egit libris, quorum secundum citat Harpocration Ὁμηρίδαι. E quo loco de Homeridis eum ibi egisse constat. Homeridæ autem, qui dicti fuerint, ex Acusilao, Hellanico, Pindaro, Isocrate, Strabone, alibi ostendam. Ex eodem vitarum opere forte sunt, quæ de Heraclito citat Laertius L. IX. Diversus est Seleucus Tarsensis, ἁλιευτικῶν Scriptor, apud Athenæum I, 10. VII, 10. Suidas Seleucum Emisenum itidem ἁλιευτικὰ scripsisse auctor est.

CAP. IV.

1. Philo Judæus an Platonicus? Peritus philosophiæ, sed Judaicæ. 2. Philosophia apud Judæos quid significet. 3. Philo Monachorum christianorum vitam an descripserit, dubium. Philosophia notat apud patres ipsam religionem christianam, & postea Monachismum. 4. Philo Pythagoreus Ethnicus, cum Philone Hebræo confunditur a quibusdam. 5. Error Josephi. Varii Philones.

I.

CAligulæ & Claudii principatu, eminuit Philo, Alexandrinus, Judæorum disertissimus, de quo Eusebius *Hist. Eccl.* II, 4. Περὶ τὰ φιλόσοφα καὶ ἐλευθέρια τῆς ἔξωθεν παιδείας, οἷος τίς ἦν, ὐδὲν δεῖ λέγειν, ὅτε καὶ μάλιςα, τὴν κατὰ Πλάτωνα καὶ Πυθαγόραν ἐζηλωκὼς ἀγωγὴν, διενεγκεῖν ἅπαντας τὺς καθ' ἑαυτὸν ἱςορεῖται. Hieronymus epistola ad Magnum Orat. Rom. *Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel secundum Iudaeum* (nisi forte hæc ultima vox glossematis loco habenda) *Platonem Critici pronunciant?* Vellem, criticorum nomen hic expressisset Hieronymus, quos sequeretur, ut major dictis fides haberi posset. Eratosthenes δέυτερος ἢ νέος Πλάτων dictus est, teste Suida Εϱατ. de Philone Judæo nihil alibi leges. Sed in philosophia Platonica tantum profecisse dicitur, ut de eo hoc fuerit inter Græculos jactatum encomium: ἢ Φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει, id quod de Philone, Judæo, patres interpretantur; antiquiores dubie, * juniores confidenter. Verum superstites libri, Philonis nomine, Platonicum genium non spirant; neque Josephus gentis suæ nimius laudator, qui Philonem, Judæum, virum insignem, & philosophiæ non imperitum dicit L. XVIII. *Antiq. Iud.* c. 10. hanc Platonicam ejus eruditionem novit, neque ullam Philonis librorum facit mentionem, qui cætera suæ gentis satis extollit. Dicet aliquis, philosophiæ eum non ignarum a Josepho esse habitum? Verum ejus philosophiæ, de qua scripsisse

* *quod vereor, ut probari satis possit.*

ſe putatur, gnarum eum fuiſſe largior. Scripſit autem βίους τῶν παρὰ Ιουδαίοις φιλοσοφησάντων, τήν τε θεωρητικὴν, καὶ τὴν πρακτικὴν φιλοσοφίαν, teſte Photio Ecl. CIV. Euſebius L. II. *Hiſt. Ecl.* cap. 17. hos quoque ei libros tribuit, βίος σοφοῦ ὁ περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἐξ οὗ, τὰ περὶ τοῦ βίου τῶν ἀποστολικῶν ἀνδρῶν διεληλύθαμεν. Suidas inter ejus libros numerat περὶ βίου φιλοσόφου, περὶ ἀγωγῆς βίου, περὶ τῆς διαγωγῆς τῶν χριστιανῶν, περὶ βίου θεωρητικοῦ, περὶ ἱκετῶν. Eadem fere Hieronymus Cat. Script. Eccleſ. his nimirum verbis : *De vita ſapientis, liber unus, de converſatione vitæ, de vita noſtrorum liber, de quo ſupra diximus, id eſt, de Apoſtolicis viris, quem & inſcripſit,* περὶ βίου θεωρητικοῦ ἱκετῶν (ἢ ἱκετῶν rectius legit Euſebius,) *quod videlicet cælestia contemplentur, & ſemper Deum orent.* Euſebius L. VIII. *præp. Evang.* ex Philonis περὶ τῆς κατὰ τὸν βίον ἀρετῆς, τῶν παρὰ Ιουδαίοις τὸ παλαιὸν φιλοσοφούντων, eclogam adfert. Videri ſane non nemini poſſet, Philo noſter hic optimo jure propterea adduci, & inter ſcriptores hiſtoriæ philoſophicæ numerari, ſed varias vox φιλοσοφία habet ſignificationes, hic minime prætereundas.

2. Joſephus expreſſe tres illas Judæorum ſectas adpellat φιλοσοφίας. Sic lib. XVIII. *Antiq. Iud.* c. 2. ubi Judæorum hæreſes, quæ, & quot ſint, exponere vult : Ιουδαίοις ait, φιλοσοφίαι τρεῖς ἦσαν ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου τῶν πατρίων, ἥτε τῶν Εσσηνῶν, καὶ ἡ τῶν Σαδδουκαίων, τρίτην δὲ ἐφιλοσόφουν οἱ Φαρισαῖοι λεγόμενοι. Et L. II. *de bello Iud.* c. 12. Poſtquam dixerat Judam fuiſſe ἰδίας αἱρέσεως Sophiſtam, addit. τρία μὲν παρὰ Ιουδαίοις εἴδη φιλοσοφεῖται. & cætera. Hic enim locus cum priore plane coincidit. confer lib. II. c. 7. Hieronymus L. II. *contra Iovin.* haſce tres philoſophias Judæorum, tria dogmata adpellat : *Ioſephus in ſecunda Iudaicæ captivitatis hiſtoria, & in octavodecimo Antiquitatum libro, & contra Apionem, duobus voluminibus tria deſcribit dogmata Iudæorum, Phariſæos, Sadducæos, Eſſenos. Quorum noviſſimos miris effert laudibus, quod & ab uxoribus, & vino, & carnibus, ſemper abſtinuerint, & quotidianum jejunium verterint in naturam : ſuper quorum vita, & Philo vir doctiſſimus, proprium volumen edidit.* Ultima hæc verba optime interpretantur Photii Græca verba ſupra §. 1. citata. Euſebius lib. VIII. *præp. Evang.* τὸ πᾶν Ιουδαίων ἔθνος εἰς δύο τμήματα διῄρηται, καὶ τὴν μὲν πληθὺν, ταῖς τῶν νόμων κατὰ τὴν ῥητὴν διάνοιαν παρηγγελμέναις ὑποθήκαις ὑπῆγε, τὸ δὲ ἕτερον τῶν ἐν ἕξει τάγμα.

Cum

Cum itaque hæc fuerit vocis *philosophia* inter Judæos significatio, nihil ad nostrum institutum facit Philonis ille labor de philosophis, hoc est, Essæis, quorum vitam peculiari volumine exposuit.

3. Primorum quoque christianorum Alexandriæ philosophorum, hoc est, Monachorum vitam tradidisse dicitur, de quo Eusebius L. II. *Hist. Ecclef.* c. 15. 16. Si verisimile est, Judæum Christianorum vitam scribere, &c, ut Otto Frising. lib. III. *Chron.* c. 13. loquitur, *plurimum Christianos commendare* voluisse. Sed nihilo plus obtinebit Philo hoc libro, quandoquidem vox *philosophia* in aliena hac significatione, a Judæis tandem etiam ad Christianos transiit. Chrysostomus homil. LXIV. *in Matthaum*, τὰ τῆς φιλοσοφίας ἐπετάδη μετὰ τὴν τῦ Χριςῦ παρυσίαν. Eusebius *Hist. Eccl.* II, 15. primis istis Ægyptiis Monachis tribuit ἄσκησιν φιλοσοφωτάτην. *Philosophia religionis*, ait Salvianus L. II. de avaritia, id est, Christianismus. ἡ τῶν χριςιανῶν φιλοσοφία, inquit Gregorius Nyss. *encomio Greg. Thaumat.* οἱ διὰ πίςιν φιλοσοφῦντες. Chrysostomus *prap. Evang.* Eusebius quoque præpar. evang. L. XIV. c. καθ' ἓν de Dionysio: Διονύσιος, ait, τῆς κατὰ Χριςὸν φιλοσοφίας ἐπίσκοπος ἀνὴρ, & *Chronicis* L. I. f. 69. de Clemente: Κλήμης ὁ ςρωματεὺς πρεσβύτερος, Ἀλεξανδρείας ἄριςος διδάσκαλος, ἐν τῇ κατὰ Χριςὸν φιλοσοφίᾳ συντάττων διέλαμπεν. Similem ῥῆσιν repetit paullo post de Hippolyto. Tertullianus L. de pallio. *Melior jam te philosophia dignata est, ex quo Christianum vestire cœpisti.* Dicitur quoque φιλοσοφία ἡ ἄνωτάτω, Chrysostomo, homilia in illud 1. Tim. V. ὀλίγῳ οἴνῳ χρῶ. Deinde ὁ κατὰ φιλοσοφίαν βίος, apud Gregorium Nyssenum *ferm. de funibus Hierof.* notat vitam severam, & legi divinæ congruam, uti φιλοσοφεῖν apud Chrysostomum ad 1. Tim. V. notat vitam ejusmodi vivere. Uti autem rigida vita philosophorum olim erat propria, sic Essæi inter Judæos ob severam suam vitam maxime philosophi sunt visi, & Monachi inter Christianos. Hinc non raro de Monachismo capienda est *philosophia* vox. φιλοσοφία μοναχική, ait Isidorus Pelusiota, lib. I. epist. 1. & 260. adde Theodoretum *Hist. Eccl.* II, 24. IV, 26. Sozom. *Hist. Eccl.* I, 12. 13. Nicephorum Call. *Hist. Eccl.* IX, 15. 16. XI, 41. *& seqq.* τὰ τῆς φιλοσοφίας ἀγάλματα, de cœnobitis, ait Theodoretus, *Θεραπ.* Serm. III. Nilus Abbas de *philosophia Christiana* librum scripsit. *Inter cæteros Christianæ philosophiæ viros Abbates quoque vidimus Danielem*, &c. ait Cassianus, IV, 1. Simili phrasi

phrasi utitur Marianus Scotus ad XI annum Valentiniani. Suidas quoque in voce μοναχὸς, ἐκεῖσε, inquit, Φροντιστήριον ἦν ἀνδρῶν Φιλοσόφων τὸν βίον, μοναχοὶ δὲ ἔτοι κατονομάζονται. ***Sed ne in philosophia gremium celeriter advolarem, fateor, uxoris honorisque illecebris detinebar***, inquit Augustinus, lib. ***de vita beata***, præfat. E quibus verbis Monasticum Augustini statum probat Nicolaus Crusenius, ***Monastici Augustiniani***, parte I, cap. 3. Confer Ludovici de Angelis, & Cornelii Lancillotti libros ***de vita Augustini***, itemque Gabrielem Pennottum, ***Historia ordinis Clericorum Canonicorum***, ubi Augustinum non Monachum, sed Canonicum Regularem fuisse, fervide contra alios defendit. Atque tantum de libro Philonis, de ***vita philosophorum***, qui, ut & cæteri libri, sive hujus Philonis a Josepho Ἀρχαιολ. XVIII, 10. laudati genuini sint, sive alterius, aliorum sit judicium.

4. Philoni huic Judæo, liber περὶ Ἰουδαίων, ab Eusebio, Hieronymo, & Suida tributur, quibus tamen homonymia imposuisse videtur. Philonem Ethnicum, philosophum Pythagoreum, de Judæis nonnihil litteris prodidisse, docet Clemens Alex. lib. I. τὴν παρ' αὐτοῖς Φιλοσοφίαν ἔγγραπτον γενομένην προκατάρξαι τῆς παρ' Ἕλλησι Φιλοσοφίας, διὰ πολλῶν ὁ Πυθαγόρειος ὑποδείκνυσι Φίλων. eundemque iterum lib. II. laudat. Josephus lib. I. ***de antiquitate Iudaicæ gentis***, ut genti suæ, sive Judæis aliquam antiquitatem conciliet, Judaicarum rerum mentionem apud antiquos ethnicos factam esse probat testimonio Ægyptiorum & Græcorum, Manethonis, Dii, Menandri Ephesii, Berosi, Philostrati, Megasthenis, Hermippi, Theophrasti, Herodoti, Choerili, Clearchi, Hecatæi, Agatharchidis, Hieronymi Cardiani. Præter hos autem Judæorum quoque meminisse scribit Theophilum, Theodotum, Mnaseam, Aristophanem, Hermogenem, Evemerum, Conona, Zopyriona: habet hunc locum Eusebius lib. IX. ***præp. Evang.*** c. ult. Addit tandem de Demetrio Phalereo, Philone antiquo & Eupolemo: ὁ μέντοι Φαληρεὺς Δημήτριος, καὶ Φίλων, ὁ πρεσβύτερος, καὶ Εὐπόλεμος, ὀ πολὺ τῆς ἀληθείας διήμαρτον, οἷς συγγινώσκειν ἄξιον, ὀ γὰρ ἐνῆν αὐτοῖς μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς ἡμετέροις γράμμασι παρακολουθεῖν. ***Demetrius Phalereus, & Philo antiquus, & Eupolemus, parum a veritate recesserunt, quibus veniam dari propterea æquum est, quod iis non licuerit nostras litteras sollicite persequi.*** Hic autem cum superiore Pythagoreo, quin idem sit non dubito. Eundem certe Philonem memorat Clemens Alex. lib. I. Strom. ubi postquam ex Demetrii libro, περὶ τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ βασιλέων Judaici regni brevem Chronologiam,

um, ad Ptolemæi quarti tempora texuisset, addit: φίλων δὲ καὶ αὐτὸς ἀνέγραψε τοὺς βασιλεῖς τοὺς Ἰουδαίων διαφώνως τῷ Δημητρίῳ, ἔτι δὲ καὶ Εὐπόλεμος ἐν τῇ ὁμοίᾳ πραγματείᾳ. Eosdem hic Clemens coujungit, quos antea Josephus, Demetrium, Philonem & Eupolemum. Quæ cum ita sint, errare constat Josephum, qui Demetrium illum Phalereum adpellat, cum tamen hic sub secundo Ptolemæo, Philadelpho scilicet e vivis excesserit, noster autem hic memoratus Demetrius, ut ex Clemente constat, ad quarti Ptolemæi tempora usque regni Judaici Chronologiam tradiderit, ut recte observat Vossius lib. III. *de Hist. Gr.* fol. CCCLIII. Diversus itaque hic Demetrius est a Demetrio Phalereo. Et quia Philo Pythagoricus, itemque hic a Josepho & Clemente citatus Philo ὁ πρεσβύτερος, de Judæis scripserunt, dubium est, an non Eusebius, & cæteri homonymia decepti, Philoni Judæo Alexandrino, librum *de Iudæis* tribuant, qui alterius sit Philonis. Sed posterioribus cogitationibus aliquid relinquendum, neque patrum auctoritatem temere seponendam judico. Fuit præterea Philo, cujus περὶ σημασιῶν libro unum Chrysippus opposuit, teste Laertio lib. VII. *Chrys* Philo Ptolemæi Philopatoris adsentator, apud Athenæum VI, 13. Philo, philosophus, apud eundem XV, 16. Philo, Pompeji libertus, apud Ciceronem ad Att. XVI, 4. alius forte est libertus, Philo, apud eundem Ciceronem, lib. VIII. epist. ad famil. 8. & alius apud Simplicium *ad Categorias Aristot.* Philo, Tarsensis, Medicus, apud Galenum. Philo, ad quem exstat Luciani liber, *quomodo scribenda sit historia.* Philo quidam dialogista, apud Plutarchum, *Sympos.* II, 6. Philo, Batonis pater, apud Gruterum *insc.* fol. CCCXXVII. Philo, pater Nymphodori, Syracusani, Historici, apud eundem, fol. CDI. Philonem, Atheniensem, architectum, laudat Cicero lib. I. *de Orat.* Plutarchus *Sylla* Plinius VII, 37. Auson. idyll. III. Vitruv. præfat. l. VII. Plures Philones enumerant Vossius & Allatius, quos videat, cui volupe est homonymos plures nosse.

CAPUT

CAPUT V.

1. Adrastus de ordine librorum Aristotelis. 2. Moderatus placita Pythagoreorum exposuit. 3. Thraseas vitam Catonis Uticensis litteris mandavit. 4. Apollonius Tyaneus vitam Pythagoræ. 5. Damis Apollonii Tyanei vitam. 6. Junius Rusticus Thraseæ & Helvidii laudes. 7. Herennius Helvidii vitam exposuit.

1.

NEronis ætas Adrastum vidit, qui *de ordine librorum Aristotelis* egit. Vide quæ de eo in Grammaticis dicimus.

2. Eadem ætate celebris erat Moderatus Gaditanus, qui quinque libros Πυθαγορικῶν σχολῶν scripsit, teste Stephano *γάδειρα*. Aliud opus indicat Malchus *vita Pythagoræ*, Μοδέρατος ὁ ἐκ Γαδείρων πάνυ συνετῶς ἐν ἕνδεκα βιβλίοις συναγαγὼν τὸ ἀρέσκον τοῖς ἀνδράσι. Integram philosophiam Pythagoricam hisce undecim libris exposuisse videtur. Hinc omnino sunt petita, quæ ex Moderato apud Porphyrium citat Simplicius ad lib. I. φυσ. ἀκρ. comm. LXV. Eloquentiæ laudem ei tribuit & Jamblichum, cum aurea Pythagoreorum verba exponeret, eo sæpe usum fuisse tradit Hieronymus contra Rufinum. *Cujus*, inquit, *sunt illa χρυσᾶ παραγγέλματα? nonne Pythagoræ? in quibus omnia ejus breviter dogmata continentur, & in quo latissimo opere philosophus comment.itus est Iamblichus, imitatus ex parte Moderatum virum eloquentissimum & Archippum ac Lysidem Pythagoræ auditores, quorum Archippus ac Lysides in Græcia, id est, Thebis scholas habuere.* Porphyrius lib. III. *contra Christianos*, apud Eusebium Hist. Eccl. lib. VI, c. 19. (13 vel 15 variant enim editiones) Nicephorum Call. Hist. Eccl. V, 13. & Suidam *ὠριγ.* refert, quod Origenes Moderati illius scripta, cæterorumque Pythagoreorum sedulo atque diligenter evolverit: verba ejus sunt: Συνῆν ἀεὶ τῷ Πλάτωνι, τοῖς τε Νουμηνίου καὶ Κρονίου, Ἀπολλοφάνους τε καὶ Λογγίνου καὶ Μοδεράτου, Νικομάχου τε καὶ τῶν ἐν τοῖς Πυθαγορείοις ἐλλογίμων ἀνδρῶν ὡμίλει συγγράμμασιν. Ἐχρῆτο δὲ καὶ Χαιρήμονος τοῦ Στωικοῦ, Κορνούτου τε τοῖς βίβλοις, παρ' ὧν τὸν μεταληπτικὸν τῶν παρ' Ἕλλησι μυστηρίων γνοὺς τρόπον ταῖς Ἰουδαϊκαῖς προσῆψε γραφαῖς. Adde Petri Halloix *Origenem defensum*, sive *de vita*

Origenis, lib. I, c. 20. p. m. 60. 61. Idem quoque Porphyrius *vita Plotini* ejus meminit, dicens, Plotinum Pythagorica & Platonica principia melius calluisse, quam Numenium, Cronium, Moderatum & Thrasyllum, confer Stobæum Ecl. phys. II. Vixit autem Moderatus Nerone Imp. scribit enim Plutarchus Sympos. VIII, 7. se Romæ cum Lucio Tusco, Moderati, Pythogorici discipulo, a Sylla ad cænam esse vocatum. Diversus ab hoc est Moderatus ille Augustæ adulter, & nihilominus ad magnos honores evectus ab Antonino Philosopho apud Capitolinum.

3. Thraseas, Pœtus, Stoicus non minoris in ipsa morte, quam in vita constantiæ fuit, de quo Martialis: *divitior Crispo, Thrasea constantior ipso.* a Nerone occisus est, Olymp. CCXI, 2. teste Anonymo Olymp. ad Olymp. citatam. adde Suetonium *Nerone* §. 37. Dionis Epitomen *Nerone* ubi ei morituro dictum tribuitur. quod Senecæ tribuit Tacitus lib. XV. *Annal.* cap. 64. §. 5. Inter hos autem scriptores locum sibi postulat propter librum *de vita Catonis Viicensis*, quem non semel advocat Plutarchus, *vita Catonis Min.* Erat Cato iste Stoicus, teste Cicerone *ad Att.* II, 1. Vellejo lib. II. Plutarcho *Catone.* Lucano lib. II. Salustio in *Catil.* Augustino *de civ. Dei.* V, 52.

4. Circa Vespasiani & Domitiani tempora Apollonius, Tyaneus, Pythagoricus & Magus floruit Eusebius lib. I. & II. Chron. sub Domit. Ἀπολλώνιος Τυανεὺς καὶ Εὐφράτης φιλόσοφοι ἤκμαζον. Tantæ fuit existimationis ut eum in larario suo juxta Christum, Abrahamum, & Orpheum Alexander Mammeæ statuerit & pro Deo coluerit, teste Lampridio: & postea Hierocles Christo comparaverit. Sed hic Magus *vitam Pythagoræ* scripsit. Suidas Ἀπολλώνιος. Συνέταξε δὲ τοσαῦτα. Τελετὰς ἢ περὶ θυσιῶν, διαθήκην, χρησμοὺς, ἐπιστολὰς, Πυθαγόρου βίον. *Tot itaque scripsit libros, imitationes sive de sacrificiis, testamentum, oracula, epistolas, Pythagoræ vitam.* Meursius, ubi de variis Apolloniis scriptoribus ad Apollonium Dyscolum agit, in Apollonio Tyaneo hunc Suidæ locum ignorasse videtur, neque vitam Pythagoræ recenset. Idem procul dubio Apollonius idemque liber, quem citat Malchus *vita Pythagoræ*: Ἀπολλώνιος ἐν τοῖς περὶ Πυθαγόρου, *Apollonius libro de Pythagora.*

5. Damis, Assyrius, Apollonio Tyaneo, Pythagorico, familiariter usus est, cujus etiam *peregrinationem & sermones* litteris mandavit, ut indicat Philostratus lib. I. *de vita Apollonii* cap. 3. & 13. & ex eo Eusebius *contra*

tra lib. I. Hieroclis illum, qui Apollonium hunc Tyaneum Magum Christo comparare non erubuit.

6. Junius Rusticus Pæti Thraseæ, Stoici & Helvidii Prisci, laudes scripsit, propterea a Domitiano occisus. Suetonius Domitiano cap. 10. *Occidit item Iunium Rusticum, quod Pæti Thrasea & Helvidii Prisci laudes edidisset, adpellassetque eos sanctissimos viros.* Confirmat hoc Plutarchus lib. *de Curiositate*, ubi Rusticum illum Romæ se audivisse refert. Plinius item lib. I, ep. 5. VII, 27. Minime vero hic Junius Rusticus a Vossio lib. I. *de Hist. Lat.* c. 29. confundi debuit cum altero juniore, & forte prioris filio, Junio Rustico itidem Stoico M. Antonini A. C. CXXI. sub Adriano demum nati magistro, quem laudat Capitolinus *Marco.*

7. Herennius Senecio, libros scripsit *de vita Helvidii Prisci*, idque rogatu Fanniæ Helvidii uxoris. Ob id Fannia in exilium missa, & Herennius occisus. Testatur Plinius lib. VII. epist. ad Priscum: *Cum Senecio reus esset, quod de vita Helvidii libros composuisset, rogatumque se a Fannia in defensione dixisset, quærente minaciter Mettio Caro, an rogasset? respondit, rogavit, an commentarios scripturo dedisset? dedi: an sciente matre? nesciente.* adde Xiphilinum *Domitiano.* Respicit huc auctor Dialogi *de caussis corruptæ eloquentiæ: Nos innocenti sangvine Senecio perfudit.* Helvidius autem ille Priscus *regione Italiæ, Tarracina (Tarentino* legit meum Manuscriptum) *municipio, Cluvio patre, qui ordinem primipili duxisset ingenium inlustre altioribus studiis juvenis admodum dedit,* ut loquitur Tacitus Hist. IV, 5. 2. sub Nerone Italia pulsus est cum Paconio (*Ragonio* habet meum Manuscriptum) teste eodem Tacito *Annal.* XVI, 33, 2. Erat Thraseæ Pæti gener, teste eodem Hist. XVI, 28, 2. 16. & ejusdem libri c. 35. §. 1. Stoicus fuit philosophus, teste Xiphilino Epitome Dionis *Vespas.* Πρίσκος Ἐλουΐδιος τοῦ Θρασέου γαμβρὸς, τοῖς τε Στωϊκοῖς δόγμασιν ἐντραφεὶς, καὶ τὴν τοῦ Θρασέου παῤῥησίαν οὐ σὺν καιρῷ μιμούμενος. *Priscus Helvidius, Thraseæ gener, Stoicorum dogmata amplexus, Thraseæ loquendi libertatem sed intempestive imitabatur.* Alius autem a nostro est Herennius Severus, vir doctissimus, apud Plinium lib. IV. *epist.* Herennius Ruffinus Apulejum accusat, teste hoc *Apologia sua.*

Caput VI.

Plutarchus variis libris nostram historiam auxit. Vitæ parallelæ majores mutilæ sunt & transpositæ. De X. Rhetoribus liber, & de placitis philosophorum opusculum an Plutarchi antiqui sint, disquiritur. Catalogus Lampriæ emendatur. Liber de Homero Plutarchi nomine superstes cujusmodi sit. Plutarchus suam vitam libris suis intexuit. Varii Plutarchi.

Domitiani principatu floruit Plutarchus, Chæronensis, Boeotus, qui historiam de vitis & decretis philosophorum varie augere potuisset, si per temporis iniquitatem ejus opera omnia salva ad nos pervenissent, quorum catalogum & indicem texuit Lamprias, Plutarchi F. qui Græce manuscriptus in Bibliotheca Florentina & Montchalii exstat, qui etiam extremo superiori seculo anno 1598. Augustæ Vind. 4. prodiit, & Plutarcho adhærere in quibusdam editionibus solet. Primo autem Lamprias ille *parallela majora sive comparationes virorum inlustrium* recenset, quorum cum non pauci philosophia fuerint inlustres, ut Solon, Lycurgus, Pericles, Demosthenes, Cicero, hinc inlustrari omnino potest historia nostra. Supersunt hæc comparatæ sive parallelæ vitæ, sed aliqua sui parte mutilæ.

(1) Desideramus vitam *Tiberii*, quem citat Lamprias & Photius Ecl. CCXLII. *Scipionis*, quam ipse Plutarchus Pyrrho & Gracchis citat & Lamprias. *Leonidæ* vitam citat idem Plut. περὶ Ηροδ. κακ. *Epaminondæ* citat Lamprias, & ipse Plutarchus in Agesilao. *Metelli* idem in Mario. Desideramus præterea in his parallelis ipsas comparationes alicubi, de quo jam pridem Xylander monuit.

(2) *Hesiodi* & *Pindari* vitas a Plutarcho scriptas esse docet idem Lamprias.

(3) *Cratetis* vitam a Plutarcho scriptam, laudat idem & Julianus Orat. VI. *Daiphanti* vitam laudat Lamprias & Plutarchus L. de virtutibus mulierum, sed & hæ interciderunt.

(4) Vitas decem rhetorum Plutarcho huic tribuit Lamprias, sed an hæ quæ supersunt, Plutarchi nomine, X. Rhetorum vitæ, an aliæ, incertum quodammodo est. Agitur in isto superstite libro, de vita Antiphontis, Andocy-

docydæ, Lysiæ, Isocratis, Isæi, Æschinis, Lycurgi, Demosthenis, Hyperidis, & Dinarchi celebrium Rhetorum, sed non eodem tempore viventium. Atque ab his decem rhetoribus descriptis liber ille dicitur βίος τῶν δέκα ῥητόρων. His similes habebantur Nicostratus, Dionis Chrysostomi æqualis, cæterique apud Suidam Νικοςρ. Calphurinus Flaccus excerpta decem rhetorum minorum, uti M. Seneca majorum, reliquit. Fuerunt & alii σύγχρονοι decem rhetores Græci sic dicti, inter quos Demosthenes & Lycurgus primarii erant, qui populum Atheniensem contra Alexandrum M. concitaverunt, de quo videatur Diodorus Sic. XVII, 15. Decem hosce oratores recenset Suidas Ἀντίπατρος: Demosthenem, Hyperidem, Lycurgum, Polyeuctum, Ephialtem, Thrasybulum, Charetem, Chæredemum, Diotimum, Patroclem, Casandrum. Sed undecim nominat, qui decem promittebat.* Plutarchus *Demosthene parall.* decem rhetores Alexandrum postulasse ex Idomeneo & Duride refert, sed a probatissimis scriptoribus octo saltem evocatos tradi scribit, Demosthenem scilicet, Polyeuctum, Epialtem, Lycurgum, Myroclem, Damonem, Callisthenem, Charidemum. Sed hoc secundum genus *decem Rhetorum* missum faciamus, de primo solliciti, quorum alii quidem σύγχρονοι fuere, alii non item. Lysias enim & Demosthenes σύγχρονοι vix dicendi sunt. Lysias quippe natus Olymp. LXXX, 2. Archonte Philocle. Hinc in hisce verbis Plutarchi de X. Rhet. Lys. γενόμενος Ἀθήνησιν ἐπὶ Φιλοκλέους ἄρχοντος τῷ μετὰ Φρασικλῆ κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ δευτέρας Ὀλυμπιάδος, posteriora hæc verba καὶ δευτέρας delenda sunt. Sequentem annum Lysiæ natalem facit Anonymus ὀλ. ἀναγρ. ad Olym. LXXX, 3. Mortuus est summum anno ætatis 83, teste Plutarcho *de X. Rhet.* hoc est, Olym. CI. 4. cum Demosthenes octo annos natus esset, vel juxta Dionysium Halic. Λυσίᾳ mortuus est Archonte Nausinico Olymp. C, 3. Porro Lysias docuit Isæum Demosthenis præceptorem, ut ita dextre interpretanda sint illa Suidæ. Λυσίας εἷς τῶν μετὰ Δημοσθένους δέκα ῥητόρων. Neque æqualis fuit Lysias Dinarchi. Hic enim discipulus & auditor fuit Theophrasti, qui Olymp. CXXIII, 1. teste Anonymo ἀναγρ. Ὀλυμ. anno ætatis LXXXIII, teste Laertio lib. V. *Th.* mortuus est. Natus itaque Dinarchi præceptor Theophrastus, Olymp. CII. post Lysiam defunctum. Longius recedit Andocydis ætas, quem Olymp. LXXVIII, 1. natum esse com-

* *confer Küster. in notis ad ipsum.*

commemorat Plutarchus lib. de X. Rhet. Andoc. Dicitur tamen nihilominus εἰς τῶν δέκα ῥητόρων, Theodoreto *θερ*. Serm. VI. f. Horum rhetorum exstant multæ quidem orationes, sed de quarum plurimis merito dubitatur genuinæ an scholasticæ sint. In illos non ætate quidem, sed eloquentiæ gloria ferme æquales rhetores varii commentati sunt, de quibus in *Cæcilius* alibi dicimus. Horum vitam exposuit Plutarchus, teste Lampria. Sed dubito utrum eam vitam X. Rhetorum Lamprias intelligat, quam superstitem Plutarchi nomine habemus, an aliam: quandoquidem minime consentaneum vero est, geminam Demosthenis vitam, unam quidem in Parallelis majoribus, alteram in lib. de X. Rhet. a Plutarcho fuisse scriptam, ita quidem ut in neutra alterius a se scriptæ vitæ meminerit, aut ad eam alicubi provocet. Deinde quod Periclem Sophocli dixisse ait Cicero lib. I. *offic.* Plutarchus *Pericle*, Stobæus *Serm. de continentia*, idem Isocratem Sophocli dixisse non sine errore refert Plutarchus de X. Rhet. *Isocr.* ut ita ob hunc dissensum diversus videatur auctor libri de X. Rhet. Porro a Plutarchi Chæronei diligentia prorsus alienæ sunt istæ difficultates, quibus Antiphontis vita lib. de X. Rhet. involuta est, de quibus in *Antiphon* dicemus. Tandem neque hunc librum in aliis, neque alios in his citat, quod tamen frequens est Plutarcho. Quæ si ita se habent, interiisse fatendum est, eas vitas X. Rhetorum, quas Plutarcho Bœoto tribuit Lamprias, siquidem hujus catalogo fides derogari non debet.

Laudat (5) deinde Lamprias Plutarchi ἐκλογὴν φιλοσόφων βιβλία β'. Sed ea interierunt.

(6) Περὶ τῶν ἀρεσκόντων φιλοσόφοις φυσικῆς ἐπιτομῆς βιβλία ε', etiamnum supersunt, ex quibus nomine Plutarchi egregia fragmenta citat Eusebius lib. XIV. & XV. *prap Evang.* adde, quæ infra in *Aetius* adducemus. Idem opus respicit Cyrillus, qui lib. II. *contra Iulianum*, Πλούταρχος ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῆς τῶν φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς οὕτω φησὶ περὶ τοῦ κόσμου. Neque Plutarchi saltem nomine libri isti patribus citantur, sed pro Plutarchi Chæronei genuino fœtu habentur, unde difficilior exsistit controversia, sintne isti libri Plutarchi Chæronei antiqui, an alterius. Non obstante patrum auctoritate, Vossio contraria sententia probabilior est visa, esse nimirum eos Plutarchi cujusdam junioris, cui sententiæ quod opponam, nil habeo præter Patrum consensum. Lampriæ testimonium incertum est, cum ignoretur, superstites hasce vitas patris esse judicaverit, an alias. Potest tamen Vossii sententiam probabiliorem redde-

re

re facilis Eusebii in similibus lapsus & credulitas, methodus in his & genuinis aliis Plutarchi libris diversa, Plutarchi silentium de eis in aliis, ubi mentionem eorum optime facere potuisset, & tandem contradictio quædam hos inter & alios libros. Evemerum enim, quem Plutarchus priscus Messenium adpellat *l. de Is. & Osir.* Junior hic Plutarchus Tegeatem nominat *l. 1. de plac. Philos.* c. 7. & hunc sequuntur Eusebius lib. XIV. *prep. Evang.* & Theodoretus θεραπ. II & III. Exstant hi libri Manuscripti Oxoniæ in bibliotheca Collegii novi.

(7) Sequitur Historicus Plutarchi liber περὶ τοῦ μὴ εἶναι τὴν ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος Ακαδημίαν, apud Lampriam in Indice librorum patris. Sed H. Stephani rectius ita ex veteri codice hunc titulum legit: περὶ τοῦ μίαν εἶναι τὴν ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος Ακαδημίαν. Erant quippe, qui multas statuebant Academias, ut in *Philo* indicavimus, quorum sententiam hoc libro refutavit Plutarchus, asserens, unam esse Academiam a Platone derivatam, non plures.

(8.) Περὶ τῆς διαφορᾶς τῶν Πυῤῥωνίων καὶ Ακαδημαϊκῶν, *de differentia Pyrrhoniorum & Academicorum*, itidem Plutarchus egit, juxta Lampriam. Gellius XI, 5. ubi eandem quæstionem tangit, *Vetus* inquit, *quæstio & a multis scriptoribus Græcis tractata est, in quid & quantum Pyrrhonios & Academicos Philosophos intersit.* Atque hæc quæstio difficultate sua non carebat, quod eorum magna esset affinitas. *Veteres enim pene omnes nihil cognosci, nihil percipi, nihil sciri posse dixerunt: angustos sensus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, & ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam: opinionibus & institutis omnia teneri, nihil veritati relinqui: deinceps omnia tenebris circumfusa esse dixerunt. Itaque Arcesilas negabat esse quidquam, quod scire posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset* (qui id tantum se scire dicebat, quod nihil sciret) *sic omnia latere censebant in occulto, neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi posset, quibus de causis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quemquam, neque assertione approbare: cohibereque semper & ab omni lapsu continere temeritatem, --- Hanc Academiam novam adpellabant, quæ mihi vetus videtur: siquidem Platonem ex illa vetere numeramus, cujus in libris nihil affirmatur, & in utramque partem multa disseruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur; sed tamen illa, quam exposui, vetus: hæc nova nominetur, quæ usque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arcesila fuit, in eadem Arcesilæ ratione permansit*, verba sunt Ci-

ceronis l. 1. Acad. Quæst. Sed de hac ἐποχῇ & ἀκαταληψίᾳ Academicorum hic agere, non est nostri instituti. Videantur de ea Cicero in *Acad. Quæst.* passim: Crassus apud Ciceronem l. III. *de Orat.* Cicero lib. II. & V. *de Fin.* Plutarchus *contra Colotem*, Augustinus *de Civ. Dei* XIX. 18. & lib. III. contra Acad. ex Ciceronis l. Academicorum. Lactantius III. 6. Arnobius l. II. *contra Gentes.* Tertullianus l. *de anima c.* 17. alii innumeri. Hac Academica sententia sua mutandi libertate gaudebat Cicero, qui cum inconstantiæ propterea arguebatur, se defendit l. I. *offic.* Pyrrhonii a Pyrrhone ita sunt dicti, qui quod de omnibus dubitarent, Aporetici dicebantur, & ab investigando & quærendo Sceptici & Zetetici, ab assensu autem cohibendo Ephectici: Hi nihil prorsus sciri posse, utramque contradictionis partem æque probabilem esse, non magis hoc verum esse, quam illud statuebant. De quibus prolixe Sextus Empiricus libris *Pyrrh. Hypoth.* & Laertius L. VIII. *Pyrrh.* de differentia autem non modo variarum Academiarum inter se, sed etiam de differentia Academicos inter & Pyrrhonios olim quærebatur. De hac egit Plutarchus noster. Subtilem differentiam inter eos his verbis proponit Gellius XI. 5. *Quum hac autem consimiliter tam Pyrrhonii dicant quam Academici: differre tamen inter sese, & propter alia quadam, & vel maxime propterea existimati sunt, quod Academici quidem ipsum illud nibil posse comprehendi, quasi comprehendunt, & nihil posse decerni, quasi decernunt: Pyrrhonii ne id quidem ullo pacto videri verum dicunt, quod nibil esse verum videtur.* Subtilis distinctio!

(9.) Historiæ quoque Philosophicæ inlustrandæ inservit ejusdem liber περὶ Σωκράτυς δαιμονίυ, de *Socratis Genio*, quo titulo etiam libellum scripsit Apulejus. De hoc Socratis Genio vide Platonem *Theage*, *Theateto*, Xenophontem *Apologia*, Ciceronem L. I. *de Divin.* Cyprianum *de idol. van.* Minutium *Octavio*, Aelianum *Hist. var.* XVIII, 1.

(10. Eruditorum quoque historiam auget ejusdem Ἀριςοφάνυς καὶ Μενάνδρυ σύγκρισις, item

(11.) περὶ τῆς Ηροδότυ κακοηθείας,

(12.) Potissimum vero profuisset ejus περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν, modo hoc opus diversum sit a parallelis majoribus.

(13.) itemque ejus περὶ τῶν πρώτων φιλοσοφησάντων καὶ τῶν ἀπ' αὐτῶν.

(14.) περὶ Κυρηναίων, de *Cyrenais* Philosophis, quales erant Aristippus, Antipater, Aristoxenus, Theodorus, Hegesias, alii.

(15.)

(15.) ἀπολογία ὑπὲρ Σωκράτȣς, qualem multi jam ſcripſerant. * Hinc Lucianus *de paraſito*: Ἀπολογία μὲν Σωκράτȣς ἐςὶ, καὶ Αἰσχίνȣ, καὶ Ὑπερίδȣ, καὶ Δημοσθένȣς, καὶ τῶν πλείστων σχεδόν τε ῥητόρων καὶ σοφῶν.

(16.) & περὶ Σοκράτȣς καταψηφίσεως.

(17.) περὶ Φυσικῶν ἀρεσκόντων, quod cum libro πόλεων κτίσεως male conjungitur, & VIX diverſum eſt ab eo, quem habemus, tractatu, *de placitis Philoſophorum*. Vox ἀρέσκον autem in hac ſignificatione non infrequens eſt; ſic Laertius L. III. *Plat.* τὰ δὲ ἀρέσκοντα αὐτῷ ταῦτα ἦν. Didymi librum περὶ τῶν ἀρεσκόντων Πλάτωνι, laudat Euſebius L. XI. *præp. Evang.* H. Stephanus in antiquo Plutarchi librorum indice περὶ γεωγράφων, librum obſervat, qui corrupte περὶ γεωφάγων alias dicitur in Lampriæ Catalogo Francofurtenſi. Videtur huc pertinere ejus liber περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων Φιλολόγων, quæ verba ſic reddit interpres: *de artificioſis orationibus doctiſque viris apud Plataenſes.* Verum catalogus ille Lampriæ apud Henricum Stephanum Tom. III. Plutarchi, titulum hunc exhibet περὶ τῶν ἐν Πλαταιαῖς Δαιδάλων, vocemque Φιλολόγων ignorat: intelligenda ſunt iſta verba de feſto *Dædalis* apud Platæenſes, de quo vide Euſebium L. III. *de præp. Evang.* c. 1. Meurſium *de feſtis Græcorum* L. II. 5.

(18.) Scripſit quoque Plutarchus aliquot libros de Homero, quorum *primum* laudat Gellius IV, 11. *Plutarchus quoque homo in diſciplinis gravi auctoritate in primo librorum, quos de Homero compoſuit, Ariſtotelem Philoſophum ſcripſit eadem ipſa de Pythagoricis ſcripſiſſe, quod non abſtinuerunt edundis animalibus, niſi pauca carne quadam, verba ipſa Plutarchi, quoniam res inopinata eſt, ſubſcripſi:* Ἀριστοτέλης δὲ μήτρας καὶ καρδίας, καὶ ἀκαλύφης καὶ τοιȣ́των ἄλλων ἀπέχεσθαί φησι τȣ̀ς Πυθαγορικȣ̀ς. χρῆσθαι δὲ τοῖς ἄλλοις. Verum in ſuperſtite Homeri vita nusquam hæc citata comparent. *Secundum* de Homero librum citat idem Gellius II. 8. 9. ubi de Epicuro Plutarchum egiſſe indicat, quæ tamen loca itidem in Plutarchi ſuperſtite libro *de Homero* fruſtra quis quæſiverit. Fuit autem Gellius Plutarchi temporibus maxime vicinus. Favorinus enim Epicteti Auditor, teſte Gellio, XVII. 19. & Plutarchi æmulus, ad quem Plutarchi exſtitit epiſtola, teſte Lampriæ Catalogo: cui Plutarchus

* *L. 1. Cap. 7. 1.*

chus sub Trajano (meminit enim hujus belli Dacici) librum de primo frigido inscripsit, Gellii coætaneus erat, quod ipse Gellius sæpe docet. Cornelius Fronto & Herodes Atticus, qui Marci Antonini quinto Adriani anno nati Præceptores fuere, juxta Dionem & Capitolinum, Gellii familiares fuerunt, quorum illum, Frontonem inquam Gellius adolescentulus Romæ docentem audivit, teste ipso XIX. 8. ut ita Gellius Antonini Pii temporibus vixerit, non diu post mortem Plutarchi. Quapropter ei de Plutarchi libris differenti fidem omnino habendam, ducimus. Et quia in Plutarchi *de Homero* libro superstite ea, quæ Gellius citat non exstant, hinc colligimus, librum istum superstitem Plutarcho Chæroneo minime adscribendum, sed pro ψευδεπιγράφῳ habendum esse. Hoc tamen de illa vita dicendum restat, esse eam non unam, sed geminam: sive e duabus Homeri vitis diversorum auctorum conflatam esse hanc, quam Plutarchi nomine habemus. Quarum prior, in qua uno saltem folio de Homeri genere, patriaque agitur, & poeseos ejus explicandæ initium factum est, deficientibus cæteris, Plutarchum mea quidem sententia auctorem habet. Sequitur deinde nova narratio generis, patriæ & poeseos Homeri absoluta. Posterior hæc Homeri integra vita cujus sit auctoris, incertum puto. Istam Homeri vitam Lampriæ catalogi posteriore sui parte mutili fragmentum superstes non memorat, an autem in deperdita ejus parte facta fuerit mentio, non liquet. Gellius XX. 8. laudat quartum commentarium Plutarchi in Hesiodum, quem a vita Hesiodi, de qua supra diximus, vix diversum esse judicamus. Cæterum de commentatoribus Hesiodi, quales præter hunc Plutarchum fuerunt Aristonicus Grammaticus Alexandrinus, Demetrius Adramittenus, Demosthenes Thrax, Dionysius Corinthius, Johannes Diaconus, Moschopolus, Proclus, Tzetzes, Zenodotus Alexandrinus aliique: itemque de commentatoribus Homeri, alibi plura. Neque tandem prætermittendum est, quod notavit Eunapius, Plutarchum suam ipsius vitam præceptorisque sui Ammonii, sed per libros suos dispersam tradidisse, quod ita se habere diligens lectio probavit. Meminit Plutarchus *nominis sui L. de superstit. an seni ger. Resp. de animi tranquill. de prac. connub.* & *epist. consol. ad uxorem*. Chæroneam Civitatem patriam nominat vita Syllæ, Luculi, Demosthenis, in problem. Rom. lib. de fortuna Rom. *Bœotiam* regionem patriam memorat L. I. de esu carnium, Sympos. VII. 4. de Herod. malign. de civili instit. & quæst. Rom. Avi sui *Lampriæ* meminit

nit vita Antonii & Sympos. I. 5. IX. 3. Hic Lamprias * exponit *L. de Oraculorum defectu*, sermones habitos cum Demetrio Tarsensi Grammatico, Cleombroto Lacone, Ammonio Philosopho, Heracleone Megarense, Didymo Cynico Planetiade, Philippo qui Aemilianum Rhetora filium Epitherfis ** (sub Tiberio hic vixit & Grammaticus fuit Nicenus, cujus libros recenset Stephanus Νίκαια) audivit. Idem Lamprias *L. de facie in luna*, exponit colloquium cum Sylla, Aristotele, Apollonide, Lucio, Pharnace, Theone habitum. Ad *Uxorem* consolatoriam epistolam scripsit. Fratres habuit *Lampriam* juxta Sympos. II. 2. VIII. 4. & L. de ei apud Delphos. *Timonem* juxta Sympos. I. 2. & lib. de fratrum amore. Affines suos nominat *Cratonem* Sympos. I, 4. *Patroclem* Sympos. II. 9. Filios habuit non paucos, Sympos. VIII. 6. *Autobulum* & *Plutarchum* nominat præfatione L. de anim. procr. e Timæo. De illo forte intelligenda corrupta verba Eusebii Chron. num. Abrahamæo MMCXXXV. πλέταρχ☉ Χαιρωνεὺς Σέξτ☉, καὶ Αγαθόβελ☉ φιλόσοφοι ἐγνωρίζοντο. Autobulum filium suum iterum nominat Plutarchus, ejusque nuptiis Sossium Senecionem interfuisse scribit, Sympos. IV. 3. adde Sympos. VIII. 2. 10. & ἐρωτικὸν, in quo Autobulus sermonem patris cum Daphnæo, Archidami F. Soclaro, Aristionis F. Protogene Tarsense, Zeuxippo Lacedæmonio, Anthemione, Pisia, Bacchone, Pempride sub Trajano Imp. post eradicatam Vespasiani stirpem habitum, Flaviano exponit. Ipse Autobulus cum Soclaro, Aristotimo, Optato, Nicandro Euthydami F. Heracleone Megarense, Philostrato Euboeense & Phædimo conloquitur, in L. *de solertia animal.* Huic autem Plutarcho juniori vereor ne quidam libri tribuendi sint, qui parenti adscribuntur. *Lampriam* quoque filium habuit teste Suida Λαμπρίας, a quo diversus Lamprias ille Philosophus, quem cum Diogene Philosopho sibi æqualem esse indicat Julianus Imp. epist. pro Argivis fol. CCLXIV. *Euridice* videtur filia Plutarchi fuisse, cui & Polliano marito conjugialia præcepta inscripsit. *** Nepotem habuit *Sextum* Præceptorem, Marci Imp. apud Capitolinum, laudat eum Apulejus Metam. I. p. Himerius apud Photium Ecl. CCXLIII, Philostratus L. II. de Sophist. *Herodes*. Suidas

* *Vid. III. Moral. Plut. p. m. 618.*
** *Plut. d. l. p. m. 526.*
*** *Sed unde colligere potuit Tonsius, eam Plutarchi fuisse filiam?*

das Μάρκ⊙ & Σέξτ⊙ Laudat *Patroclem* γαμβρὸν Sympos. VII. 2. Πενθερὸν *Alexionem* Sympof. VII. 3. E posteris ejus fuit Apulejus, ut hic gloriatur initio L. I. Metam. Servum habuit Onesimum teste Galeno L. *de optimo doc. genere contra Favorinum*. Sodales, convivæ & familiares, quos in Sympofiacis laudat, hi fere sunt: Agemachus, Alexander Epicureus, Alexicrates, Ammonius, Antipater, Apollonides Tacticus, Apollophanes Grammaticus, Ariſtænetus Nicenus, Ariſtio, Ariſtodemus Cyprius, Athryilatus Thaſius Medicus, Boethus Epicureus, Cajus Cæſernius, Flori gener, Callias, Calliſthenes Sophiſta, Calliſtratus, Caphiſus Theonis F. Chæremonianus Trallianus, Crato Medicus, Democritus, Diogenianus Pergamenus, Dionyſius Melitenſis, Dorotheus Rhetor, Euſtrophus Athenienſis, Euthydemus ὁ σθνιεὺς, qui & συνιερεὺς fuit Plutarcho, Favorinus, Firmus, Glaucias Rhetor, Hagias, Hermeas Heometra, Herodes Rhetor (alius hic eſt ab Herode Attico, cujus Gellius meminit & Philoſtratus) Hylas Grammaticus, Lucius Flori filius, Lycanias, Lyſimachus, Marcio, Marcus Grammaticus, Maximus Rhetor, Menephilus Peripateticus, Meniſcus Pædotriba. Metrius Florus (etiam Suetonio *Veſpaſ.* §. 22. laudatus) Milo, Moeragenes, Moſchio Medicus, Niceratus Macedo. Nicias Nicopolita Medicus, Nicoſtratus, Niger, Olympicus, Oneſicrates Medicus, Philarchus Florus, Philinus, Philippus Pruſienſis Stoicus, Philopappus, Polycrates, Praxiteles περιηγητὴς, Protogenes Grammaticus, Sarapio, Satyrus, Soclarus, Soſicles Coronenſis Poeta, Soſpis, Soſſius Senecio, Strato, Symmachus Thebanus, Themiſtocles Stoicus (alius hic eſt a Themiſtocle Stoico Longini æquali apud Porphyrium vita *Plot.*) Theo Grammaticus, Thraſyllus Ammonii F. Timo, Trypho Medicus Chæronenſis, Tyndares Lacedæmonius, Xenocles frater Glauciæ, Zeno Medicus, Zopyrio Grammaticus, Zopyrus Medicus. Porro M. Sedatus, Nicander, Antiochus Philopappus, Soſſius Senecio, Cornelius Pulcher, Apollonius, Pollianus & Eurydice, Trajanus Imp. Clea, Sarapio, Terentius priſcus, Paccius, Nigrinus & Quintus, Herculanus, Cynius, Piſo, Euphanes, Menemachus, Alexander, Saturnius, II. ſunt, quibus varios ſuos libellos dedicavit Plutarchus. Vixit ſub *Nerone* Plutarchus. Etenim, quo tempore hic apud Delphos eſt peregrinatus, Ammonium diſſerentem audiebat, teſte L. de ei apud Delphos. Meminit Neronis tanquam ſua ætate viventis, vita Antonii & Q. Flaminii. *Veſpaſianum* æqualem laudat ἐρωτικῷ & L. de ſolertia anim. *Titum* L. de tuenda ſanit. *Domitianum* vita Numæ, & Poplicolæ; in

quæſt.

quæst. Rom. & præceptis Polit. Post Vespasianum cum stirpe sua exstinctum sermonem habuit, quem Autobulus *ἐρωτικῷ* recenset. *Trajano* Apophtegmata politica inscripsit. Fuit Bæotarchus & Eponymus. Ammonii Præceptoris sui crebram facit mentionem L. de disc. amici & adul. de facie in Luna L. IX. Sympos. alibi. Sed nolim hic diutius hærere, plura hoc de Plutarcho, si cui legere lubet, addat, quæ de ejus vita consignaverunt Henr. Stephani, Joannes Rualdus, Decius Celer. Liceat saltem nonnullos Plutarcho nostro *ὁμωνύμους* enumerare. (1.) Plutarchus quidam fuit Eretriensis, notus ex Aeschine *orat. contra Ctesiph.* Demosth. *Orat. in Midiam*, Plutarcho *parall. maj. Phocione.* (2.) Plutarchus quidam fuit pater Attici, avus Herodis Julii Sophistæ, teste Suida Ἡρώδης. Atticus autem ille Plutarchi hujus Filius, Platonicus fuit suæ ætatis celeberrimus, cujus ut & Severi, Cronii, Numenii, Caji Philosophorum Platonicorum scripta Plotinus sedulo legit, teste Porphyrio, *vita Plotini.* Fuit hic Atticus Plutarcho Chæronensi æqualis, qui Attici meminit L. *περὶ Μοναρχίας.* Fuit sub Nerva, teste Philostrato, de Sophistis, lib. II. *vita Herodis*; unde illa Eusebii lib. I. Chron. sub M. Aurelio Ἀττικὸς Πλατωνικὸς φιλόσοφος de Herode Attico filio potius interpretenda sunt. Ex Attico illo Platonico egregia fragmenta de dissensu Platonis & Aristotelis, super quæstione, de ultimo fine hominis, sive summo bono humano (duplex enim summum bonum est juxta Aristotelem, humanum & divinum, de quo vide quæ diximus L. I. cap. 1.) de Providentia, de ortu, de quinta Corporum Substantia, de rebus cælestibus, de immortalitate animæ adfert Eusebius L. XV, *de prep. Evang.* Theodoretus *Θεραπ.* L. VI. & XII. Herodes vero Attici filius Præceptoribus usus est Polemone, Favorino, Secundo Atheniense Rhetoribus; Theagene Cnidio, Munatio Trallense Criticis: Tauro Tyrio Platonico, mortuus anno ætatis LXXVI. teste Philostrato de Sophistis L. II. *Herodes.* Præceptor fuit Ptolemæi Naucratitæ & Chresti, teste eodem. Cum vero hic Herodes sub M. Antonino floruerit, patet errare interpretes, qui Herodem (modo lectio sana est) poetam illum apud Plinium L. IV. *epist.* cum nostro eundem esse censent. Verum Philostratus L. II. de Sophistis *vita Herodis* huic Herodi patrem quidem fuisse Atticum, avum vero Hipparchum tradit, de cujus loci vera lectione dispiciendum prius erit, ut sciatur recte hic de eo agatur, an secus. Laudat præter alios hunc Herodem Attici F. Theophylactus epist. LXXI. (3.) Plutarchus

noster

noster antiquus Chæroneus. (4.) Filias ejus Plutarchus junior. (5.) Plutarchus Alexandrinus Grammaticus Deipnosophista est apud Athenæum, teste hypothesi librorum Athenæi, & libro III. c. 32. (6.) Plutarchus Heraclæ, qui A. C. CC XXXI. sub Alexandro Mammææ juxta Eusebium *Chron.* Alexandriæ Episcopus constitutus est, frater; discipulus autem Origenis sub Commodo A. C. CLXXXV. nati, cujus opera atque informatione a Gentilium erroribus ad Christianam fidem conversus, martyrio vitam finire voluit, de quo videndus Eusebius *Hist. Eccles.* VI. 3. 4. Martyrologia Romana Vetus & commune, Francisci item Maurolyci ad diem XXVIII. Julii. (7.) Plutarchus quidam subscripsit concilio Sardicensi, habito circa A. C. CCCXLVII. apud Athanasium Apolog. II. (8.) Plutarchus Nestorii F. Atheniensis Philosophus fuit, de quo infra in Proclo, cujus præterea meminit Marinus *vita Procli*, Suidas Νικόλαος. Synesius epist. CXXXV. de discipulis hujus: *ἡ ξυνωρὶς τῶν σοφῶν Πλουταρχείων, οἵτινες οὐ τῇ φήμῃ τῶν λόγων ἀγείρουσιν ἐν τοῖς θεάτροις τοὺς νέους, ἀλλὰ τοῖς ἐξ Ὑμηττοῦ σταμνίοις. Cœtus sapientum Plutarcheorum, qui non orationum suarum fama juvenes in theatris congregant, sed mellis ex Hymetto amphoris.* Plutarchum Atheniensem quendam laudat Inscriptio apud Gruterum fol. 317.

CAP. VII.

1. Philo Byblius de inlustribus cujusque civitatis viris egit. 2. Maximus Ægiensis, & 3. Moeragenes de Apollonio Tyaneo scripserunt. 4. Dorotheus de Antiphane Plinius, Iunior an de viris inlustribus scripserit? 5. Adrianus Musarum patronus. 6. Arrhianus de vita Epicteti Stoici. 7. Favorinus non scripsit Metroum. Error Vossii ex eo historiam nostram crebro inlustrat Diogenes. 8. Oenomaus de Philosophia Homerica & Cynismo egit. 9. Pollio Valerius Musonii dicta & facta memorabilia tradidit. De Musonio varia. Varii Musonii.

1. Post

I.

POst cædem Domitiani, tranquilliorem expertæ ſunt Muſæ fortunam ſub Nerva & Trajano, optimis principibus, quorum hic illius filius adoptivus erat. Sextus Aurelius Victor de Nerva: *Hic Trajanum in liberi locum inque partem imperii adoptavit, cum quo tribus vixit menſibus.* Unde & Nervæ nomen propter adoptionem Trajano inditum eſt, qui in Nummis & Inſcriptionibus dicitur plerumque Imp. Cæſar. Nerva Trajanus. Epitome Dionis: ὅθεν ὁ Νερȣ̃αν διὰ τὸ γῆρας ȣ̃τε καταφρονȣ́μενος ἀνέβη τε εἰς τὸ Καπιτώλιον καὶ ἐφηγεγωνήσας. Αγαθῆ τύχη τῆς τε Βȣλῆς καὶ τȣ̃ Δήμȣ τῶν Ρωμαίων καὶ ἐμȣ̃ αὐτȣ̃ Μάρκον Οὔλπιον Νερȣ̃αν Τραϊανὸν ποιȣ̃μαι. *Vnde & Nerva ob ſenectutem contemtus Capitolium aſcendit, ibique magna voce, Quod felix, inquit, fauſtumque ſit Senatui Populoque Romano, mihique ipſi, Marcum Vlpium Nervam Trajanum adopto.* De Trajani in litteras adfectu teſtatur Sextus Aurelius: *Eruditiſſimos, quamvis ipſe parca eſſet ſcientia, moderateque eloquens, diligebat:* Huic Trajano Plutarchus Apophthegmata ſua inſcripſit.

Floruit ſub hoc etiam Philo Herennius Byblius Grammaticus, qui magnam hiſtoriæ noſtræ operam navabat eamque mire inluſtrabat, triginta libris, περὶ πόλεων, καὶ ȣ̃ς ἑκάςη αὐτῶν ἐνδόξȣς ἤνεγκε, *de urbibus, & quos earum quaque celebres genuerit,* teſte Suida Φίλων. Bernardus a Mallincrot *Paralip.* Philonem eum qui de viris inluſtribus ſcripſit a Voſſio non obſervatum eſſe fruſtra queritur. meminit ejus Philonis Biblii Voſſius L. II. *de Hiſt. Gr.* c. 10. Mallincrot autem hujus ſui inventi Philonis, quem a Voſſio prætermiſſum eſſe opinatur, Simlerum & Friſium præfatione ſuæ bibliothecæ meminiſſe dicit, Sed Friſius præfatione illa Philonis non meminit. Simlerus vero & in præfatione & in ipſa Bibliotheca Philonem quendam nominat, qui de viris inluſtribus ſcripſerit, & quem in præfat. Philonem ſimpliciter vocat, hunc Philonem Byblium in Bibliotheca adpellat, ut ita cautius loquutum oporteat Mallincrotum. Cæterum ſi ſuperarent hi Philonis libri, multis jam rixis de patria virorum inluſtrium facile foret remedium. Meminit hujus Philonis etiam Euſtathius ad il. λ fol. 796. Eumdem hunc credo Philonem intelligi apud Tatianum, λόγῳ πρὸς Ελληνας, ubi ὁ τȣ̃ς βίȣς τῶ φιλοσόφων ἐπ' ἀκριβὲς πραγματευσάμενος dicitur, de quo infra in Lætus.

2. Maximus Aegienſis de Apollonio, Tyaneo, Pythagorico, nonnulla

nulla litteris prodidit, gesta scilicet ab ipso Aegis. Vide Philostratum lib. I. *vita Apoll. c. 5.* *

3. Moeragenes vero Apollonii Tyanei res gestas quattuor libris est prosequutus, quorum meminit quidem Philostratus vita Apoll. I. 4. III. 13. sed negligentiæ eum arguit.

4. Circiter hæc tempora vixisse videtur Dorotheus Ascalonita, Grammaticus, cujus meminit Stephanus *ἀσκαλών*. Scripsit is *περὶ Ἀντιφάνȣς de Antiphane*, teste Æmiliano apud Athenæum XIV. 23. Vereor autem, ne Grammaticum fuerit opus. Vide, quæ de eo in Grammaticis dicimus.

** 5. Trajano successit Ælius Adrianus, Trajani consobrinus, Imp. Cæsar. Trajanus Hadrianus in Nummis & Inscriptionibus dicitur. Erat hic *μȣσικώτατος βασιλεὺς*, *Rex eruditissimus*, juxta Athenæum, III. 29. *Hic Græcis literis impensius eruditus, a plerisque Græculus est adpellatus: Atheniensium studia moresque hausit non sermonem tantum, sed & cæteris disciplinis canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, Geometra, pictor*, ut habet Sexti Aurelii Victoris epitome. De ejus in doctos benivolentia audi Theodorum Metochitam *Hist. Rom.* Τȣ̀ς θεραπευτὰς τȣ̃ λόγȣ μεγάλως ἐδεξιȣ̃το, συνεπομένȣς ἔχων αὐτῷ, καὶ ȣ̃ς ᾔδει ἄνδρας σοφȣ́ς. *Viros doctos magno amore complectebatur, & quos sapientes nosset, in comitatu semper habebat.* Sextus Aurelius Victor de eodem: *Ælius Hadrianus Romam regreditur, ibi Græcorum more seu Pompilii Numæ, ceremo-*

---

* *Vixit eodem tempore, quo Damis, Assyrius, qui ejusdem Apollonii T. vitam perscripserat.*

** *Trajano Imp. gratissimus inter alios fuit etiam C. Plinius Cæcilius Secundus, Junior, Novocomensis patria, qui locum inter nostros mereri potuisset propter* Librum de viris inlustribus; *sed is illi perperam adtribuitur, notante Vossio L. de H. L. I. 30. itemque Fabricio in B. L. p. 487. 573. Meliori jure laudare suo loco nos decuisset C. Plinium Secundum, Majorem, patria Veronensem, ob eximium & nunquam satis laudatum* Opus, *ut vocat Vossius*, Historiæ Naturalis, *quo miram rerum omnium naturam & varietatem* Libris XXXVII. *complexus est. Inprimis optandum, ut capita ista, quæ de originibus & inventoribus rerum agunt, ut sunt potissimum Cap. 49. L. V. & 86. L. VI. erudito commentario instruerentur.*

ceremonias, leges, gymnasia, Doctoresque curare occepit: adeo quidem, ut etiam ludum ingenuarum artium, quod Athenæum vocant, constitueret. Simili modo & Athenis Adrianus Gymnasium de suo nomine dictum, ædificandum curavit, teste Pausania *Atticis.* Spartianus de eo c. 9. *Professores & honoravit & divites fecit, licet eos quæstionibus semper agitavit. In summa familiaritate Epictetum & Heliodorum, Philosophos, & (ne nominatim de omnibus dicam,) Grammaticos, Rhetores, Musicos, Geometras, Pictores, Astrologos habuit: præ cæteris (ut multi asserunt) eminente Favorino. Doctores qui professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos honoratosque a professione dimisit.*

6. Inter complures, qui sub Adriano floruerunt, doctos viros reperti quoque sunt, qui Philosophorum Historiæ conscribendæ se dederint. Arrhianus, Stoicus ille Nicomediensis, celebris, Epicteti Hierapolitæ Phrygis Stoici discipulus hac ætate vixit, meminitque ejus Lucianus Alexandro Ψευδομ. Gellius XIX. 1. *librum* inquit, *protulit Epicteti Philosophi quintum* διαλέξεων, *quas ab Arrhiano digestas congruere scriptis Zenonis & Chrysippi non dubium est* Scripsit *de vita & morte* Epicteti, præceptoris sui. Testis est Simplicius proœm. Comment. in Enchir. Epicteti. περὶ μὲν τοῦ βίου τοῦ Ἐπικτήτου, καὶ τῆς αὐτοῦ τελευτῆς Ἀῤῥιανὸς ἔγραψεν, ὁ τὰς Ἐπικτήτου διατριβὰς ἐν πολυστίχοις συντάξας βιβλίοις, *de vita Epicteti, ejusque morte Arrhianus scripsit, qui ejusdem quoque dissertationes prolixis libris digessit.* Epictetus autem vixit sub Domitiano. Et vix credo, de eo vere dici posse, quæ habet Themistus, Orat. III. quæ est in laudem Jovin. *Magnus Trajanus Dionem aurea lingua virum, Epictetum duo Antonini magno in pretio habuerunt*, si verum est, quod Suidas eum Neronis tempore vixisse scribit. Fuit ille Epictetus *Stoicorum maximus* judicio Gellii I. 2. Lepidam de hujus Epicteti lucerna historiam habet Lucianus *Dialogo ad indoctum multos libros coementem* ubi indoctus ille eam tribus millibus drachmarum emit persuasus fore, ut si ad eam lucubraret, majore facilitate ad eruditionem perveniret.

7. Favorinus itidem Epicteti auditor fuit, teste Gellio XVII. 19. Nomen ejus Latinum est, a Favor derivatum, ut a Censor Censorinus. Patriam habuit Arelaten Galliæ, & corpore fuit Androgynus, vixit sub Trajano & Adriano, ut auctor est Suidas Φαβωρῖνος. Idem Suidas Ἀδριανὸς auctor est Adrianum Augustum, qui doctissimus omnium videri volebat, neque doctiorem se ferre poterat, tanta hujus Favorini &

Dionysii Milesii Sophistæ tum temporis doctissimorum virorum odio atque invidia aliquando flagrasse, ut eos tollere conatus fuerit. Vossius diligentissimus atque utilissimus scriptor L. II. *de Hist. Gr.* c. 10. ubi de Favorino agit, librum Μητρῷον ab eo scriptum esse notat, eumque a Laert. L. II. *Socr.* citari his verbis Parenthesi inclusis, Φησὶ Φαβωρῖνος ἐν τῷ Μητρῴῳ. Verum aliena hæc sunt a Laertii mente, qui postquam de Socratis damnatione variisque rescriptis & decretis contra Socratem egerat, addit: ἀνάκειται ἔτι καὶ νῦν, Φησὶ Φαβωρῖνος, ἐν τῷ Μητρῴῳ. Ita distinguenda sunt Græca Laertii verba, quæ alias uti in vulgatis codicibus leguntur, facile Vossio imponere potuerunt. Sensus verborum hic est. *Servatur* sententia nimirum damnatoria & decretum in Socratem *adhuc* Athenis *in Metroo* sive Archivis, *ut inquit Favorinus.* Atque his verbis ipsum decretum integrum subjungitur. Μητρῷον autem erat ædes Matris Deum Athenis, ubi leges & decreta asservari solita sunt, Tabularium Latini adpellant. vide Doctissimum Bernardinum Baldum L. de Vitruvianorum verborum significatione, voce *Tablinum.* Suidas Μητραγύρτης. ἐρχῶντο τῷ Μητρῴῳ ἀρχείῳ καὶ νομοφυλακείῳ. Idem habet Michael Apostolius proverb. Μητραγύρτου θάνατος. Lycurgus moriturus in Metroum se jussit portari, ut administratæ Reip. rationem redderet, teste Plutarcho L. de X. Rhetoribus *Lyc.* Apellicon Tejus, cum antiqua scripta undique conquireret, ex Metroo surripuit autographa vetustatis maximæ, teste Athen. V. 14. Auctor indicis in Athen. Metroum Phrygiæ quoddam oppidum inde fingit atque exstruit satis inepte: adde quæ de Metroo habet Meursius noster *Lect. Att.* I. 11. Casaubonus jam notis ad Laertii locum citatum, errorem istum notavit, quod Vossius ignorare non debuit. Lamprias Elencho librorum Plutarchi apud H. Stephanum epistolam Plutarchi ad Favorinum de amicitia enumerat. In Catalogo Lampriæ, qui Plutarchi operibus hic impressis præfigitur: Επιστολὴ πρὸς Φαβορῖνον & περὶ Φιλίας, tanquam duo distincta Plutarchi scripta recensentur. Plutarchus ei librum *de primo frigido* inscripsit, tempore belli Dacici sub Trajano, ut circa finem ipse indicat. Frequenter ejus ὑπομνήματα, & libros παντοδαπῆς ὕλης ἱστορικῆς, ad Philosophorum vitas exponendas adhibuit Laertius. Suidas eum περὶ Σωκράτους καὶ τῆς κατ' αὐτὸν ἐρωτικῆς τέχνης, Itemque περὶ Πλάτωνος & περὶ τῆς διαίτης τῶν Φιλοσόφων, scripsisse, auctor est Φαβ. Favorini librum περὶ τῆς Ακαδημαϊκῆς διαθέσεως, qui

Πλουταρ-

Πλάταρχος inscribitur: librum *ad Epictetum*, in quo Onesimus Plutarchi servus cum Epicteto disputans introducitur: librum *ad Alcibiadem*: & tres ejus libros, quorum primus ad Adrianum, alter ad Drysonem, tertius ad Aristarchum, qui inscribuntur *de comprehensiva imaginatione*, citat Galenus L. περὶ τῆς ἀρίστης διδασκαλίας, sive de optimo docendi genere contra Favorinum. Idem Galenus contra Phavorinum, pro Socrate librum scripsit, quod ipse indicat L. *de libris propriis* c. 13. Itemque contra Phavorinum pro Epicteto cap. 11.

8. Oenomaus Cynicus Gadarensis, Porphyrio paullo superior juxta Suidam οἰνόμαος, cum Plutarcho, Sexto, Agathobulo sub Adriano A. celebris, teste Eusebio, Hieronymo, & Mariano Scoto *Chronicis*. Scripsit περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον φιλοσοφίας, *de Philosophia Homerica*, teste Suida οἰνόμ. Nimirum uti nunc omnes Christianorum sectæ suam sententiam codici sacro consentaneam esse volunt & probant: ita olim Homerus quasi fons habebatur, e quo sua quæque Philosophorum gentilium secta dogmata derivabat. Seneca epist. LXXXVIII, *Homerum quidam faciunt Philosophum Stoicum, virtutem solam probantem & voluptates refugientem & ab honesto ne immortalitatis quidem pretio recedentem: modo Epicureum, laudantem statum quietæ civitatis & inter convivia cantusque vitam exigentis: modo peripateticum, bonorum tria genera inducentem: modo Academicum, incerta omnia dicentem:* Ex Homero omnium pene Philosophorum sententias derivat Plutarchus ille L. *de Homero.* Homerum Pyrrhoniæ sectæ principem atque auctorem fuisse voluerunt Sceptici apud Laertium L. IX. *Pyrrh.* & Suidam Πυῤῥωνείων Metrodorus Lampiacenus Anaxagoræ familiaris, Physica sua ex Homero hausit, teste Laertio L. II. *Anaxag.* Ex eo factum est, ut *de Homeri Philosophia* scripserint Favorinus, Maximus Tyrius, Oenomaus noster & Porphyrius, teste Suida vitis eorum, quorum singuli suæ sectæ dogmata ex eo derivatum iverunt. Cassius Longinus, Platonicus, Porphyrii Præceptor, sub Valeriano librum εἰ φιλόσοφος Ὅμηρος; *An Homerus fuerit philosophus?* scripsit, teste Suida λογγ. Scripsit hic Oenomanus περὶ Κυνισμοῦ, *de secta Cynicorum*, itemque περὶ Κράτητος, καὶ Διογένους, καὶ τῶν λοιπῶν, teste eodem Suida, οἰνομ. ut ita omnium Cynicorum historiam nobis tradiderit, sive tradere potius voluerit. Mentionem autem Cynicorum plurimorum fieri observamus, Cratetis, Diogenis, Demetrii, Menippi, Musonii, Carneadis, Isidori, Crescentis, Sphodriæ,

driæ, Theagenis, Didymi, Athenagoræ, Alcidamantis, Salustii, Meleagri, Cynulci,* Hegesianactis, Menandri, Polyzeli, Theomnesti, Xanthippi, Herophili, Peregrini sive Protei, Maximi, Hesperii, Demonactis, Onocrati, ** confer Laertium L. VI. Meminit quoque hujus Oenomai Theodoretus *θεϱ.* Serm. VI. & X. ubi ipse & Diogenianus de oraculorum mendaciis scripsisse dicuntur.

9. Pollio Valerius Alexandrinus, sub Adriano floruit, teste Suida Πωλλίων, idem omnino, quem inter Grammaticos Latinos Marci Antonini præceptores numerat Capitolinus. Idem etiam Auctor Lexici Photio, Ecl. CXLIX. laudati & pater Diodori Valerii apud Suidam *Διόδωϱος* & Πωλλίων. Scripsit *ἀπομνημονεύματα Μουσωνίου τοῦ Φιλοσόφου*, *memorabilia dicta & facta Musonii Philosophi*, quem librum perperam Pollioni antiquo sub Pompejo M. celebri tribuit Suidas. Huic enim nostro Pollioni tribuendum esse eum, ætas Musonii postulat. Vivebat temporibus Neronis Musonius Rufus Tyrrhenus, *equestris ordinis studium Philosophiæ & placita Stoicorum æmulatus*, ut loquitur Tacitus *Hist.* III. 81. I. *Musonius & Plutarchus philosophi clari habentur*, ut inquit Marianus Scotus L. II. ad A. C. LXXI. ad annum XIII. Neronis. Laudat eum jam sub Nerone idem Tacitus *Annal.* XIV. 59. 2. & XV. 71. VI. Post sub Vitellio *Hist.* IV. 10. I. Munitionum præfectus erat, sed a Nerone exulare jussus est, teste Philostrato L. VII. Xiphilino & Suida. Laudat tamen nihilominus Neronis *ἐπιείκειαν* in Musonium Themistius *Orat. πεϱὶ ἠτυχηκότων.* Revocatus tandem est ab exilio per Vespasianum Imp. Hoc enim imperatore Musonius Romæ fuit, Mucianum Philosophorum adversarium Vespasiano auctorem fuisse, ut Philosophi Roma ejicerentur, pulsosque fuisse, præter Musonium, omnes, tradunt Xiphilinus & Zonaras Egnatium Celerem Philosophum a Musonio Rufo sub Vespasiano damnatum fuisse, docet Tacitus *Histor.* IV. 10. 4. & scholiastes Juvenalis. Male itaque Hieronymus, & qui hunc sequitur, Marianus Scotus, *Chron.* ad annum Titi II. *Titus Musonium Rufum Philosophum de exilio revocat.* Impressit tandem Musonius Tyrrhenus tanquam Munitionum

---

* *Id non proprium sed appellativum nomen esse, bene observavit clariss. Heumannus in Actis Philos. p. 10. 11. Sic Theodorus* Κύνουλκος *a Fabricio additur in Bibl. Græca L. IV. c. 20. p. 631.*

** *Recte Plato Cynicus omittitur, quia nullus fuit.*

tionum Præfectus, Hierosolymis solo æquatis, aratrum ad perpetuam desolationem testandam, ut Judæi in Talmude notant, qui eum Turanum Rufum adpellant. Scaliger Musonium Rufum equestris ordinis Stoicum alium esse suspicatur a Musonio Rufo Tyrrheno munitionum præfecto in exilium pulso. Verum quidem est, satis caute in historia Scaligerum versari, neque nihili esse habendam ejus conjecturam: hic tamen ejus opinioni contradicit Tacitus Auctor gravis, qui *Annal.* XIV. 59. 2. de Plauto scribit, ei *doctores sapientiæ Caranum* (Plinio *Hist. Nat.* L. I. ad Auctores L. II. laudatum) *Græci, Musonium Thusci generis, constantiam opperiendæ mortis pro incerta & trepida vita suasisse.* Unde colligimus Musonium, Stoicum illum Philosophum, & Musonium Thuscum, sive Tyrrhenum, fuisse unum eundemque quandoquidem hic Musonius Stoicus esse cognoscitur e consilio de morte constanter ferenda. Musonium hunc Philosophum Suidas a Nerone propter nimiam dicendi libertatem occisum esse, tradit in voce Μασώνιος. Sed in Κορνοῦτος Cornutum Leptitanum illum Grammaticum cum Musonio sine temporis mentione occisum dicit. * Tempus exprimit Gellius, qui L. II. c. 6. Annæum Cornutum sub Nerone occisum esse refert. ** At in exilium eum fuisse pulsum, tradunt Hieronymus *Chronicis* & Xiphilinus *Nerone.* Sed potest utrumque esse verum. Erat autem Cornutus ille Stoicus & Persii magister ad quem Persius Satyram suam quintam scripsit: diversus autem fuerit necesse est hic Cornutus ab illo Plinii familiari sub Nerva, de quo Plinius L. IV. epist. 17. v. 15. ubi Cornutus Tertullius dicitur; alius item Cornutus Medicus occurrit in nummo Goltziano. Quod si tum Musonius occisus esset, omnino diversus foret Musonius præfectus munitionum sub Vespasiano ab exilio revocatus. Sed lapsus est Suidas: cum Musonius pulsis cæteris Philosophis, solus Romæ sub Vespasiano remanserit, ut supra vidimus. Non occidit eum Nero, sed exulari jussit, quæ Neronis erat æquitas juxta Themistium. Julianus Imp. *epistola quadam apud Suidam* Μασ. Musonium Philosophum βάρεων, murorum præfectum, & a Nerone in exilium pulsum fuisse tradit; ut ita nullum sit discrimen inter Musonium Philosophum, & Musonium βάρεων ἐπιμελητήν.

* *Imo aperte ait, fuisse Romæ* ἐπὶ Νέρωνος.
** *Imo tempus hoc Gellius tacet: tacet quoque occisum esse; tantum Grammaticum vocat eum ætatis superioris.*

μελητήν. Sed rationem ſuæ conjecturæ hanc adfert Scaliger, quod Muſonius Philoſophus nullibi dicatur in exilium pulſus eſſe, id quod de Muſonio Tyrrheno verum ſit. Certum eſt Muſonium ſub Veſpaſiano non fuiſſe cum reliquis Philoſophis Roma pulſum, quod bene notat Scaliger. Sed a Nerone eum ejectum eſſe, hiſtoriæ docent. Anonymus Ολυμ. ἀναγρ. ad Olymp. CCXI. 2. Θρασέας καὶ Σωρανὸς ὑπὸ Νέρωνος ἐθανατώθησαν, Μεσώνιος ὁ φιλόσοφος ἐξωρίσθη. Idem confirmat Lucianus L. *de Morte Peregrini*. Sed adde quæ dicta ſunt. Atque hic Muſonius Philoſophus Stoicus celeberrimus, forte etiam ſocer Artemidori illius apud Plinium L. III. *epiſt.* II. multos edidit libros, multas epiſtolas juxta Suidam. Aliquot ejus libellos laudat Stobæus: dictum quoddam ejus citat Fundanus iſte apud Plutarchum L. *de ira cohib.* Meminit ejus & *Gellius* XVI. 1. XVIII. 2. IX. 2. Fuit præter hunc Muſonius Philoſophus Cynicus, quem cum Carneade, Demetrio & Menippo inter inluſtriores Cynicos, tempore Apollonii Tyanei numerat Eunapius *præfat.* Illius tamen Muſonii Stoici celebrioris, quippe res geſtas & dicta memorabilia Pollionem noſtrum litteris prodidiſſe, exiſtimo, ut ita Suidas erret, qui Pollioni Aſinio Pompeji M. ætate celebri, ἀπομνημονεύματα iſta perperam tribuit, cum poſt Aſinii hujus obitum Muſonius Stoicus demum natus ſit. Neque enim alterius Muſonii Philoſophi mentionem ante Pompeji M. tempora usquam obſervamus. Laudat *Muſonium Pamphylium* Suidas Μαρκιανὸς. *Tyrium* Lucii & Herodis: Attici ſub M. Antonino familiarem Philoſtratus Sophiſt. L. II. vita Herodis qui forte eſt ille apud Origenem L. III. contra Celſum & omnino ille Hermogenis auditor ſub M. Antonino apud Suidam Ἑρμογένης. *Babylonium* Ἀπολλωνίου δεύτερον a Nerone Philoſophorum inimico in carcerem detruſum memorat Philoſtratus, *vita Apollonii* IV. 12. cum hoc per litteras conloquitur (non cum Muſonio Tuſco Stoico ut male ſentit Suidas) Apollonius internunciis Menippo Cynico & Damide, teſte eodem Philoſt IV. 16. Forte hic eſt Muſonius ille Cynicus, cujus Eunapius meminit, quoniam Apollonius ille Cynicorum familiaritatem minime aſpernabatur. Demetrius ille ἀνὴρ ξυνειληφὼς, ἅπαν τὸ ἐν κυνικῇ κράτος, οὗ Φαβωρῖνος ὕστερον ἐν πολλοῖς τῶν ἑαυτοῦ λόγων οὐκ ἀγεννῶς ἐπεμνήσθη. Apollonium ſequutus eſt & Menippo Lycio annos XXV. nato familiari ſuo, ut idem faceret, perſuaſit, apud Philoſtratum *Apoll.* IV. 8. Meminit ejus Demetrii quoque Seneca forte L. VII. *de benef.* c. 1. & 8. Epiſt. XX. LXII. Suetonius

nius X. 13. Tacitus *Hist.* IV. 40. *Annal.* XVI. 34. 2. XVI. 35. 3. Arrhianus *in Epictetum* Lucianus *ad indoctum.* Diversus est Demetrius ille Συνιεὺς, Cynicus, Antiphili medici Alopecensis comes apud eundem Lucianum *Toxari.* Memorat tandem Musonium, Stoicum, *Atheniensem*, Porphyrius vita Plotini &c. *Musonium* Eusebii Alexandrini discipulum & in Sophistica Athenis successorem, Eunapius *Proaresius*, de quo ἐν τοῖς διεξοδικοῖς plura se dixisse ait. Factus ille deinde est Asiæ Vicarius sub Valentiniano, teste Ammiano L. XXVII. Tandem Græcis sive Achajæ Proconsul, teste Himerio apud Photium Ecl. CCXLIII. Hic omnino est ad quem Libanii exstat epistola, adde Suidam Μουσώνιος. Sed nihil hæc pro Suida. Certum itaque est, hæc ἀπομνημονεύματα Pollionis antiqui esse non posse, cui cætera Suidæ memorata Pollionis συγγράμματα Diophanis epitomen &c. tribui, temporis ratio non prohibet. Diophanes enim Bithynus Γεωργικῶν scriptor, cujus epitomen hic Pollio fecit, jam Varroni laudatur L. I. de R. R. c. 9. Meminit quoque ejus Vindanius Anatolius Berytius apud Photium Ecl. CLXIII. ita de cæteris. Sed non abs re fore existimo, si conjecturam meam alteram de Musonio Basso exponam, de quo Plinius lib. VII. *epist.* 31. ad Cornutum: *Claudius Pollio amari a te cupit Musonii Bassi gravissimi civis memoriam tam grata prædicatione prorogat & extendit, ut librum de vita ejus (nam studia quoque sicut alias artes bonas veneratur) ediderit.* Forte itaque hic Pollio hujus Musonii ἀποφθέγματα simul exposuit, quæ a Pollione Tralliano antiquo exposita esse auctor est Suidas. Sed posterior dies dubium hoc omnino eximet.

CAP. VIII.

I. Suetonius de Poetis egit. 2. Dionysius Halicarnasseus Musicorum Historiam literis prodidit. Varii Dionysii, alii certæ: alii incertæ ætatis. 3. Cl. Aelianus Historiarum variarum L. scripsit.

I.

SVetonius Tranquillus, qui apud Hadrianum A. magister epistolarum fuit, posteris similiter prodesse voluit variis libellis, quibus inlustres Grammaticos & Rhetoras exposuit, quorum particulam saltem nobis vo-

racissimum tempus reliquit. Liber *de Poetis* totus ferme periit præter Terentii, Horatii, Lucani & Persii vitam superstitem.

2. Ælius Dionysius, Halicarnasseus, junior, qui sub Hadriano vixit, Musicus dictus, scripsit Μȣσικῆς ἱςορίας βιβλία. λς΄ teste Suida, Διονύσιος ὁ τὴν Μȣσικὴν ἱςορίαν συγγράψας, dicitur eidem Ἡρωδιανός. Librum ejus operis XXIII. citat Stephanus ὑδρέα, ubi Evagem Comicum Hydreatem fuisse notavit. Trigesimum librum laudat Suidas Σωτηρίδας. Egit in illo *de Tibicinibus, citharœdis & poetis*, indice eodem. Scripsit præterea Λεξικὸν Ῥητορικὸν teste Eustathio il. β fol. 181. de quo alibi. Idem forte est ille Ælius Dionysius, e cujus *de urbe Alexandria* libro Sextum Excerptorum suorum librum confecit Sopater apud Photium, Tmem. CLXI. Multos Dionysius enumerat Vossius, quibus non inutile foret hos addi, ut ita ex homonymorum cognitione confusio evitetur (1.) Dionysius, Thebanus, Poeta nobilis fuit circa Olymp. LXX. cujus ut & Pindari, Lampri, Pratinæ & reliquorum Lyricorum carmina didicit Telesias Thebanus, teste Aristoxeno apud Plutarchum *de Mus.* fol. 1142. (2.) Dionysius quidam Atheniensis Χαλκȣ̃ς, sive Æneus fuit dictus, cujus adpellationis rationem sic exponit Athenæus XV. 3. μνημονεύσω τȣ̃ Χαλκȣ̃ ποιητȣ̃ καὶ ῥήτορος Διονυσίȣ. Χαλκȣ̃ς δὲ προσηγορεύθη διὰ τὸ συμβȣλεῦσαι Ἀθηναίοις Χαλκῷ νομίσματι χρήσασθαι. *Mentionem quoque faciam Ænei poetæ & Rhetoris Dionysii, qui propterea sic dictus fuit, quod suasor fuisset Atheniensibus, ut æneo uterentur nummo.* Poetam eum fuisse hic observamus, id quod paullo ante cap. 2. desumtis ex eo elegis clare probat: versus ex eodem adfert idem X. 12. & L. XV. cap. 20 extrema scilicet operis periodo. Plutarchus *Nicia* ejus poemata suo adhuc tempore exstitisse, ejusque filium Hieronem Niciæ tempore circa Olymp. XC. vixisse indicat. Meminit quoque ejus Aristoteles Rhet. III. 2. (3.) Dionysium Atheniensem quendam e Numero produxit Goltzius, quem nostrum esse tuto non licet adfirmare. (4.) Dionysii, cujusdam Grammatici, scholam juvenes honestos ingredi vidit Socrates apud Platonem ἐραςαῖς Olym. circiter XC. Hunc non sine errore Platonis magistrum faciunt Laertius L. III. & Apulejus, nisi forte ea quæ de Socrate dicuntur, de Platone erunt intelligenda, quæ Laertii L. III. est sententia statuentis, Platonem suam sententiam nomine Socratis & Timæi; alienam nomine Gorgiæ, Protagoræ &c. proponere. (5.) Dionysius, Sinopensis Comicus, in fabula *Homonymis* Cephiso-

ſodori cujuſdam Plani meminit, apud Athenæum XIV. 1. ejuſdem fabulæ meminit idem IX. 7. Σώζουσα ejus citatur eidem X. 5. hunc circa Olym. C. vixiſſe opinamur. (6.) Dionyſius, legiſlator apud Siculos, tempore Timoleontis Olymp. CVIII. apud Plutarchum *Tim.* (7.) Dionyſius Bithynus, Dialecticus, teſte Strabone L. XII. Forte idem, quem audivit Theodorus ἄθεος, teſte Laertio II. *Ariſtip.* (8.) Dionyſius Heracleotes Stoicus, Menedemi Philoſophi Ol. CXXIV. juxta Suidam, itemque Heraclidis Pontici, Alexini & Zenonis juxta Laertium lib. VII. *Ac. Quæſt.* Cleanthem condiſcipulum, teſte eodem L. II. *Tuſc. Qu.* cum e renibus laboraret, dolorem malum eſſe confeſſus eſt, teſte eodem L. V. *de Fin.* Grandis autem jam natu defecit a Stoicis ad Epicurum, teſte Athenæo VII. 6. ad Cyrenaicos eum defeciſſe volunt alii: vide Laertium L. VII. *Dionyſ.* Meminit ejus Cicero L. III. *Tuſc. Qu.* (9.) Dionyſius ὁ ἐπικαλούμενος ἴαμβος ἐν τῷ περὶ διαλέκτων γράφει οὕτως, ubi de piſcium nominibus egit. Vid. Athenæus VII. 7. Plutarchus lib. *de Muſica* fol. 1136. ejuſdem meminit ἄλλοι δὲ Τόρηβος πρῶτον τῇ ἁρμονίᾳ (λυδίῳ) χρήσασθαι, καθάπερ Διονύσιος ὁ ἴαμβος ἱστορεῖ. Clem. Alex. L. V. *Strom.* Διονύσιός τε ὁ ἴαμβος ὁμοίως.

Πόντου μαινομένοιο περιστένει ἁλυκὴ τάψ.

Ætatem hujus inde colligimus quod Ariſtophanis Grammatici præceptor fuerit juxta Suidam Ἀριστοφ. Vixit itaque circa Olymp. CXL. (10.) Dionyſius Mitylenæus, paulo ante Ciceronem vixit, dicitur Σκυτοβραχίων, ſive Σκυτεύς, hiſtorias illas ſcripſit, quæ Xantho Lydo tribuuntur: Athenæus XII. 3. ἱστορεῖ Ξανθὸς ὁ Λυδὸς, ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ ἀναγωγῆς βιβλίων. Dardanum fuiſſe filium Paridis & Helenæ, ex eodem profert Euſtathius ad λ. γ'. Hujus credo eſt opus illud, quod *Corona* inſcribitur citaturque Euſebio *Hiſt. Eccl.* III. 19. & conſtitit libris XXXIII. teſte Suida νύμφαι. Expoſuit in eo miras fabulas de Diis teſte Euſebio. Huc forte reſpexit Diodorus Sic. L. III. c. 66. Διονύσιος ὁ συνταξάμενος τὰς παλαιὰς μυθοποιΐας. (11.) Dyonyſius, Stoicus, Athenis vixit eumque audivit Atticus ille apud Cic. L. II. *Tuſc. Quæſt.* ubi verſus eum orationi admiſcere ſolitum fuiſſe notat. (12.) Dionyſius Magnes, Olymp. CLXXIII. Ciceronis annum ætatis XXIX. agentis præceptor in Aſia fuit, teſte ipſo Cicerone *Bruto*, Plutarcho *Cicerone* & Strabone L. XIII. (13.) Dionyſius

quidam Ciceronis filios docuit, de quo Cicero *ad Att.* VIII. 10. *Dionysium dimisi a me ut Magistrum Ciceronum non libenter: ut hominem ingratum non invitus* confer VI. 1. VII. 4. 8. 16. VIII. 4. IX. 3. 14. XIII. 1. de eodem forte Cicero L. XIII. epist. ad fam. 77. *Dionysius servus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit,* &cætera. confer L. XII. ep. ad fam. 24. (14.) Dionysius Thrax, Grammaticus, laudatur Athenæo XI. 14. (15.) Dionysius duodecimi filius *elegans magis declamator, quam vehemens*, juxta Senecam controvers. IV. (16.) Dionysius, cognomine Atticus, Pergamenus patria, Sophista, discipulus Apollodori, Rhetoris illius, qui Augusti magister & Apollodoreæ sectæ Rhetorum princeps erat, scripsit orationem & historias, teste Strabone XIII. (17.) Dionysius ὁ τȣ̃ Τρύφωνος, Tryphonis discipulus, Grammaticus, scripsit περὶ ὀνομάτων, de nominibus, teste Athenæo VI. 16. (18.) Dionysius Glauci F. Grammaticus Alexandrihus, Parthenii præceptor, teste Suida Παρθ. Vixit circa Vespasiani tempora & Chæremoni præceptori bibliothecario successit, teste Suida. (19.) Dionysius, Milesius, Sophista, sub Adriano, Philostr. *de Sophist.* L. 1. vita Dionysii, quem ut & Favorinum Gallum Adrianus tollere conatus est, teste Dione *Adriano.* Sequentur modo, quæ ad certam ætatem reducere non licuit (10.) Dionysius Stoicus quidam refert, Diogenem post pugnam ad Chæroneam captum & ad Philippum ductum esse, eique interroganti quis esset, respondisse: exploratorem se esse, teste Laertio lib. VI. *Diog.* (21.) Dionysius ὁ λευτρικὸς, refert ei qui apud Eleos in certamine de pulchritudine vicerit, præmium esse arma, quæ Minervæ dedicentur, apud Athenæum XIII. 9. (22.) Dionysius ὁ λεπτὸς, apud Athenæum XI. 7. (23.) Cassius Dionysius, Uticensis, inter auctores rei Rusticæ refertur a Varrone lib. 1. de R. R. cap. 1. (24.) Dionysius Samius, περὶ Κύκλȣ, *de Cyclo*, poetico scilicet scripsit, teste Athenæo (25.) Dionysius Heliopolita, ὀνειροκριτικὰ scripsit, teste Artemidoro Daldiano. (26.) Dionysius ὁ Σκυμναῖος memoratur apud Tzezen ad Lycophr. fol. 160. an forte Dionysius Halicarnasseus junior, qui Scymno Lexicon suum inscripsit, intelligitur & ad aliorum Dionysiorum Halicarnasseorum differentiam ita nominatur? (27.) Dionysius ὁ Ἀλβιανὸς, Historicus citatus a Schol. Apollonii ad II. ἀργον. (28.) Dionysius ὁ τȣ̃ χαρμίδȣ, apud Schol. Pindari ad Nem. VII. (29.) Dionysius Ægeus Dictyaca scripsit capitibus C. quorum Eclogas adfert Photius CLXXXVI. & CCXI. Quantum ex ipsis Eclogis conligere licet, Medi-

dicum eum fuiſſe apparet, Dialecticæ tamen exercitationi judice Photio, non inutilis ille liber fuit. (30.) Dionyſius ἐν κριτικοῖς, memorat quendam Thaletem juniorem obſcurum, teſte Laertio L. I. *Thal.* Caſaubonus notis ad Laertii locum citatum conjicit, pro κριτικοῖς legendum eſſe κρητικοῖς, ut Thales ille junior, cujus Dionyſius meminit, idem videatur cum Thaleta Cretenſi Gortynio, de quo apud Plutarchum L. *de Muſica.* At nihil hæc eſt conjectura, quandoquidem Thaletas ille Cres Poeta apud Plutarchum idem eſt cum Tertio eorum, quos Laertius recenſet, quem antiquiſſimum & Homero, Heſiodo, ac Lycurgo æqualem facit. Quod Lycurgi tempeſtate Thaletas vixerit, docet Strabo L. X. & Sextus Empiricus adverſus Mathematicos L. II. de Rhetorica. Lycurgus autem & Homerus coævi fuere, juxta Ciceronem V. *Tuſc. Quæſt.* Strabonem I.X. Ante Homeri tempora Thaletam vixiſſe ex Suida diſcimus, qui bis ejuſdem meminit. Poſt Archilochum poetam Olymp. XXVI celebrem, eum vixiſſe indicat Plutarchus L. de *Muſica* ubi ejus ſemel, atque iterum meminit, eumque ad peſtem muſica ſedandam a Lacedæmoniis Apollinis oraculo accitum, ex Pratina refert. (31.) Dionyſius Chalcidenſis, vixit poſt Scylacem Caryandenſem, & κτίσεις ſcripſit, teſte Strabone L. XII. idque V. libris, teſte Auctore περιηγήσεως, qui vulgo Marcianus creditur, quorum *primum* citat Schol. Ariſtoph. ad Νεφ. fol. 150. Meminit alias ejus Plutarchus L. *de Herod. malign.* Schol. Apollonii ad L. I. *argon. verſ.* MXXIV. Ex eo omnino, quæ de Thaſo Olym. XV. condita habet Clemens L. I. *Strom.* adde Voſſium (32.) Dionyſius Zopyrus Grammaticus laudatur Schol. Ariſtoph. ad Aves (33. 34.) Dionyſii duo ὀψαρτυτικὰ ſcripſerunt, teſte Athenæo XII. 3. alterius horum meminit L. VII. 22. (35.) Dionyſius ὁ Καρχηδόνιος, *Carthaginenſis*, Dialecticos Philoſophos inde dictos tradit, quod interrogando & reſpondendo orationes diſponerent, apud Laert. II. Eucl. niſi forte Χαλκηδόνιος legendum, ut idem ſit cum Bithyno illo, de quo ſupra. Eſt enim Chalcedon Bithyniæ urbs, teſte Herodiano vita Antonini & Getæ §. IV. aliiſque. (36.) Dionyſius ὁ Καλχηδόνιος, antiquior eſt priore, meminitque ejus Clemens *Strom.* I. (37.) Dionyſius Sophiſta, Antiochenus, cujus Epiſtola ad Leontium exſtat in Epiſtolis Græcis mutuis (38.) Dionyſius *Heracleotes hoc anno* (æt. LXXXI.) *ut vita abiret, cibo abſtinuit*, ait Cenſorinus de die natali c. 15. (39.) Dionyſius Samius, Medicus, apud Galen. L. IV. *de compoſ. Medicamentorum Sec. genera* c. 13. (40.) Dionyſius Delphicus Rei Ruſticæ peritus apud Plutarch. *de ſolert. animal. fol.* 965. (41.) Dio-

 nyſius

nysius e Caria Criticus laudatur Eunapio, *Porphyr.* nisi forte Halicarnasseus intelligitur. Halicarnassus autem Cariæ finitima, (42.) Dionysius Sidonius, Grammaticus, de vocum similitudinibus & differentiis egit apud Varronem L. IX. *de lingua latina*, (43. Dionysius quidam in Rhetoricis nonnulla scripsit, de quo Laertius L. VII. (44.) Dionysium Rhodium quendam cum Artemone, Antiphonte, Stratone, Philochoro, Epicharmo, Serapione, Cratippo & Hermippo Berytio de Somniis & eorum interpretibus egisse docet Tertullianus L. de anima cap. 46. (45.) Dionysium Sallustium, Medicum quendam scriptorem, laudat Plinius, (46.) Dionysium Milesium Medicum laudat Galenus de *antidotis*. L. II, c. 11. (47.) Dionysium Samium Medicum citat idem L. IV. *de compos. medic. sec. gen.* c. 13. (48.) Dionysium Chirurgum memorat Scribonius Largus de compos. medic. §. 212. 213. (49.) Dionysium Melitensem cum Herode Rhetore, Tryphone Medico, Menephilo Peripatetico, Ammonio & Lampria conloquentem novimus ex Plutarcho Sympos. IX. 14, (50.) Cajo Valerio Dionysio jus Quiritium dari rogat Trajanum Plinius L. X, *epist.* CV. (51.) Dionysii cujusdam *ἀπόρων* librum quintum citat Pseudodidymus il. β. fol. XXXVIII. (52.) Dionysius Ascalaphus dictus est, quod crebro meminisset cujusdam versus Homerici in quo Ascalaphi mentio: vel quod λεπτὸς καὶ ὠχρὸς ἦν *macilentus & pallidus esset*, juxta Etymologici auctorem in Διονύσιος. Sed forte idem cum illo XXI, qui λεπτὸς dicebatur. (53.) Dionysius Marcus Pomponius libertus, apud Ciceronem L. IV. *ep. ad Att.* 14. (54.) Dionysii Byzantii ἀνάπλουν Βοσφόρου servat Bibliotheca Regis Christianissimi inter Manuscripta, Incipit Εἰ μόνη συνέβαινε. Finis: ἠπείρων. (55.) Dionysium quendam, qui de Pyramidibus Æpyptiorum scripserit, laudat Plinius XXXVI. 12, Adde his, si placet, Colophonium Pictorem nobilem ap. Plutarch. *Timoleonte*, Plinium Hist. Nat. XXXV. 10, 11, Et forte is est, qui cum Crateva & Metrodoro herbas pinxit, & earum vires subscripsit, juxta eundem Plinium XXV. 2. adde & 56. Aurelium Dionysium apud Gruterum Inscript. DCCCXLV. *

Cap. IX.

* *Temporibus Nervæ, Adriani, ac deinceps, claruit etiam Romæ Claudius Aelianus, eruditus ille Sophista & Historicus, qui præter alia,* ποικίλης ἱστορίας, *sive* variæ Historiæ Libros XIV. *ex omnis generis antiquioribus, quorum maxima pars interiit, auctoribus conlectos*

Cap. IX.

1. Antoninus Pius literas coluit. 2. Taurus de differentia Platonicorum, Aristotelicorum & Stoicorum. 3. Telephus vitas Tragicorum & Comicorum memoriæ mandavit. 4. Maximus Tyrius de Homero ejusque Philosophia. 5. Apollonius de mulieribus Philosophis, patria ejus quæ, Philosophiæ deditæ mulieres. Apollonii varii.

1.

Adrianus morbo letali aliquando correptus, cum de successore sollicitus esset, *Cejonium Commodum Verum, invitis omnibus adoptavit, eumque Ælium Verum Cæsarem apellavit*, teste Spartiano *Adrianus* c. 13. qui hujus Ælii Veri vitam literis prodidit. Dicitur quoque L. Ælius Verus, & primus *Cæsar* est adpellatus, filiumque habuit Lucium Verum Commodum, teste Capitolino *Verus*. Mortuo Ælio Vero Cæsare illo, Adrianus ingruente iterum tristissima valetudine, adoptavit *Arrium Antoninum, qui postea Pius dictus est: sed ea demum lege, ut ille sibi duos adoptaret, Annium Verum, & Marcum Antoninum. Hi sunt, qui postea duo pariter Augusti primi Remp. gubernarunt*, teste Spartiano *Adrianus* c. 13. Capitolinus quoque *Antonino Pio* §. 11. eadem fere: *Adoptionis lex hujusmodi data est, ut quemadmodum Antoninus ab Adriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum, fratris uxoris suæ filium, & L. Verum, Aelius Cæsar Hadrianus Antoninus Augustus Pius*, testibus nummis & Inscriptionibus. Dicitur quoque *Imperator Titus Antoninus* apud Papinianum L. III. ff. de condict. indebiti & Ulpianum L. V. §. III. ff. ut legatorum seu fid. *Imperator Titus Aelius Antoninus* L. I. C. de hæredibus instit. Adpellatur item *Titus Aurelius Fulvius Bojonius Antoninus Pius* alibi. Αυτοκράτωρ Καῖσαρ Τίτος Αἴλιος Αδριανὸς Αντωνῖνος σεβαςὸς, εὐσεβὴς, ἀρχιερεὺς, μέγιςος δημαρχικῆς ἐξουσίας ὕπατος τὸ δ' πατὴρ πατρίδος τὸ κά, initio epistolæ illius de Christianis non lædendis apud Justinum Apol. II. pro christianis: modo epistola non mentiatur auctorem, ut recte statuit Scaliger animadv. ad Eusebium num.

---

dedit, in quibus etiam passim Philosophicam inlustravit Historiam. Optima Aeliani editio est ea, quam Iac. Perizonius cum suis & aliorum notis edidit Lugd. Bat. 1701. 8.

num. 2189. Brevius quoque Ælius Antoninus dicitur in Chronicis Alexandrinis ad Olymp. CCXXXIV. 4. quem locum eruditissimus, itemque nobis amicissimus Reinesius, mendo liberat *Var. Lect.* II. 17. Historicis *Antoninus Pius* vel *Pius* dicitur. Cognomen enim ipsi *Pius* erat, *Antoninus* nomen secus ac in successoribus. De hoc Lampridius *Diadumeno: Pius verum nomen Antonini habuit, cognomen Pii: Marcus Verum nomen verissimi habuit, sed hoc sublato atque abolito non prænomen Antonini sed nomen accepit.* Huic Pio ejusque filiis adoptivis Justinus Martyr Apologiam pro Christianis secundam obtulit, quam his verbis orditur: Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ εὐσεβεῖ, σεβαστῷ Καίσαρι καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ, καὶ Λυκίῳ φιλοσόφῳ Καίσαρος φύσει υἱῷ, καὶ εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ, ἐραστῇ παιδείας. Et paulo post: ὑμεῖς μὲν οὖν ὅτι λέγεσθε εὐσεβεῖς καὶ φιλόσοφοι &c. Citat hæc verba Eusebius *Histor. Eccl.* IV. 12. Hic Imperator Pius literarum studia fovit V. L. VI. D. de Excusationibus & L. IV. C. de Professoribus & Medicis. *Rhetoribus & philosophis per omnes provincias, & honores, & salaria detulit--- Multa de jure sanxit, usus que est juris peritis Vinidio Vero, Salvio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello, & Jaboleno*, ut inquit Capitolinus vita ejus cap. 6. Erat quippe ipse Antoninus *singularis eloquentiæ, nitidæ literaturæ*, teste eodem Capitolino cap. 1.

2. Plurimi sub eo viri docti floruerunt, & in iis nonnulli, qui Philosophicam Historiam inlustrarunt. Taurus, sive Calvisius Taurus, juxta Gellium XVIII. 10. Berytius patria, juxta Suidam: vel Tyrius, juxta Philostratum lib. II, Sophist. *Herodes*. Philosophus Platonicus & Herodis magister Philostrato, tempore Antonini Pii floruit. Marianus Scotus ad X. annum Antonii Pii: *Taurus Berytius Platonicæ sectæ Philosophus clarus habetur*, Crebram ejus mentionem facit Gellius. Tantum viro abest, ut persuaderi sibi passus fuerit eandem esse Platonicorum, Peripateticorum & Stoicorum sectam, ut contra scripserit περὶ τῆς τῶν δογμάτων διαφορᾶς Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους, teste Suida Ταῦρος. Scripsit quoque de differentia Platonicorum & Stoicorum, teste hoc Gellii loco XII. 5. *Me autem scis* (verba sunt Tauri) *cum Stoicis non bene convenire, vel cum Stoica potius disciplina: est enim pleraque & sibi, & nobis incongruens, sicut libro, quem super ea re composuimus, declaratur.* Ita scilicet non modo antiqui Philosophi a se invicem dissentiebant, sed posteri quoque de eorum dissensu litigabant, aliis eum de-

fen-

fendentibus, aliis negantibus; nec minus absurdus est horum a se invicem dissensus, quam illorum. *

3. Telephus, Grammaticus, Pergamenus, sub Antonino Pio potissimum floruit. Capitolinus enim, ubi vita Lucii Veri XIV. Adriani anno nati Præceptores ejus Apollonium, & Sextum, Philosophos, Apollonium, Celerem Caninium, Herodem Atticum Rhetoras, Scaurum Scauri F. Grammaticum Latinum enumerat, inter eosdem quoque recenset Telephum, Hephæstionem, Harpocrationem, Grammaticos Græcos. Scripsit hic Telephus περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας, *de Homeri & Platonis consensu*, quem Platonici defendebant ad auctoritatem quandam suæ sectæ conciliandam. Βίους Τραγικῶν καὶ Κωμικῶν, *Vitas Tragicorum & Comicorum* ab eo scriptas itidem desideramus.

4. Maximus Tyrius, philosophus Platonicus M. Antonini præceptor, scripsit περὶ Ὁμήρου, καὶ τις ἡ παρ' αὐτῷ ἀρχαία φιλοσοφία, εἰ καλῶς Σωκράτης οὐκ ἀπελογήσατο, καὶ ἄλλη τινὰ φιλόσοφα ζητήματα, *de Homero, & quæ apud eum antiqua philosophia, an recte Socrates apologiam detrectaverit, & alias id genus quæstiones philosophicas.* Fuit præter hunc Maximus Ephesius Philosophus & Sophista Juliani præceptor, ob Magiam tandem a Valentiniano interfectus, teste Socrate *Hist. Eccl.* III. 1. Eunapio *Maximo.* Exstant ad hunc binæ Juliani litteræ. Hunc credo esse Maximum illum Ephesium, quem ut & Maximum Byzantinum Juliani familiares adpellat Nicephorus Callistus *Hist. Eccl.* X 1. Maximus, natione Alexandrinus, Philosophus Cynicus, Episcopus post Constantinopolitanus creatus est, de quo infra ubi de Gregorio Nazianzeno Episcopo egimus. **

5. Hisce temporibus sequior etiam sexus sese Philosophiæ dabat, ipsamque regiam aulam Philosophia ingressa erat: unde & Apollonius quidam, Stoicus, de *mulieribus philosophis egit*, e quo opere Sopater decimum librorum suorum confecit, teste Photio Ecl. CLXI. Quis vero hic Apollonius fuerit, non liquet. Forte is est, quem Eusebius *Chronicis* ad annum IX. Antonini Pii commemorat. Ἀῤῥιανὸς φιλόσοφος Νικομηδεὺς ἐγνωρίζετο, Μάξιμος Τύριος, Ἀπολλώνιος Στωϊκὸς, Χαλκηδόνιος.

* *Et eodem loco meminit etiam Gellius libri, quem Taurus* de Contradictionibus Stoicorum *scripserit.*

** *Cap. XVI. 4.*

νιος, Βασιλείδης Σκυθοπολίτης ὗτοι καὶ διδάσκαλοι Οὐηρισίμου Καίσαρος πεπόνασι. Hieronymus ſic vertit: *Arrianus Nicomedienſis agnoſcitur, & Maximus Tyrius, Apollonius Stoicus, Chalcidicus* (Chalcedonius ſcribendum fuiſſet.) *& Baſilides Scythopolitanus philoſophi inluſtres habentur, qui veriſſimi quoque Caſaris praceptores fuerunt.* Capitolinus *Marco* Apollonium hunc Stoicum Philoſophum Marci Antonini Philoſophi præceptorem *Chalcedonium* vocat, ſed vita Antonini Pii eum Chalcide Romam vocatum eſſe ſcribit. *Chalcedonium* quoque adpellat Athenagoras Apol. pro Chriſt. Eutropius L. VIII. in Marco Antonino. *Inſtitutus eſt*, inquit, *ad Philoſophiam per Apollonium Chalcedonium, ad ſcientiam Gracarum litterarum per Sextum Charonenſem, Plutarchi nepotem, Latinas autem litteras eum Fronto Orator nobiliſſimus docuit.* Idem habet Eutropii Paraphraſtes Græcus, Pæanius. Caſſiodorus Chronicis ad annum XIII. Antonini Pii, L. Vero Commodo & Laterano Coſſ. *His Coſſ. Apollonius Stoicus natione Chalcidicus & Baſilides Scythopolitanus, Philoſophi inluſtres habentur: qui Veri quoque Caſaris praceptores fuerunt.* Sed exſcripſit Hieronymum fideliter Caſſiodorus *, itemque Abbas Urſpergenſis pag. 69. qui ad A. C. CL. *Apollonius*, inquit, *Stoicus Chalcidius claruit*; niſi utraque ſententia ita concilietur, ut dicamus Chalcedona fuiſſe urbem regionis Chalcidis vel Chalcidicæ, ut ita Chalcidicus a regione & Chalcedonius a civitate dicatur Apollonius. Brevius Hermannus Contractus, Chronicis ad annum XIII. Antonini Pii: *Apollonius & Baſilides philoſophi inluſtres habentur.* Xiphilinus, fine vitæ Marci, Ἀπολλώνιον τὸν Νικομηδέα, *Nicomedienſem Apollonium* eum perperam adpellat. Doctiſſimus Gatakerus notis ad Antoninum conjicit, Arriani, qui Nicomedenſis erat, nomen, poſt *Apollonium* excidiſſe. Sed fruſtra: veriſimilius eſt *Nicomedes* nomen proprium migraviſſe in gentile, cum Nicomedes educator L. Veri laudetur Capitolino *Vero*, eumdemque forte Nicomedem Dio educatorem fratris Marci fecerit. M. Antoninus L. 1. de vita ſua §. VII. Apollonium hunc præceptorem ſuum agnoſcit, ſed patriam ei non adſignat, uti nec cæteris præceptoribus Diogneto, Ruſtico, Sexto, Alexandro Grammatico, Frontoni, Alexandro Platonico, Catulo: unde Meurſius, cæterorum locorum ignarus, Apollonium Marci præ-

* *Caſſiod. p 688. X. p. 433.*

** *Apollonius Chalcidius Stoicus eſt, Sand. de orig. anim. p. 42.*

præceptorem vel Athenienſem vel Naucratitem illum Apollonium apud Philoſtratum L. II. *de Soph.* laudatum eſſe falſo opinatur. Epiphanius hæreſi LVI. Apollonium hunc Antonini Veri ἑταῖρον adpellat, eique Bardeſanem contradixiſſe tradit. Confundit hunc Chalcedonium cum Tyrio Marianus ad A. C. CLII. *Apollonius Tyrius, Stoicus, natione Chalcedonius, & Baſilides, Scythopolitanus, philoſophi inluſtres habentur.* Alium tamen Apollonium, Niſæum, Stoicum, antiquiorem ſuggerit Strabo. lib. XIV. Ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἔνδοξοι Νισαεῖς Ἀπολλώνιος τε ὁ Στωικὸς φιλόσοφος τῶν Παναιτίȣ γνωρίμων ἄριστος καὶ Μενεκράτης Ἀριστάρχȣ μαθητής. *Viri Nyſſai inluſtres fuere, Apollonius: Philoſophus Stoicus, diſcipulorum Panætii optimus & Menecrates Ariſtarchi diſcipulus.* Ut ita dubium ſit, utri horum liber ille *de mulieribus, quæ unquam philoſophatæ fuerunt*, ſit tribuendus. Sed & plures præter hos fuiſſe Apollonios Stoicos, non negaverim. Quod ſi tamen conjecturæ aliquid dandum eſt, dicam quod ſentio. Temporibus Antoninorum, Commodi & Severi, quibus Apollonius, Galenus, & Laertius vivebant, philoſophia ipſam regiam aulam erat ingreſſa, & apud fœminas etiam inluſtres magno in pretio habebatur. Arria Philoſophiæ magnam navabat operam, Platonisque libris maxime gaudebat, teſte Auctore L. de Theriaca ad Piſonem c. 3. Huic libros ſuos *de vitis Philoſophorum* dedicaſſe Laertium, non abſurde quis ſtatuat. In hujus φιλοπλάτωνος, quippe gratiam ille Platonis vitam integro libro tertio complexus eſt. Simili Philoſophiæ laude tum florebat Julia Severi Imp. uxor, (quæ ἤρξατο φιλοσοφεῖν καὶ τοῖς Σοφισταῖς συνημέρευσεν, teſte Dione *Severo*. Quibus ſtudiis id conſequuta eſt, ut juxta cum filio Antonino Caracallo, poſt obitum mariti regnum adminiſtraret, teſte eodem *Caracallo*. Cujus exemplum ſequutæ aliæ mulieres, relictis colo & fuſo ad Philoſophiam ſe adplicabant & carmina inſtar Sapphus pangebant, de quo Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Cum itaque circa illa tempora non modo viri ſed & fœminæ inluſtres & Auguſtæ, harumque exemplo aliæ procul dubio plures, minus jam nobis notæ, Philoſophiam fuerint amplexi, Apollonius in gratiam ejusmodi nobilium Philoſopharum, cum quibus in eadem aula vivebat, librum *de mulieribus Philoſophis* ſcripſit, eoque alias etiam poſtea ad Philoſophiam colendam inſtigavit. Tantum de Apolloniis Stoicis. Complures Apollonios enumerat Meurſius *ad Apollonium Dyſcolum* & Voſſius *de Hiſt. Græcis* L. I. c. 23. fol. 149. (ubi Apollodorum λογι-

CAP. X.

1. 2. 3. Divi Fratres, Marcus & Lucius, Antonini. In Antoninis distinguendis magna difficultas latere credita est. 4. Numenius de Platonis & Academicorum differentia. Alii ejus libri, ejus ætas. Homonymi. 5. Bardesanes de Indorum Philosophis egit. 6. Lucianus Demonactis vitam, Demosthenis encomium, itemque de sectis & moribus Philosophorum scripsit.

1.

ADoptavit Antoninus Pius jussu Hadriani Marcum Antoninum, cui vulgo *Philosophi* cognomen, quod epitheton saltem est, tribui solet. Plenum hujus nomen fuit *Imp. Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus*, secundum nummos & inscriptiones, quarum unam liceat integram adponere: *M. Aurelio Cæsari Imp. Cæsaris T. Ælii Hadriani Antonini Aug. Pii Pont. Max. Trib. pot. XIV. Imp. II. Cos. IV. P. P. filio, Divi Hadriani nep. Divi Trajani Parthici pronep. Divi Nervæ abnepoti Trib. pot. V. Cos. II.* Sed de ejus nomine Capitolinus *Marcus* cap. 1. audiri meretur: *Marcus Antoninus principio avi sui nomen habuit & Catilii Severi, materni proavi: post excessum vero patris ab Adriano Annius Verissimus vocatus est: post virilem autem togam Annius Verus patre mortuo ab avo paterno adoptatus est: & educatus. - Educatus est in Adriani gremio, qui illum Verissimum nuncupabat.* Et c. 2. *Tunc primum* (postquam ab Adriano adoptatus erat) *pro Annio Aurelius cæpit vocari, quod in Aureliam, hoc est, Antonini familiam, adoptionis jure transisset.* Dio, sive Xiphilinus *Marco* Marcum Antoninum prius Catilium, post Verissimum fuisse adpellatum tradit. Dicitur quoque *Marcus Antoninus Verus*, Eutropio: & *Marcus Ælius Antoninus* L. I. C. de petit. hæred. ubi hæc ejus verba: *Senatusconsultum auctore Divo Hadriano avo meo factum.* Agnoscit nimirum Hadrianum avum, sed jure adoptionis. Idem nomen ei tribuitur L. I. C. de impub. & aliis subst. & L. I. C. quomodo judex & quando sent. prof. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνῖν Γερμανικὸς, Παρθικὸς, Σαρματικὸς. initio cujusdam epistolæ apud Justinum Apol II pro Christianis Auctori libri *de Notis Romanorum interpretandis*, qui M. Valerii Probi nomine circumfertur, dicitur: *Severus, Augustus, Armenicus, Parthicus.*

nino egerat, addit: *Quo factum est, ut magnum sapientum virorum proventum ætas illa extulerit. Solent enim plerumque homines vitam principis æmulari.* Marcus hic ob studium Philosophiæ, *princeps Philosophia plenus* dicitur L. XI. C. de his quibus ut ind. *Philosophia deditus Stoica* Eutropio L. VIII. *in omni vita Philosophans vir* Capitolino *Marco:* ubi prolixe ejus discendi studium & magistros laudat. Unde in tanta Antoninorum copia ipse Antoninus *Philosophus* dici solet. *In Antonino pietas, in Vero bonitas, in Marco sapientia* inquit Lampridius Diadumeno §. 11. Capitolinus Marco c. 6. *Marcus, post quam Athenas venit* (paullo scilicet ante mortem devicto Cassio) *initiatusque fuit, magnos honores tribuit Atheniensibus quarum in urbe Doctores omnis doctrina annua mercede conductos constituit ad omnium gentium utilitatem.* Idem dicit Johannes Xiphilinus, patriarcha Constantinopolitanus circa A. C. MLX. qui Dionis historias in compendium redegit. Sed vide omnino, quæ eruditissimus Meursius L. *de fortuna Attica* cap. 8. de mercede sive salario doctorum observavit. Quoniam vero hic Imperator Philosophus *ἰδίου βίου διαγωγὴν βιβλίοις ιβ, curriculum vitæ suæ libris* XII. exposuit, optimo jure etiam inter nostros scriptores numerari potest. Exstant ex iis hodienum excerpta cum notis Thomæ Gatakeri, edita 4. Cantabrigæ, MDCLII. sed Ethica potius quam Historica. Adservantur eadem Græce Manuscripta in Vaticana & Strozana. Marco adjungemus Verum, quem ipse post regni socium esse sibi voluit. Verus autem hic filius fuit L. Ælii Veri Cejonii Commodi ab Adriano adoptati quidem, sed paullo post defuncti, de quo supra, cujus filius, de quo nunc agimus, *L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus* ex Adriani voluntate *Ælius* adpellatus est, ex Antonini conjunctione *Verus* & *Antoninus*, juxta Capitolinum *Vero* c. 1. Theodorus Metochita *Hist. Rom.* eum Severum adpellat: Μετὰ δὲ τοῦτον Μάρκος Ἀντωνῖνος μετὰ Σεβήρου γαμβροῦ, ἔτη ιθ'. itemque Galenus L. *adversus eos, qui de typis scripserunt* cap. 1. μεγιστῆνες ἐξ ἀνθρώπων ἔναγχος Ἀντωνῖνον ὁ μετ' Ἀδριανὸν γενόμενος Αὐτοκράτωρ, ἦρχεν δὲ τότε Σεβῆρος, ἑαυτὸν μὲν Ἀντωνῖνος μεθονομάσας, εἰς δὲ τὴν τῆς ἀρχῆς κοινωνίαν προσλαβὼν Λούκιον καὶ μετονομάσας Σεβῆρον. In quadam inscriptione hoc ei nomen tribuitur, *Imp. Cæsari L. Aurelio Vero Aug. Trib. pot. III. Cos. II Divi Antonini Pii fil. Divi Hadriani nep. Divi Trajani Parth. pron. Divi Nervæ abn.* Apud Historicos *Lucius* & *Lucius Verus* & *Verus* adpellatur. Eutropio dicitur *Lucius Annius Antoninus Verus.*

3. Hic

§. Hic itaque Lucius Verus & Marcus Antoninus, fratres fuere adoptivi, adoptati ab Antonino Pio ex sententia & voluntate Adriani. Uterque eorum Antonini Pii filius dicitur in Inscriptionibus citatis & patri successit. Capitolinus *Marco* cap. *Post excessum Divi Pii a Senatu coactus* (Marcus) *regimen publicum capere fratrem sibi participem in imperio designavit, quem Lucium Aurelium Verum Commodum adpellavit, Cæsaremque atque Augustum dixit, atque ex eo pariter cœperunt Remp. regere. Tuncque primum Romanum imperium duos Augustos habere cœpit.--- Antonini mox ipse nomen recepit, & quasi pater L. Commodi esset & Verum eum adpellavit, addito Antonini nomine: filiamque suam Lucillam fratri despondit.* Αντωνῖνον μὲν τὸν Ευσεβῆ κληθέντα εἰκοστὸν καὶ δεύτερον ἔτος τῆς ἀρχῆς διανύσαντα Μάρκος Αυρήλιος Ουῆρος ὁ καὶ Αντωνῖνος υἱὸς αὐτοῦ, σὺν καὶ Λουκίῳ ἀδελφῷ διαδέχεται, inquit Eusebius *Hist. Eccl.* IV. 14. Crebra horum in Digestis & Codice mentio est, ubi *Divi fratres* nominantur. vide L. II. C. de Procuratoribus, ubi post Antoninum Pium mentio eorum fit sequente Severo cum Antonino. L. XVI. ff. de publicanis & vectig. alibi passim. Hinc *Lex Divalis* apud Symmachum Lib. X. epist. 54. *scita divalia* alibi. Dicuntur & *Fratres Imperatores* Papiniano L. XXXIII. ff. de pœnis. *Divi Marcus & Verus* Paulo L. XXIV. ff de curatoribus & Tut. datis. *Divus Marcus & Severus* L. VI. §. 18. ff. de Excusationibus, quanquam hic in glossis monetur legi in Græco Μάρκος καὶ Βῆρος *Marcus & Verus*. Porro dicuntur *Imperatores Antoninus & Verus Augusti* Papirio justo L. III. ff. de lege julia de annona & L. XVIII. ff. ad Sctum Turpil *Divus Verus & Antoninus* Modestino L. XIII. ff. de excusationibus. *Imperatores Verus & Antoninus* eidem ibidem. *Marcus Antoninus Verus & L. Aurelius Commodus* Hieronymo L. de scriptor. Eccles. in Justino. In hisce citatis locis Verum modo præponi, modo postponi observamus, de quo audi Capitolinum Vero: *Scio plerosque ita vitam Marci ac Veri litteris atque historia dedicasse, ut priorem Verum intimandum legentibus darent, non imperandi sequutos ordinem, sed vivendi.* Lucio defuncto *Marcus Antoninus solus aliquantulum Reip. præfuit: post Commodum filium suum assumsit in regnum* ut loquitur Ado Chron. vita M. Antonini. *Cum patre Imperator est adpellatus V. Cal. Decembr. die, Pollione & Apro Coss. & triumphavit cum patre,* verba sunt Lampridii vita Commodi §. 1. *Antoninus Commodum filium consortem regni facit,* ait Hieronymus Chron. ad. XVII. annum Antonini.

tonini. Unde hæc Capitolini *Marco* §. 6. verba: *Post Verichitum Marcus, Antoninus solus Remp. tenuit* circumspecte sunt de regimine explicanda ne & præcedentibus Capitolini verbis & ipsi historiæ contradicant. Huc referenda sunt illa *Divi Marcus & Commodus rescripserunt* apud Paulum L. XXVI. ff. de Excusationibus. *Divus Marcus & Commodus rescripsit* apud Modestinum L. XV. ff. de Excus. *Imperator Marcus Antoninus & Commodus filius rescripserunt* juxta Papinianum L. XXXVIII. ff. ad legem Juliam de adult. *Divus Marcus cum filio suo Commodo rescripsit* apud Callistratum L. XXXIII. ff. de administr. & peric. tut. Eo autem diligentius hos vicinæ & ejusdem adpellationis imperatores distinguere volui, quod varie circa eos erratum a doctis viderem. Neque recens est ista confusio. Audi Rheginonem, Abbatem Prumiensem, qui A. C. 910. floruit, L. I. Chron. ad A. C. 144. ita loquentem: An. Dominicæ incarnationis 144. Lucius Antoninus Commodus, post mortem patris Antonini Veri regnavit annos XIV. Hujus temporibus nonnulli passi sunt, quos supra notavimus. Sed idcirco hæc non per ordinem certis Imperatorum temporibus exprimere potuimus, quia in quibusdam passionibus Sanctorum supra nominatorum, Imperatorum vocabula ita confuse posita sunt, ut cum dicas rem sub Antonino gestam, ignoretur, utrum sub Pio, aut sub Vero, aut sub Commodo actum sit: & cum dicitur sub Lucio, ambiguum sit, utrum sub Aurelio, aut sub Commodo, aut sub Antonino gestum sit. Hactenus Regino.

4. Sub hisce Divis Fratribus, credo, Numenius floruit, Apamensis, Syrus, Philosophus Pythagoricus & Platonicus, ἀνὴρ ἐπιφανὴς, juxta Eusebium L. XI. *præp. Evang.* Cronii celebris illius Platonici, cujus L. *de generatione* Gotfridus Viterb. Chron. parte II. fol. 59. citat, familiaris juxta Porphyrium L. *de antro Nymph in Odyss.* Variis libris nobis prodesse voluit. Libros ejus περὶ τῆς τῶν Ακαδημαϊκῶν πρὸς Πλάτωνα διαστάσεως, *De Platonis & Academicorum discrepantia*, laudat Eusebius L. XIV. *præp. Ev.* c. ἐκ δὲ δὴ Φορᾶς. atque inde varias Platonicorum scholas & Academias se expositurum tradit. Platonem dicit primam introduxisse Academiam, cui successerint discipuli; Speusippus, Xenocrates, Polemon. Arcesilaus, Polemonis discipulus & successor, novam quandam & secundam invexit Academiam, auctor ἐποχῆς & ἀκαταληψίας. Tertiæ Academiæ principes fuere ejus discipulus, Carneades & hujus successor, Clitomachus. Alii quartam quoque addunt

Academiam Philonis, qui Clitomachum excepit, & Charmidæ. Tandem quintam Antiocho tribuunt nonnulli Academiam, vide Sextum Empiricum L. 1. *Pyrrh. Hypoth.* c. 33. De his variis Academiis a Platone derivatis, egit Numenius aliquot libris, e quorum *Primo* egregia fragmenta & satis prolixa de Academicis istis adducit Eusebius, capitibus sequentibus. Edidit prærerea τὰ παρὰ Πλάτωνι ἀπόῤῥητα, unde fragmentum adfert Eusebius L. XIII. *præp. Ev.* c. 4. Uti antea Pythagoras Zacynthius τὰ πόῤῥητα τῆς φιλοσοφίας scripserat, juxta Laertium. L. VIII. Et Porphyrius τῶν φιλοσόφων τὰ ἀπόῤῥητα καλυπτόντων ἀσαφείᾳ, καθάπερ τῶν ποιητῶν τοῖς μύθοις exposuit, teste Eunapio Πορφ. Scripsit περὶ τοῦ ἀγαθοῦ aliquot libros, e quorum *primo* locum habet Eusebius. *præp. Ev.* L. IX. in quo Judæorum facta est mentio. Eumdem citat & Origenes L. I. contra Celsum. *Secundum* laudat Eusebius L. XI. forte idem quem *secundum Numenii de immortalitate animæ librum* laudat idem Origenes L. V. contra Celsum. *Tertium* Euseb. L. IX. ubi Mosis, Jannis & Jambris mentio occurrit. Ex eodem opere locum adfert Theodoretus Serm. II. Ex ejus περὶ ψυχῆς libro quædam adducit Theodoretus Serm. V. Priscos Philosophos in Ægypto, non modo ab Ægyptiis, sed etiam ab Hebræis veri Dei notitiam esse adeptos, ex Plutarcho Bœotio, Porphyrio & Numenio Pythagoreo refert Theodoretus Serm. I. eademque a Platone & Mose de Deo & mundo tradi. Hinc illius: τί ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων apud Clementem Alex. L. 1. *Strom.* cujus verba citat Eusebius L. IX. *præp. Evang.* * & apud Theodoretum Θερ. II. Hesychium Mil. Νουμ. Iterum Eusebius sed dubius, verisimiliter ei hoc dictum tribui scribit L. XI. *præp. Evang.* ** εἰκότως δῆτα εἰς αὐτὸν, ἐκεῖνο τὸ λόγιον περιφέρεται, δι' οὗ φάναι μνημονεύεται, τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀττικίζων. Sed de ætate potius agamus. Vixit ante Plotinum. Plotinus autem natus est anno XIII. Severi Imp. mortuus anno ætatis LXVI, anno II. Claudii Imp. teste Porphyrio *vita Plotini.* Plotinus Numenii inventa & dogmata sibi tribuere a maledicis quibusdam dictus est, quo plagii crimine ut liberaretur, Amelius librum scripsit *de differentia doctrinæ Potini & Numenii*: in Plotini schola lecta sunt commentaria Severi, Cronii, Numenii, Caji, Attici Philosophorum Platonicorum:

* *Cap. VI. f. 411. edit. Græcol. Viger.*
** *C. X. f. 527.*

corum: & Peripateticorum Aspasii, Alexandri, Adrastri, teste Porphyrio. Quin quod & Origenem sub Commodo natum Numenius antecesserit, patet: quandoquidem Numenii commentaria studiose eum legisse supra in *Moderatum* audivimus. Vixit post Christum natum, teste Theodoreto θερ. Serm. II. ubi Plotinum, Plutarchum & Numenium, cum post Christum natum vixerint, multa Christianæ Theologiæ mysteria suis libris inservisse dicit. Si conjecturæ hæc res committenda, sub Antonino Pio Numenium nostrum floruisse dixerim. Quodsi tamen in his verbis Gottfridi Viterb. Chron. parte II. fol. XLV. *Contra omnes animam corpus esse dicentes sufficiant, quæ ab Hammonio magistro Platini & Mummii Pythagorici dicta sunt*, pro *Mummii* legendum est *Numenii* aliter de ejus sentiendum ætate esset. Diversus ab hoc est Numenius iste Pyrrhonius, Pyrrhonis auditor, apud Laertium L. IX. Alius quoque est Numenius ille Heracleota, quem cum Cæcio Argivo, Pancratio, Arcade, Posidonio Corinthio, Oppiano Cilice, Seluco Tarsensi & Leonide Byzantio, ἁλιευτικῶν Scriptoribus, accenset idem Athenæus L. I. c. 10. ejusdem ἁλιευτικὸν laudat idem VII. 9. *Numenium* quendam Rhetora sub Hadriano floruisse, docet Suidas Νȣμ. idem omnino est pater ille Alexandri Sophistæ, cujus idem Suidas mentionem facit Ἀλέξανδρος. Apollonii ad Numenium sententiam laudat Stobæus serm. CXXIII. consolat. Numenii cujusdam filium memorat Hippocrates ι. prorrh. apud Galenum comment. II. §. 50.

5. Bardesanes, Babylonius, divorum fratrum temporibus de Brachmanibus & Samanæis, indorum Philosophis, qui alias Græco nomine Gymnosophistæ adpellantur, egit. Testis est Porphyrius L. IV. περὶ ἀποχῆς & Hieronymus L. II. *adversus Iovinianum* cujus hæc sunt verba: *Bardesanes vir, Babylonius, in duo dogmata apud Indos Gymnosophistas dividit, quorum unum adpellat Bragmanas, alterum Samaneos, qui tantæ continentiæ sint, ut vel pomis arborum juxta Gangem fluvium vel publico oryzæ & farinæ alantur cibo: & cum rex ad eos venerit; adorare illos solitus sit, pacemque suæ provinciæ in illorum precibus arbitrari sitam.* Eusebius & Hieronymus *Chronicis* Bardesanem anno Marci duodecimo floruisse tradunt. Eusebius L. VI. *de præv. Ev.* cum ab eruditione summe laudat & de fato scripsisse indicat. Simili modo non ita pridem Joannes Jessenius, Zorastre suo de Ægyptiorum & Chaldæorum philosophia egit. Alii tamen Brachmanas Indiæ; Gymnosophistas vero Aethiopiæ

sapientes & Philosophos fuisse dicunt, cujus dissidii facilis est compositio: cum æthiopes prius Asiæ fuerint incolæ & Indorum vicini: sed post in Africam migraverint.

6. Lucianus, patria erat Samosatensis, teste ipso de se libro, *quomodo Historia sit scribenda.* quo libro Avidii Cassii post Lucium Verum defunctum Anticæsaris sub Marco occisi æqualem se esse indicat: & Vologesi, Frontonis, Titiani & Severiani meminit, ut coætaneorum, ad Celsum quoque dialogum scripsit. Hic vero laudari debet, quod *Demonactis*, Philosophi, vitam litteris prodidit etiamnum superstitem. Vixit Demonax ille Sub Antonino Pio & M. Antonino, æqualis Epicteti, Luciani, Timocratis Heracleotæ, Peregrini, qui & Proteus dicebatur & sub Marco flammis se devovebat, Herodis, Onocrati Cynici, Favorini, Pollucis, qui nobis Onomasticum Commodo Imperatori nuncupatum reliquit, Agathodis Peripatetici, Cethegi viri Consularis, Rufini Peripatetici, ut ex Demonactis vita apud Lucianum intelligimus. Laudat illam vitam Eunapius procem. *Λουκιανὸς ὁ ἐκ Σαμοσάτων, ἀνὴρ σπουδαῖος ἐις τὸ γελασθῆναι, Δημώνακτος φιλοσόφου κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους βίον ἀνέγραψεν, ἐν ἐκείνῳ δὲ τῷ βιβλίῳ καὶ ἄλλοις ἐλαχίστοις δι' ὅλου σπουδάσας. Lucianus Samosatensis, vir ad concitandum risum factus, Demonactis sua ætate philosophi vitam in litteras retulit, atque eo in libro, ut perpaucis aliis, seriam operam consumsit.* Edidit quoque Demosthenis encomium, Dialogum de Sectis, de moribus Philosophorum, & Vitarum Auctionem, quo Dialogo cujuscunque Sectæ Philosophos mire exagitat. Fuerunt qui Apollonii Tyanei Pythagorici vitam a Philostrato scriptam, Luciano adscribere malint, quorum sententiam jure improbat Vossius Hist. Gr. II. 15. Diversus a nostro est Lucianus ille, cujus meminit Laertius L. VI. *Diog.*

Cap. XI.

1. Apulejus de Genio Socratis scripsit. 2. Damophilus de Vitis antiquorum. 3. Galenus Apologiam Socratis contra Favorinum scripsit. Dogmata item Platonis enarravit. Historiæ Philosophicæ auctor an sit habendus? 4. Artemio Magnes de claris & doctis mulieribus.

1. Mar-

I.

MArco defuncto Commodus, filius reipſa ſatis incommodus, rerum ſolus eſt potitus, cujus integrum nomen eſt: *L. Ælius Aurelius Commodus Auguſtus.* Exſtat in quadam inſcriptione hoc ejus nomen: *Divo Commodo fratri Imp. Caſ. L. Septimii Severi Pii Pertinacis Auguſti:* citatur plerumque *Commodus Antoninus*, vel *Commodus.*

Licet vero Muſis parum æquum ſeſe præbuerit, & a majorum ſuorum erga litteratos benevolentia degeneraverit, impedire tamen non potuit, quo minus ea florerent ingenia, quæ ſuperiorum temporum felicitate erant excitata. In his, qui noſtram inluſtravit Hiſtoriam fuit, Lucius Apulejus Madaurenſis, Afer, Philoſophus, Pythagoricus & Platonicus. Hic ea ætate vixit. Antoninum enim Pium adpellat Divum ejusque ſtatuarum meminit *Apologia.* Laudat ibidem quoque tanquam coætaneos Lollianum Avitum, conſulem, Claudium Maximum, Caſſium Longinum. A Plutarcho Chæroneo ejusque nepote Sexto oriundum ſe gloriatur lib. 1. *Metam.* quorum ille ſub Trajano, hic ſub Antonino Pio floruit. Familiarem habuit Corvinum Clementem, quem in Floridis eruditiſſimum & ſuaviſſimum Poetarum vocat, inluſtrantem Alexandri M. res geſtas pulcherrimo carmine. De hoc Clemente Corvino nil ſe reperiſſe queritur Voſſius Hiſt. Lat. III. 1. cum tamen de Clemente eadem dicat, quæ de Corvino Clemente ab aliis dicta ſe ignorare fatetur. Inferiorem autem ætatem ei tribuere non poſſumus, cum Septimius Severus Auguſtus epiſtola ad Senatum contra Clodium Albinum, hunc inter Mileſias Punicas *Apuleji ſui* conſeneſcere ſcribat, apud Capitolinum *Albino* §. V. Videtur itaque Apulejus Clodii Albini familiaris fuiſſe. Confer de ejus ætate Pithæum adverſ. II. 10. Locum ſibi aliquem hic poſcit propter librum *de Genio Socratis*, quo Hiſtoriæ Socraticæ partem inluſtravit. Fuit præter hunc & alter Lucius Apulejus ſub Ptolemæo Lathuro Grammaticus Tranquillo laudatus, de quo alibi. Tertius eſto Apulejus Celſus Medicus qui fuit ſub Auguſto. Quartus quoque occurrit Apulejus Minutianus itidem Grammaticus, cujus duo de orthographia libri in Vaticano & alibi aſſervari dicuntur. Plures Apulejos ſuggerunt Inſcriptiones apud Gruterum & Goltzium, & ipſa Hiſtoria Romana.

2. Damophilus Bithynus Philoſophus ætate Commodi Imp. περὶ ἀξιοκτήτων βιβλίων *de libris comparatu dignis* & περὶ βίων ἀρχαίων *de vitis Antiquorum* ſcripſit teſte Suida Δαμοφ. poſterius fonte ejusdem generis

neris fuit, ac οἱ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας Ποιηταὶ περὶ τῦ ἀρχαίυ βίυ διαλεγόμενοι uti dicuntur Athenæo VI. 19. Julianus Μισοπ. ubi de opibus Demetrii, qui Pompeji erat libertus, testem laudat hunc Damophilum. Δαμοφίλῳ (vitiose Parisiensis editio A. MDLXXXIII, Δημοφίλῳ) τῷ Βιθυνῷ πεποίηται συγγράμματα τοιαῦτα, ἐν οἷς δρεπόμενος ἐκ τῶν πολλῶν εἰργάσατο λόγυς ἡδίςυς νέῳ φιληκόῳ καὶ πρεσβυτέρῳ. *Damophilus Bithynus hujusmodi libros scripsit quibus complectitur ea, quæ e variis excerpserat, lectu jucunda sane juvenibus pariter discendi cupidis & senibus.* Vix idem est Damophilus ille Apolloniates, cujus e Nummo Golzius meminit *Thesauro suo*.

3. Claudius Galenus, celebris ille Medicus, hic quoque laudari meretur. Inter libros enim quam plurimos ab eo editos nonnulli fuerunt, quibus Historia Philosophica inlustrari potuit. Scripsit *pro Socrate & Epicteto contra Favorinum*, de quo supra. *Hippocratis & Platonis decreta sive dogmata instinctu Boëthi Aristotelici, novem libris* est prosequutus, ut ipse indicat L. *de libris propriis*; eorumque fragmenta supersunt. Exstat inter opera Galeni *Historia Philosophica*, quæ Galeni non est sed Plutarchi. Hujus enim libri quinque de placitis Philosophorum, & illa Historia Philosophica, unum idemque opus est inter se conferendum, ut alterius lacunæ ex altero suppleri possint, cum neutrum, ut ex collatione alterius constat, perfectum & plenum, sed temporis iniquitate varie mutatum & truncatum sit, ut prorsus diversum esse videatur. Damascio hanc historiam Philosophicam tribui a Conrado Gesnero censet Vossius *de Hist. Græcis* II. 22. * sed diligentissimus vir, Gesnerus L. XV. Pandectarum Tit. I. longe aliter sentit, ut mentem ejus non percepisse Vossius videatur. Verba Gesneri sunt: *Historia philosophorum Damascii non exstat, fortassis ejusdem argumenti, cujus est, quæ Galeno tribuitur.* Verum quo minus Damascii ea sit Historia, obstat temporis ratio. Eusebius & Theodoretus ex illa historia Philosophica, titulo *Plutarchi de placitis philosophorum* multa citant, qui longe ante Damascium vixerunt. Damascius itaque istarum periodorum ab his citarum auctor non est. De Damascio vide quæ infra dicemus, quibus adde quæ in *Plutarcho* diximus.

4. Artemon Magnes, περὶ τῶν κατ' ἀρετὴν γυναιξὶ πεπραγματευμένων διηγημάτων, *de historiis inlustrium fœminarum* scripsit, e quo libro

* *Sicut Reines. V. L. p. 430.*

libro Sopater ille Ἀπαμεὺς Σοφιστὴς ἢ μᾶλλον Ἀλεξανδρεύς, *Apamensis Sophista, sive potius Alexandrinus*, juxta Suidam, Porphyrii auditor & Plotini sub Constantino successor in schola Alexandrina Eclogarum suarum librum secundum confecit, teste Photio Ecl. CLXI. Puto hunc Laertii & Apollonii Stoici vixisse ætate & eorum exemplo in fœminarum honorem ista scripsisse. Diversus ab hoc omnino est Artemo Milesius ὀνειροκριτικῶν scriptor, cujus meminit Fulgentius L. I. *Mythol.* Tertullianus libro *de anima* cap. 46. Suidas Ἀρτ. Alius item fuit Artemo Medicus ille apud Plinium XXVIII. 1. itemque Artemo Andronis Laodicensis pater apud Ciceronem lib. XIII. epist. 6. ad fam.

CAPUT XII.

1. 2. 3. 4. Severus Augustus cum filio Antonino Caracallo. 5. 6. 7. Diogenes Laertius de vitis Philosophorum. φιλόσοφος ἱστορία. Plato χολλιδεὺς Laertius & Stephanus emendantur. Laertii ætas: παρόραμα ejusdem. Sextus Empiricus cujas: ejusdem ætas. Auctor libri qui Medicus inscribitur, ignotus, duo Sexti. 8. Laertius fœminæ cuidam inscripsit suum opus, quæ illa? Arria quando vixerit.

1.

COmmodo successit (neque enim Pertinacem cæterosque minutos istos Interreges hic attendimus) Septimius Severus, qui etiam *Septimius Pertinax Severus* dicitur Spartiano *Severo* c. 8. Severus enim *amore boni Principis a Senatu Pertinacis nomen accepit*, teste Capitolino Pertinace §. V. *Severus in honorem Pertinacis quem Julianus occiderat, Pertinacem se cognominari jussit*, inquit Hieronymus Chronicis ad an. 1. Severi. adde Herodianum *Severo*, dicitur etiam *Severus Pius* & absolute *Severus*. Marci quoque Antonini filius & Commodi frater haberi & dici voluit, teste Golziana Inscriptione: *Imp. Cæsar Divi Marci Antonini Pii Germ. Sarmatici filius Divi Commodi frater, Divi Antonini Pii nepos, Divi Hadriani pronepos, Divi Trajani parthici abnepos, Divi Nervæ adnepos, L. Septimius Severus Pius Pertinax Aug. Arabicus, adib. arabic. Pontif. Max. Trib. pot. XV. Imp. XII. Cos. III. P. P.* Aliam inscriptionem habet Stephanus du Perac Antiquitt. Rom. fol. 3. *Imp. Cæs. Lucio Septimio M. Fil. Severo Pio*

Perti-

Pertinaci Aug. P. P. Parthic. Arabico & Parthico, Adiabenico. Multis enim beneficiis atque honoribus a Marco fuerat affectus, teste Spartiano *Severo*; Onde in Marci familiam transire voluit, teste eodem ibidem, Æmulum se Marci futurum gerendo imperio pollicitus est, teste Herodiano *Severo*. Unde filios suos quoque Antoninos dici voluit, teste Spartiano *Severo* §. 3. & Bassiano filio Marci, cognomen dedit, teste Herodiano *Severo* §. 9. Getæ quoque in honorem Marci, Antonini nomen imposuit. Fato functus *illatus est sepulchro Marci Antonini, quem ex omnibus Imperatoribus tantum coluit, ut & Commodum in Divos referret & Antonini nomen omnibus deinceps quasi Augusti adscribendum putaret*, teste Spartiano *Severo* §. VI. Moriturus lætatus fuisse dicitur, quod duos Antoninos non per adoptionem filios, ut Pius, sed ex se genitos Reip. relinqueret teste eodem ibidem §. 7.

2. Neque modo *Latinis Græcisque litteris eruditissimus fuit* juxta Spartianum *Severo* §. 1. Verum uxorem habuit Juliam, * Philosophiæ apprime gnaram, ut φιλόσοφ⊙ inde dicatur, apud Philostratum enim *vita Philisci Sophistæ* Αντωνῖν⊙, Antonius, id est, Caracallus dicitur ὁ τῆς φιλοσόφȣ παῖς Ιȣλίας, *filius Juliæ Philosophæ*. ** nam in vulgatis codicibus haud recte ὁ τȣ̃ φιλοσόφȣ παῖς Ιȣλίας. Unde & eruditissimus vir Jos. Scaliger in animadv. Euseb. num. 2132. vulgatam istam Philostrati lectionem, corruptam animadvertebat, sed eam dum corrigere conabatur, magis corrumpebat legendo ὁ τȣ̃ Σεβήρȣ παῖς καὶ Ιȣλίας, sed aliam adferebat correctionem æque probam.

3. Hic Severus postea, *quum iret contra Albinum, in itinere apud Viminatium filium suum majorem Bassianum, apposito Aurelii Antonini nomine, Cæsarem adpellavit*, teste Spartiano *Severo* §. 3. & Geta §. 1. Reversus ab hac expeditione *Cæsarem deinde Bassianum Antoninum a Senatu adpellari jussit, decretis imperatoriis insignibus*, teste eodem ibidem *Severo* §. 4. Confirmatum hoc tandem est a militibus, teste §. 5. *Bassianus tunc honores imperatorios adeptus, Severus Antoninus accepto Marci cognomine vocabatur*, ait Herodianus Severo §. 9. in Nummis adpellatur *Marcus Antoninus Severus Cæsar*. Itemque, *Marcus Aurelius Antoninus Severus Cæsar*: postea *Marcus Aurelius Antoninus Pius*, itemque *Antoninus Pius Aug.*

* *Juliam* Δόμναν *s. Domnam cognomine.*
** *Ex optima scilicet emendatione Salmasii ad Aelium Lampridium.*

Aug. Britannicus. & brevius *Antoninus Pius*, vel *Magnus Antoninus*, quo nomine eum quoque adpellari observamus a Paulo L II. D. de legationibus. *Caracallus Bassianus* nominatur a Lampridio *Diadum* §. 2 *Divus Magnus Antoninus* dicitur Marciano L. IX. D. de diversis temporal. *Divus Antoninus* & *Antoninus Augustus* L. XV. D. locati conducti *Antoninus* absolute passim, & a Caracalla veste Caracallus juxta Spartianum Severo §. 7.

4. Multa exstant Rescripta Severi & filii Antonini his verbis: *Divus Severus & Antoninus rescripserunt* L. XXXI. ff. de pœnis. L. XXII. ff. de jure fisci, & alibi. *Divi Severi & Antonini Magni rescriptum est*, ait Marcianus L. I. ff. de requirendis. *Imperatores Severus & Antoninus*, inquit Macer L. XXXIV. ff. de jure fisci. *Imperatores Antoninus & Severus Augusti*, apud Paulum L. VIII. ff. de Legationibus. *Divus Severus & Imperator noster*, apud Ulpianum L. I. ff. de censibus. *constitutum est ab Imperatore nostro & Divo Severo*, ait Tryphoninus L. XII. ff. de captivis & post L. *Divus Magnus Antoninus cum patre suo rescripsit*, inquit Paulus L. V. ff de Veteranis. *Imperator Antoninus cum patre* L. IX. ff. locati conducti *ab Imperatore nostro & patre ejus rescriptum est*, ait Paulus L. VI. ff. de prævaricatione. *Imperator noster cum patre*, apud Ulpianum L. VI ff. de legationibus. *Divus Pius & Severus rescripserunt*: apud eumdem L. II. ff. ad SCtum Vellejanum. *Divus Pius & Imperator noster rescripserunt*, ibidem L IV. Atque hoc modo in rescriptis patri suo Severo Antoninus adjungitur jam *Falcone & Claro Coss.* L. I. C. de inoffic. testam. *Severo & Albino Coss.* L. II. C. de Edendo. *Tertullo & Clemente Coss.* L. I. C. de his qui adcusare non possunt. & seqq. Hic Severus ejusque filius Antoninus sunt illi Imperatores quos memorat auctor libri ad Pisonem, de quo in Diogenis Laertii Historia jam dicemus.

5. Horum ætate claruit Diogenes Laertius, (*alius ab eo, quem apud Homerum Iliad. β. Minerva ita compellat*: Διογενὲς Λαέρτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ) Diogenianus Tzezæ dictus, qui unicum fere Philosophicæ Historiæ columen est: absque eo esset, rudera superessent, atque cœmenta difficulter in plerisque conjugenda. Cognomen Laertius forte a Laerte Ciliciæ, oppido, patria sua obtinuit. Forte dico, cum possit & alia hujus nominis ratio esse: neque Q. Laertium illum sub Augusto, teste inscriptione apud Gruterum f. 299. Laerte Ciliciæ oriundum, quis facile credat ob nomen Laertius. Scripsit dec. X. libros περὶ βίων, δογμάτων καὶ ἀποφθεγμάτων τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ εὐδοκιμησάντων, *de vitis, de-*

cretis & responsis celebrium philosophorum, ut habet Inscriptio. Stephanus φιλόσοφον ἱστορίαν adpellat. Sic enim in voce Δρυίδαι. Δρυίδαι ἔθνος Γαλατικὸν φιλόσοφον, Διογένης Λαέρτιος ἐν φιλοσόφῳ ἱστορίᾳ. Atqui Laertius Druidum meminit procemio. Iterum Stephanus ἔνετοι ἐστὶ καὶ πόλις ἐνετὸς, ἀφ᾽ ἧς ἦν Μύρμηξ ὁ Διαλεκτικὸς φιλόσοφος, ὡς Διογένης ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας. Meminit hujus Myrmecis Diogenes L. II. *Stilpone*, sed patriam non adsignat, quam hic Stephanus & ex eo Eustathius il. β. fol. 273. indicat. Tandem Stephanus χολλίδαι. Διογένης δ᾽ ὁ Λαερτιεὺς ἐν δευτέρῳ φιλοσόφου ἱστορίας, Χολλιδεύς φησι. Verum hic notandum, (1.) quod, qui prius dicebatur Διογένης Λαέρτιος, hic dicatur Λαερτιεύς. Prior tamen adpellatio frequentior, qua Hesychius quoque Milesius utitur *Antisthene*. Διογένης δὲ Λαέρτιος σκώπτει αὐτὸν ὡς φιλόζωον. Accedit, quod vox Λαέρτιος gentile sit nomen ejusque patriam indicet. Stephanus Λαέρτης. Λαέρτης Κιλικίας χωρίον. Στράβων ιδ᾽. Ἀλέξανδρος δὲ καὶ ὄρος καὶ πόλιν φησί. Τὸ ἐθνικὸν Λαερτῖνος ἄμεινον δὲ Λαέρτιος. Dicitur tamen & Λαερτικός. Galenus lib. VII. *de simpl. med. facult.* in Καρπήσιον. Ἀμείνου ἐστι τὸ Ποντικὸν Καρπήσιον τοῦ Λαερτικοῦ. Notandum hic (2.) quod vox χολλιδεύς libro secundo non occurrat. Initio vero libri tertii Plato dicitur fuisse τὸν δῆμον κολλυτεύς. Quoniam vero propter vocum harum κολλυτεύς & χολλιδεὺς similitudinem atque adfinitatem tribus & populus, e quibus Plato ortus, dubia redduntur, inquirendum erit in Manuscriptis in veram lectionem, quam, nisi fallor, Stephanus exhibet, qui Platonem Χολλιδέα e tribu Leontide facit. ubi Κολυττέα non esse rescribendum ordo litteræ χ apud Stephanum jubet. Quanquam alias, si vocum adfinitatem spectes, vox Κολλυτεύς rectius & facilius in Κολυτεύς, quam in Χολλιδεύς mutatur. Laertianus codex, quo utimur, Κολλυτεύς habet, credo, pro Χολλιδεύς, non autem pro Κολυττεύς ut corrigit Meursius lib. *de populis Atticis* Κολυττός. Erat autem Κολυττὸς populus tribus Ægeidis. Uterque propterea corrigendus est, & Laertius ex Stephano Χολλιδεύς pro Κολλυτεὺς scribendo, & Stephanus ex Laertio ἐν τρίτῳ pro ἐν δευτέρῳ.

6. Ex iis, quæ modo adduximus locis, de ætate Diogenis aliquo modo certiores facti sumus, quod scilicet ante tempora Justiniani Imp. vixerit, quandoquidem uterque, & Stephanus, sive potius Hermolaus περὶ πόλεων, & Hesychius Milesius sub Justiniano vixit. Propius ætatem

tem ejus adtingere docemur a Photio, qui Ecl. 161. Sopatrum Excerptorum suorum librum sextum e Diogenis Laertii de Philosophorum vita libro primo, quinto, nono & decimo confecisse auctor est. Atqui Sopater ille Jamblichi æqualis, Constantini M. temporibus floruit, ab eo quippe occisus vel potius concisus, teste Suida Σωπ. idque factum instinctu Ablabii P. P. Constantinopolitani; teste Eunapio *Ædesio*. At A. C. CCCXXX. demum P. P. & P. U. Constantinus Constantinopoli præficere cœpit, testibus Chronicis Alexandrinis. Factum id est, post denominatam de Constantino Constantinopolin, teste eodem Eunapio. Sed A. C. CCCXXXI. *Constantinopolis dedicatur pene omnium urbium nuditate*, teste Hieronymo *Chron.* Ablabius autem A. C. CCCXXXVIII. occisus est, teste eodem. Unde diversum fuisse constat Sopatrum illum Sopatri patrem, cujus meminit Julianus *epist. ad Libanium & Jamblichum*, tanquam coævi & Jamblichi discipuli. Hisce itaque temporibus superiorem fuisse Laertium necesse est.

7. Sed cum sciamus ante quos vixerit Laertius, non minore cura quærendum, post quos vixerit, sive quibus ætate fuerit inferior, ut ita ætatem ejus cancellis, quam fieri potest arctissimis, includamus. Meminit Laertius noster (I.) Plutarchi duobus, quantum quidem observavi, locis, vita scilicet Speusippi lib. IV. & L. IX. vita Anaxarchi (non *Anaxagora*, ut ex non intellecta abbreviatione *Anax.* librarius Vossii L. de Histor. Gr. errasse videtur.) Cæterum circa priorem locum, quem Laertius e Plutarcho citat, notandum, non exstare eum in Plutarcho, ut ita vel Laertius *ἁμάρτημα μνημονικὸν*, doctis alias frequens commiserit, vel Plutarchi locus ille mutilatus in nostris codicibus legatur. Verba Laertii: Πλούταρχος δέ φησιν ἐν τῷ Λυσάνδρου βίῳ καὶ Σύλλα φθειρσὶν ἐκζέσαι αὐτὸν, *Plutarchus autem dicit vita Lysandri & Sylla, pediculis effervescentibus eum* (Speusippum) *interiisse*. At Plutarchus loco citato: λέγεται δὲ τῶν μὲν πάνυ παλαιῶν, Ακαστον φθειριάσαντα τὸν Πελίου τελευτῆσαι. Τῶν δὲ ὑστέρων, Αλκμᾶνα τὸ, μελοποιὸν, καὶ Φερεκύδην τὸν Θεολόγον καὶ Καλλισθένη τὸν Ολύνθιον ἐν εἱρκτῇ χεχρυμμένον, ἔτι δὲ Μούκιον τὸν νομικόν. *Dicitur ex antiquissimis quidem, phthiriasi consumtus fuisse Acastus Peliæ: Ex iis, qui post vixerunt, Alcmam poeta, Pherecydes Theologus, & Callisthenes Olynthius in carcere latitans, Mutius item JCtus.* De ætate Plutarchi non est quod magnopere laboremus. Vixit post Domitianum ipso de se teste, vita *Numa*, ubi de mensibus Quinti-

li & Sextili ab Imperatoribus denominatis agit: τὺς δὲ ἐφεξῆς Δομετιανὸς εἰσεποίησε ταῖς αὐτȣ̃ ἐπωνυμίαις ȣ̓ πολὺν χρόνον, ἀλλὰ τὰς αὐτῶν ἀναλαβόντες πάλιν ἐκείνȣ σφαγέντος, ὁ μὲν ἕβδομος, ὁ δὲ ὄγδοος καλȣ̃νται. Iterum vita *Publicolæ* prodigalitatem Domitiani insectatur. Sossii Senecionis, qui sub Trajano consulatu functus aliquoties est, meminit vita *Demosthenis*. Aliquanto igitur tempore post Domitianum A. C. XCV. occisum & Trajanum vel sub Trajano libri de vitis parall. a Plutarcho scripti fuerunt circa A. C. CX. quot Laertius legit, seque eo ipso ætate Plutarcho posteriorem fuisse docet. (2.) Favorinus Arelatensis Plutarchi hujus æmulus, sub Trajano & Adriano floruit, teste Suida Φαβ. At hunc Phavorinum sæpe laudat Laertius. (3.) Sabinum Sophistam, qui sub Adriano juxta Suidam vixit, citat Laertius L. III. (4.) Post Sextum Empiricum ejusque discipulum Saturninum vixit Laertius, quippe quos laudat L. IX. *Tim.* f. Cæterum de Sexto illo non satis inter auctores convenit, quis fuerit, ubi & quando vixerit. Ubi non vixerit, ipse L. III. *Pyrrh. hypoth.* c. 24. indicat. Dum prolixe refert, quid in loco illo, ubi vivebat, inhonestum haberetur, quod apud alias gentes licitum atque honestum erat. Apud nos, inquit, turpe habetur, mascula venere uti, cum Germanis, Thebanis, Stoicis: publice cum uxore congredi more quorundam Indorum: mulieres corpus prostituere, juxta Stoicos, & multos ex Ægyptiis: compunctum notis esse more Ægyptiorum & Sarmatarum: nares puerorum perforare, & ex illis annulos aureos aut argenteos adpendere cum Syris: veste talari & succo florum tincta uti cum Persis: matrem aut sororem in matrimonium ducere cum Persis, Ægyptiis, Stoicis & Platone: αἰσχρουργεῖν cum Zenone: humanas carnes edere cum Stoicis & barbaris quibusdam: humano sanguine Diis litare cum Laconibus & Scythis: adulteria committere cum Philosophis quibusdam: liberorum curam non gerere cum Scythis & Solone: homicidia committere cum Gladiatoribus: ingenuos homines cædere cum Athletis: duas pluresve uxores ducere cum Thracibus & Getulis: prædari cum Cilicibus: furari cum Laconibus: carnem caninam gustare cum Thracibus. Ita scilicet Sextus indicat in qua gente non vivat. Alexandriæ eum vixisse cum libros istos scriberet, verisimile non est, quod alibi quoque indicet, se extra Romam & Alexandriam vivere. Sed de ætate ejus agamus. Magistrorum & discipulorum quorundam Pyrrhoniorum & Empiricorum hunc dat ordinem & Catalogum Laertius L. IX. *Tim.* Antio-

Antiochus *Laodicenus ad Lycum.*

Menodotus *Nicomediensis, Empiricus.* — Theodas, sive Theudas *Laodicenus, Empiricus.*

Herodotus *Ariei, Tarsensis.*

Sextus *Empiricus.*

Saturninus *Empiricus.*

Ita quidem Laertius: sed Galenus L. *περὶ ὑποτυπ. ἐμπειρ.* quem juvenis ante annum ætatis XXXVII. tempore Antonini Philosophi scripsit, teste ipso L. *de libris propriis* c. 1. ubi Empiricos recenset, Menodotum & Theutam ultimo nominat, posteriorum omnino mentionem ibi facturus, si alicujus nominis atque famæ tum fuissent: ut ita Laertius paulo post Galenum floruerit, aut eo jam sene vixerit. Ultimum autem Imperatorem novit Severum Galenus lib. I. *de antidotis cap.* 13. unde tempore Severi & postea Laertium vixisse colligimus. Porro in Theutam scripsit Theodosius Pyrrhonius, cujus *σκεπτικὰ κεφάλαια* citat Suidas *Θεοδ.* & Laertius L. IX. *Pyrrh.* quem Pyrrhonium Theodosium cum altero Astronomo confudisse videtur Suidas, Menodotum & Sextum inter Empiricos laudat Auctor libri qui *Introductio seu Medicus* inscribitur, & Galeno vulgo tribuitur. Sunt qui Herodotum ejus libri auctorem putent, & quidem eum, cujus librum *Medicum* citat Galenus VI. *Epid. Sect. I'. com.* 45. Sed cum de auctore ejus dubitetur, minus firmum argumentum suppeditat. Deinde sunt, qui Sextum hunc Pyrrhonium eumdem faciant cum Sexto Chæronensi, Plutarchi e sorore nepote. Verum obstant huic sententiæ nonnulla. (1) Suidas Sextos hosce tanquam distinctos recenset, licet utrumque faciat Pyrrhonium. Unum enim facit Plutarchi e sorore nepotem, Chæronæum, quem Bœotum adpellat Capitolinus vita Marci cap. 1. alterum Libyn fuisse tradit idem Suidas. (2.) Diversos habuere præceptores. Sexti Empirici præceptorem fuisse Herodotum Tarsensem, Ariei F. jam e Laertio didicimus: Sexti vero Chæronei magister erat Herodotus Philadelphæus, teste

Suida Σέξτος. (3.) Diversam amplexi sunt philosophiam juxta omnes, si Suidam excipias. Sextus Plutarchi nepos Stoicus fuit. Capitolinus vita Marci Aurelii. *Usus est & Apollonio Chalcedonio Stoico Philosopho: Tantum autem studium in eo Philosophiæ fuit, ut adscitus jam in Imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii discendi causa veniret: audivit & Sextum Cheronensem, Plutarchi nepotem, Iunium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, Stoicos.* Quoniam autem *Junius Rusticus* Stoicus fuit, teste Capitolino, vita Marci cap. 1. & inscriptione vetere: itemque *Claudius Maximus & Cinna Catullus*, teste Capitolni, loco citato, *vita Marci Aurelii* cap. 2. & 3. iidemque cum Sexto citantur, hinc nomen Stoici ad Sextum inter Stoicos positum quoque referendum existimo. Sextus vero Empiricus Pyrrhonius fuit omnium consensu. Ut ita conligimus, Sextum Empiricum alium fuisse a Sexto Chæroneo M. Aurelii præceptore, licet forte simul vixerint. * Sextum autem Empiricum ex iis quæ diximus, Galeno æqualem vel paullo juniorem fuisse constat. Quem cum Laertius inter postremos Empiricos citet cum discipulo Saturnino: hinc posteriorem Sexto Laertium fuisse judico.

8. Scripsit Laertius suum de vitis philosophorum volumen ad fœminam quandam, quod ipse indicat L. III. vita Platonis, eamque φιλοπλάτωνα adpellat.** Atqui Arria illa, cujus auctor libri de Theriaca ad Pisonem c. 2. meminit, Platonis librorum sedulæ lectioni se dedit, quam ægrotam sibi ab Imperatoribus, quos Severum & Carcallum esse statuo, commendatam fuisse indicat. Factum autem hoc est non ab Imp. M. Antonino: Antoninus enim illis Imperatoribus, sub quibus Arria ægrotavit, opponitur: *Aliqui*, inquit ille, *singulis diebus incolumitate corporis ducti, theriacam adsumunt, uti nos M. Antoninum, qui paulo ante Romanum Imperium summa integritate administravit -- usum novimus. -- Verum Antonini quidem temporibus usus Theriacæ iis solum communis erat, qui sanitatem Principis intuebantur. His autem Imperatoribus usus etiam publicus evasit.* Quod autem M. Antoninum Philosophum Theriaca crebro uti consuevisse auctor ille tradit, idem confirmat Dio Vita M. Antonini

* *Cui adsentitur etiam doctissimus Kusterus in hunc laudatum Suidæ locum, Sextum scilicet Cheronensem & Empiricum fuisse plane diversos.*

** *Qua de Menagius plura ad proœmium Laertianum.*

tonini & Galenus L. I. *de Antidotis* c. 1. & 13. ut frustra sit H. Mercurialis, qui Antoninum Pium ibi intelligendum & pro M. Antonino substituendum judicet. M Antonino successit filius ejus Commodus, qui hic non est intelligendus, quasi sub eo Arria ægrotaverit, quia Imperatores isti, qui Arriam ægrotantem auctori illius libri commendaverant, humani prorsus fuerunt & ab omni crudelitate alieni, Theriacam magni æstimarunt, & ea subditis vel amicis ægrotis sæpe profuerunt, quam eorum beneficentiam & liberalitatem mire auctor loc. cit. prædicat. Atqui Commodus nullam Theriacæ habuit rationem. Galenus lib. I. *de Antidotis* cap. 13. postquam de M. Antonino nimio Antidoti æstimatore egerat, add : *Antoninum secutus est Commodus, qui nec Theriacæ nec cinnamomi curam ullam habuit, sub quo non solum arboris illius quod superfuerat, omne dissipatum est, verum etiam quodcunque post Adriani tempora comportatum fuerat.* Sed ægrotavit Arria sub ejusmodi Imperatoribus, qui magnam Theriacæ curam habuerunt, eamq; cum subditis indigis facile communicaverunt. Auctor de Ther. ad Pisonem, c. 2. *His autem Imperatoribus usus etiam publicus evasit. Licet enim omnibus nobis ab ipsis petere & tradita per manus antidoto liberaliter curari --- neque de theriaca solum curam habent, verum ita sunt omnibus in rebus benigni, ut si quando quisquam amicorum antidoto egeat, mirandum sit, quanta promtitudine, quantaque animi propensione, ipsam communicent.* Post, ubi peritiam medicam in Imperatoribus laudaverat, addit Arriæ exemplum. *Amicum vero præ ceteris mihi Arriam eximie commendatam ab ipsis Imperatoribus, quod Philosophiæ diligenter operam daret, & Platonis lectione inprimis delectaretur, non leviter olim ægrotantem sanarunt. Laborabat enim ventriculi languore --- Tunc itaque sicut expertissimi solent medici, mulierem curarunt.* Non diu tamen post M. Antonini tempora Imperatores isti sub quibus Arria ægrot , c unt. Auctor lib. de Ther. ad Pisonem cap. 2. *Nos M. Antoninum, qui paulo ante Romanum Imperium summa integritate administravit, Theriaca usum novimus.* Severus autem Imp. Theriacæ curam habuit. Testis est Galenus L. I. *de Antidotis* c. 13. ubi postquam de Commodo egerat, subjungit : *Quo factum est, ut nunc Imperator noster Severus, cum me sibi Theriacam eo modo conficere jussisset, quo M. Antonino confeceram, ex cinnamomo Trajani & Adriani tempore reposito sumere coactus sum : imbecilliorque mihi plane visa est & tamen nondum anni triginta intercesserant.* Addendum, quod Antipater Sophista, qui illis Imperatoribus

ribus a Græcis epistolis fuit juxta Auctorem L. de Ther. ad Pisonem cap. 2. dicatur floruisse sub Severo apud Philostratum L. II. de vitis Sophistarum, vita Antipatri. Hinc conligo (1.) Arriam sub Septimio Severo ægrotasse, secus ac viro cuidam Docto visum est. (2.) & librum illum de Theriaca ad Pisonem non esse a Galeno juvene scriptum, ut censet H. Mercurialis judicio isti libro præfixo, sed tempore Galeni jam ætate provecti sub Imp Severo. Neque enim cum Mercuriale credimus Galenum ejus libri esse auctorem, Galeno tamen æqualem eum fuisse adfirmamus, quia paulo post M. Antoninum se adhuc vixisse indicat c. 2. Demetrium Medicum egregium sua ætate vixisse tradit cap 12. At ille mortuus est M. Antonino Imp. teste Galeno *de Antidotis* I. 1. Galenum vero auctorem libri non esse inde conligo, quod nusquam Galenus libri ejus de Theriaca ad Pisonem meminit, ne quidem in libris de antidotis, neque ullus Galeni liber in eo citatur: & quia Andromachi Theriacam & Galenus integre descriptam versibus exhibet L. I. *de antidotis* c. 6. & Auctor L. *de Ther. ad Pisonem* c. 6. Quod sane in duobus locis sine ulla alterius mentione Galenum facturum fuisse ut credam, ægre adducor. Sed quisquis auctor ejus libri sit, Arriam illam Φιλοπλάτωνα sub Septimio Severo & Antonino Caracallo Impp. ægrotasse indicat, chara autem Severo Imperatori vel propterea fuit, quod hujus uxor Julia, dicto illo *si libet, licet, an nescis te Imp.* &c. celebris, simili Philosophiæ studio se dederat, teste Dione *Severo & Caracallo.* Cujus Juliæ jussu Philostratus vitam Apollonii Pythagorici scripsit, ut ipse testatur L. I. c. 3. Quin quod & ipse Severus *Philosophiæ ac dicendi studiis satis deditus, doctrina quoque nimis cupidus* dicatur Spartiano *Severo* §. 6. Quod si itaque hæc ipsa est fœmina illa, ad quam Laertius libros suos scripsit, ut quibusdam placet, Laertius sub Severo illo & forte infra hæc tempora floruit, quia & Arria forte post Severi tempora aliquantisper vixit. Potuit itaque initio Imperii M. Antonini Menodoti & Theutæ Empiricorum saltem notum fuisse nomen, non eorum discipulorum Herodoti, Sexti, Saturnini, qui post Severi Imp. tempora celebres esse potuerunt, quibus suppar Laertius fuerit. Bartholomæus Amantius, Florilegio sententiarum edito Dilingæ A. MDLVI. in folio, his verbis Laertii nostri ætatem aperit: *Laertius Diogenes servavit perpetuum silentium ex eo, quod matri ex ejus sermone ac tentatione mors accidisset, nec illum Hadrianus Imperator ad loquendum etiam capitis pœna indicta commovere potuit: cujus constantiam admiratus pepercit, & petivit*

data ei tabula, ut ad aliquot problemata proposita respondere t manu saltem, id quod non gravatim fecit. Sed quia absque veterum testimonio hæc historia adfertur ab Amantio, fidem ei tuto habere non licet, præsertim cum Rogerus de Hoveden, Anglus, Annalium parte posteriore fol. 464. ad A. C. M CC. eadem & quidem satis prolixe de Secundo Philosopho Pythagorico tradat, quæ de Laertio Amantius brevissime narrat. *Secundus Philosophus in silentio degit & ad interrogata Adriani scripto respondit*, inquit Wernerus Rolevvinc, Fasciculo Temporum sub Adriano. Forte is est Secundus ille Atheniensis Sophista, sub Adriano celebris apud Philostratum, quem Secundum Epicurum adpellat Suidas Σνκουρός, idem forte Secundus ille Philosophus, cujus libellus Manuscriptus adservatur Lutetiæ in Bibl. Regia Num. 1843. Exstat ibidem Num. 2187. liber qui inscribitur: *Responsa ad quæstiones Hadriani*, cujus operis Auctor omnino Secundus est: si unquam Secundus cum Adriano eum sermonem habuit, quem ei tribuit Rogerus de Hoveden. Alius est Secundus ille apud Juvenalem Sat. VII.

Sicut Thrasymachi probat exitus atque Secundi.

Atque hæc de utilissimo historiæ Philosophicæ scriptore, Diogene dicta sufficiant, cujus libris hic mutilis, illic corruptis diligentem & solicitam precamur manum medicam, quam adhibiturum tandem aliquem fore, qui & judicio valeat & Manuscriptorum antiquorum copia instructus sit, confido. Exstat autem Diogenes noster Græce Manuscriptus Lutetiæ, in Bibl. Regia num. 42. 1008. 1014. 1150. & Latine in bibl. Lincolniensi Oxoniæ.

CAPUT XIII.

1. Caracallus Augustus infestus Aristoteli. Philostratus Apollonii Tyanensis vitam scripsit. Vossii error. 2. Nicomachus Apollonii ejusdem vitam exposuit. Varii Nicomachi. Reinesius eruditos commentarios in Inscriptiones scripsit. 3. Ammonius Saccas vitam Aristotelis reliquit.

1.

UBi fatis concessit Severus, filius Antoninus solus rei publicæ præfuit, occiso Geta Antonino fratre: minus vero ab aliorum cædibus abstinuit, qui fratrem tollere non erubuit. De Medicis ab eo interfectis

 Hero-

Herodianus *Severo* §. 12. *Antoninus, mortuo Severo, summam potestatem nactus confestim universos ab ipso, quod ajunt, lare interficere cœpit. Nam & Medicos supplicio affecit, quod sibi parum obtemperaverant, jubenti maleficium aliquod admittere & senis* (pater intelligitur) *maturare necem.* Papinianum quoque illud juris asylum & doctrinæ legalis thesaurum, quod parricidium excusare noluisset, occidit, teste Spartiano *Severo* §. 8. & *Caracallo* §. 1. Aristotelis libros comburere, ejusque memoriam abolere conabatur. Aristoteleos odio prosequebatur Vatiniano, & privilegia, quibus Alexandriæ fruebantur, eis adimebat, eo quod Aristotelem crederet interfectorem Alexandri M. quem unice suspiciebat, cujus animam in suum corpus μετεμψυχώσει Pythagorica migrasse prædicabat, miraque κακοζηλείᾳ Alexander redivivus videri volebat, teste Xiphilino, uti postea Julianus *secundum Pythagoram dicebat in se spiritum Alexandri M. requievisse*, juxta Gottfridum Viterb. Chron. parte XVI. Historia Juliani Augusti. Sed vide Andr. Schottum *Observ. Hum.* III. 19. ubi eos recenset, qui se Alexandri M. similes dixerunt.

Celebris hoc tempore erat Philostratus, Lemnius, qui sub Antonino Pio natus ad Philippum usque vixit, teste Suida Φιλοστρ. Hic Juliæ Augustæ, Severi uxoris jussu, *Apollonii Tyanei Pythagorici Magi vitam*, octo libris etiamnum superstitibus scripsit, ipso de se teste lib. I. cap. 3. Julia enim, quod & supra indicavimus, viris doctis impense delectabatur, teste Philostrato loco cit. Xiphilino, *Severus*, Tzetze Chil. VI. cap. 45. Mentionem hujus operis auctores faciunt plurimam, vide Eusebium *in Hieroclem*, Suidam Κράτης, Cyrillum lib. III. *contra Iulianum*, Hieronymum *epistola ad Paulinum*, Isidorum Pelusiotam lib. I. *epist.* 398. Photium Ecl. XLIV. & CCXLI. Erat Vossius lib. II. de Hist. Gr. cap. 15. qui hujus quoque operis Josephum in Antiquitatibus Judaicis meminisse statuit, cum longe post Josephi tempora Philostratus vixerit. Hanc Apollonii vitam, a Philostrato scriptam servat inter Manuscripta Bibliotheca Patrum Soc. Jesu Num. 54. & 99. Parisiis in platea S. Jacobi. Quoniam vero Apollonius iste secundum Eunapium ὐκ ἔτι φιλόσοφος, ἀλλ᾽ ἦν τι θεῶν τε καὶ ἀνθρώπων μέσον, hic illos de Apollonii rebus gestis libros rectius ἐπιδημίαν εἰς ἀνθρώπους θεοῦ, *accessum Dei ad homines* inscribi posse censet Eunapius *proœm.* quo titulo in re sacra jam ante usus erat Eusebius L. VII. *Demonstr. Evang. cap.* 1. Meminit hujus Philostrati Lucianus Δοξὶς adde quæ de eo habent Meursius *notis ad Philostratum* & Vossius *de Hist. Gr.* 2. Ni-

2. Nicomachus quidam Pythagoricus, ut videtur, scripsit vitam Apollonii Pythagorici, teste Sidonio VIII. 3. *Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior e Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi Schedio exscripsit, quia jusseras, misi.* Vixit hic post Philostratum, vel ejus ætate, ut e verbis citatis constat. Erat & Gerasenus quidam Nicomachus itidem Pythagoricus, de quo videatur Meursius notis ad Nicomachi hujus ἁρμονικῆς ἐγχειρίδιον, ubi scripta ejus recensentur εἰσαγωγὴ τῆς ἀριθμητικῆς, ἀριθμητικὴ, ἀριθμητικὰ θεολογούμενα, ἁρμονικῆς ἐγχειρίδιον, περὶ μουσικῆς. Vixit hic ante Apuleji Madaurensis ætatem, quandoquidem Apulejus Arithmeticam ejus latine transtulit teste Cassiodoro lib. *de Mathem. discipl. cap. de Arithm.* & Isidoro Hisp. *Orig*, III. 2. siquidem Apulejus hic est Apulejus ille Madaurensis celebris. Cum vero Apulejus tempore Marci Antonini floruerit, & (si idem est) Nicomachi Geraseni Arithmeticam primus Latine verterit, Philostratus autem sub Severo ad Philippum usque vixerit, e quo Apollonii vitam confecit Nicomachus noster, hinc diversos esse Nicomachos hosce quispiam existimabit. Potest tamen Nicomachus Arithmeticam ab Apulejo sene versam juvenis scripsisse & natu grandior vitam Apollonii a Philostrato scriptam *e Schedio* ejus, ut loquitur Sidonius, contraxisse, ut non necessum sit, duos hic fingere Nicomachos, præsertim cum uterque Pythagoricus fuerit. Malchus sive Porphyrius *vita Pythagora* Nicomachum sæpe adducit: ejusque scripta diligenter legisse Origenem A. U. CMXXXVII. anno Commodi circiter 6. natum, auctor est idem Porphyrius apud Eusebium.

Alter quoque hic legi meretur Nicomachus Aureliano Imp. clarus, qui epistolam Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ præter sextum tumidam in Græcam ex lingua Syrorum transtulisse se dixit apud Vopiscum *Aurel.* Hunc cum priore eumdem esse opinatur Savaro & Meursius, sed absque ratione.

Tertius sit Metius Falconius Nicomachus, Senator Consularis, cujus egregiam orationem gratulatoriam ad Senatum de Tacito Imp. electo, quam Vopiscus *Tac.* exhibet, populus excepit acclamatione *Omnes, omnes.* Vide Vopiscum.

Quartus sit Virius Nicomachus Flavianus Historicus disertissimus teste inscriptione apud Vossium *de Hist. Lat.* Hujus crebra apud Symmachum lib. VI. *epistolarum* est mentio, vixitque tempore Iuliani Imp.

bus. Sunt, qui Joanni Grammatico Philopono istam Vitam tribuere malint, a quibus fateor tantisper me dissentire, dum rationes suæ sententiæ adferant vel probabiles. Hac autem ætate vixit Ammonius Origenis quippe & Plotini magister: quorum ille sub Commodo, hic XIII. Severi anno natus est. Hic Plotinus XXVIII. annos natus eum sub Alexandro Severo & seqq. per annos Alexandriæ docentem audivit, teste Porphyrio vita Plotini. Trigesimo nono igitur ætatis anno, hoc est A. C. CCXLIII. Plotinus Ammonium audire desiit, morte fortassis sibi ereptum octogenario majorem.

CAP. XIV.

1. Sub Alexandro Dio Cassius Arrhiani Stoici vitam memoriæ mandavit. 2. Nicagoras vitas inlustrium virorum edidit. 3. Philostratus junior Sophistarum celebriorum vitas exposuit. 4. Longinus de Philologis egit. 5. Callinicus sub Galieno contra Sectas Philosophorum scripsit. Vossii error super ætate Callinici, idem Consul & Præf. Præt. idem Consul & Præf. Vrbi. idem Præf. V. & Pr. 6. Androclides de Sophistis extemporaneis.

1.

ANtoninum Caracallum Marcus Opelius Severus Macrinus occidit, qui cum filio Diadumeno in castris Imperator salutatus filium vocavit *Antoninum idcirco, quod a prætorianis multum Antoninus desiderabatur*, ut loquitur Spartianus *Ant. Caracallo* §. 3. sed diuturnum non fuit horum imperium cæde adquisitum, quod paucis post mensibus occupabat. Varius Heliogabalus, cujus multiplex est adpellatio. In Nummis dicitur *M. Aurelius Antoninus Pius, Sacerdos Dei Solis Elagabali.* Hieronymo L. de Scriptor. Eccles. dicitur *M. Aurelius Antoninus, qui Macrino successit.* Et Chronicis: *Marcus Aurelius Antoninus Antonini Caracallæ, ut putabatur, filius & sacerdos Elogabali.* dicitur alias *Antoninus Varius, Antoninus Heliogabalus.* Heliogabalo successit tandem M. Aurelius Severus Alexander Pius, Mammææ Filius, litterarum & doctorum studiosus. *Imperator noster Alexander*, inquit Macer L. unica ff. si pend. adpell. Huic Imperatori recens creato acclamatum est his verbis: *Anto-*

nine Alexander, Dii te servent : Antonine Aureli, Dii te servent : Antonine Pie, Dii te servent, ut auctor est Lampridius Severo §. 11.

Hoc Augusto celebris fuit Dio Cassius, qui *Vita Arrhiani*, philosophi Stoici, a se edita locum quoque inter nostros βιογράφους meruit, quam citat Suidas Δίων. Erat autem Arrhianus Epicteti discipulus, ἀνὴρ Ῥωμαίων ἐν τοῖς πρώτοις καὶ παιδείᾳ παρ᾽ ὅλον τὸν βίον συγγενόμενος, *Romanorum celeberrimus, & per totam vitam diligentissimus*, teste Luciano ψευδομάντις. Alius ab hoc est Dio Prusiæus, Sophista, cujus supersunt orationes variæ, Apollonio Tyaneo & Euphrati Tyrio Philosophis familiaris, juxta Philostratum *Dione* : itemque Dio Coccianus ille apud Plinium L. X. *epist.* 85. 86.

2. Philippi qui Alexandrum excepit, ætate floruit Nicagoras, Atheniensis Sophista, Mnesæi Rhetoris F. Minuciani Sophistæ pater, qui scripsit βίους ἐλλογίμων, *vitas illustrium virorum*, teste Suida Νίκ. Tametsi vero Philosophi ἐλλόγεμοι *celebres* sunt, non tamen omnes ἐλλόγιμοι *celebres* Philosophi, ut ita vix satis certo nostris βιογράφοις accenseri possit. Magnam alias huic eruditionis laudem tribuit Himerius Areopagitica apud Photium, Ecl. CCXLIII. Et *Epitaphio* ibidem, ubi : *defleo jam*, inquit, *quem Minuciano vehementiorem, Nicagora graviorem, Plutarcho eloquentiorem, Musonio sapientiorem, Sexto fortiorem, & omnibus denique superioribus illustriorem melioremque speraveram Oratorem.* Κῆρυξ Eleusine fuit & Philostrato familiaris, teste ipso Philostr. lib. II. *de Sophistis*, vita Aspasii. Alius ab hoc fuit Nicagoras Zelita, ætate Alexandri Mercurius dictus, apud Clementem Alex. προτρ. Nicagoram Leucadium & Rhodium memorant Nummi Goltziani. De Cyprio Nigagora vide Vossium.

3. Huic Nicagoræ adjungemus familiarem Philostratum Juniorem, qui prioris e fratre nepos itidem Lemnius, τοὺς βίους τῶν μέχρι αὐτοῦ σοφιστῶν, de *Sophistis ad sua usque tempora*, teste Synesio *Dione* scripsit, idque duobus libris : non δ' sive quatuor, ut Suidas habet. Ipse enim Philostratus initio operis sui duos saltem à se scriptos esse de Sophistis libros fatetur : Hos priori Philostrato perperam tribuit idem Suidas : Vide Meursium loco citato. Meminit ejus περὶ βίων, *de vitis* operis Suidas Ἡρώδης Ἰουλιος. Exstant hæ vitæ manuscriptæ Lutetiæ in Bibl. Regis Christianissimi Num. 1251. Sed multi fuere Philostrati. (1.) Lemnius sub Nerone, cujus libros enumerat Suidas. (2.) quem priore loco

nos

nos dedimus. (3.) hic ipse, de quo modo egimus. (4.) **Aegyptius** sub Augusto. (5.) Rhodius athleta. (6.) quidam apud Aristophanem. (7.) Cholargensis apud Alciphronem. (8.) Oeensis Polemonis pater. (9.) quidam apud Livium. (10.) apud Martialem. (11.) In inscriptione quadam. Hos ita recenset Meursius loco citato. *Eubocensem* sub Vespasiano Philostratum memorat Plutarchus L. *de solert. anim.* Pellenensem idem *de 10. Rhet. Antiph.* Philostrati cujusdam epigrammata servat Antologia L. IV. c. 7. ep. 25. Phalium Philostratum citat Varinus πολυξένη. Scriptorem de Tyriis Josephus L. I. *do antiq. Iudaeorum.*

4. Sub Valeriano Historiam nostram inlustravit Dionysius Longinus Cassius, Platonicus Atheniensis, qui Porphyrii Præceptor, & Criticus celebris fuit. Celebravit aliquando natalem Platonis, cui convivio interfuerunt Nicagoras Sophista, Major, Apollonius Grammaticus, Demetrius Geometra, Prosenes, Peripateticus, Calietes, Stoicus, Caystrius & Maximus, teste Eusebio *præp. Ev.* L. X. Occisus tandem hic Longinus est ab Aureliano, quod eo ad Græcas litteras Magistro usa fuerit Zenobia, apud Vopiscum *Aurel.* Auctor Anonymus vitæ Apollonii ejus Φιλολόγους citat, quo opere de Philologis & Grammaticis egisse videtur. *

5. Galieni temporibus Callinicus Sutorius Sophista Atheniensis vixit. Vossius *de Hist. Gr.* II. 3. ad Galeni ætatem eum refert, sequutus corruptum Suidæ codicem, ubi προσφωνητικὸν Γαλλήνῳ (lege Γαλιήνῳ) scripsisse dicitur, quod de Galeno interpretatur vir doctissimus. Sed Galienus Imp. intelligitur, cujus nomen in Suida alibi quoque corruptum occurrit. Ita Minucianus Sophista vixisse dicitur ἐπὶ Γαληνοῦ, pro ἐπὶ Γαλιήνου, apud Suidam Μινουκ. Hujus Minuciani Sophistæ celeberrimi Atheniensis σύγγρονος erat Callinicus noster, qui Galieno A. προσφωνητικὸν scripsit. Minuciani illius pater Nicagoras, scripsit περὶ Κλεοπάτρας τῆς ἐν Τρωάδι, teste Suida Νικαγ. de quo Nicagora jam paulo ante egimus. Callinicus noster eum sequutus πρὸς Κλεοπάτραν scripsit.

* *Valeriano Imperatore obiit etiam Origenes, Alexandriæ, Aegypti urbe natus, Ammonii Sacca, Christiani Philosophi. juxta cum Plotino discipulus, (Confer & infra C. XVI. §. 2.) cujus sub nomine* Philosophumena *circumferuntur, propter quæ locum inter Historicos nostros sibi vindicare potuisset. Edidit ea I. Chr. VVolfius, de quo suo loco.*

sit. Julianus Cæsareensis Cappadox, Sophista, Lexici illius Rhetorici a Photio laudati omnino auctor, Callinici nostri ætate vixit, sed eo junior fuit quod Constantini (forte *Κωνςαντίȣ Constantii*) Regis attigit principatum, teste Suida Ἰȣλιανός. At scripsit noster Callinicus ad Lupum de Cacozelia Rhetorica. Objicit Vossius, existimans Lupum istum esse Rutilii Lupi Rhetoris sub Nerone celebris filium, cui sub Antonino Pio Callinicus προσφώνημα scripserit. Verum mera hæc est & falsa Vossii conjectura. Quandoquidem quis ille Lupus fuerit, non explicat Suidas. Paulo post Galieni tempora Furius Lupus florebat, qui cum Aurelio Probo, tertium Consule, Consul & tum simul Præf. Urbi erat. Idem enim quandoque Consul & Præf. Urbi fuit, ut Furius Lupus A. CCLXXVIII. Victorianus A. CCLXXXII. Pomponius Januarius A. CCLXXXVIII. Tiberianus A. CCXCI. Bassus A. CCCXVII. Id etiam quandoque contingebat, ut Consul idem eodem tempore esset & Præf. Prætorio. Utroque munere simul fungebatur Acindynus A. C. CCCXL. Limenius A. CCCXLIX. Secundus Salustius A. CCCLXIII. Evodius A. CCCLXXXVI. Cynegius A. CCCLXXXVIII. Rufinus A. CCCXCII. Eutychianus A. CCCXCVIII. Anthemius A. CDV. Asclepiodotus A. CDXXIII. Florentius A. CDXXIX. Cyrus A. CDXLI. idem aliquando Præf. U. & Pr. fuit, ut Olybrius A. CCCLXV. Symmachus A. CCCLXXXIV. Cæcilianus A. CDIX. Sed hæc obiter. Biennio post Furius Lupus iterum Præf. V. fuit, ut ex antiquis monimentis constat. Minus errasset Vossius, si ad hunc Lupum scripsisse Callinicum dixisset. Sed fuerunt absque dubio plures tum Lupi, ut non facile dictu sit, quis ille fuerit. Et hic si incertus & ignotus sit, eo tamen ætas Callinici nostri non manet ignota. Scripsit Callinicus πρὸς τὰς φιλοσόφων αἱρέσεις, *adversus Philosophorum sectas*, teste Suida. Exposuisse eo opere Philosophorum vitia & inconvenientia dogmata videtur.

6. Aureliano Augusto vixit Androclides, quem Suidas Porphyrii æqualem facit, & *περὶ τῶν ἐμποδῶν τεχνολόχων, de sophistis extemporaneis* scripsisse indicat, in voce Ἀνδροκλείδης.

CAP. XV.

1. Porphyrius Tyrius & Bataneotes. Conimbricensium error. 2. Scripsit de vitis Philosophorum. Ejusdem libri φιλο-

φιλολόγυ ἀκροάσεως. 3. De Pythagora aliquot libris egit. Vitam Plotini reliquit, cujus & libros digessit, æquales ejus. Scaligeri error. 4. Scripsit de Platonis & Aristotelis secta. Cicero negat Philosophos inter se dissentire. 5. Porphyrius quod de Philosophia Homeri egit. de Philosophia ex oraculis. Emendantur Augustinus, Firmicus. Alii Porphyri. 6. Soterichus vitam Apollonii Tyanei scripsit.

I.

SUb eodem quoque Aureliano & Diocletiano, clarus fuit Porphyrius, qui patria lingua dictus fuit Malchus, quod Græcis βασιλεὺς est. Patriam habuit Tyrum, teste Eunapio Πορφ. Suida Πορφ. ipso denique Porphyrio *vita Plotini*. Bataneotes vero fuit, juxta Hieronymum, qui præfat. comment. in epist. Pauli ad Galatas. *Quod*, inquit, *nequaquam intelligens Bataneotes & sceleratus ille Porphyrius in primo operis sui adversum nos libro, Petrum a Paulo objecit esse reprehensum.* De Bataneis autem Syriæ civitate Stephanus βατ. Βαταναία συνοικία Συρίας, ἢ καὶ Βαταναία ἐνικῶς. Τὸ ἐθνικὸν Βαταναιώτης. Batanea autem eadem est, quæ Basan, & non nisi dialecto ab ea differt, ut Chut Chus, Atyria Assyria, quod bene observat seculi nostri ornamentum, Samuel Bochartus, *Geogr. Sacra* II. 16. IV. 19. Dicitur Porphyrius Bataneotes, quo Bataneis natus sit, Tyrius propter viciniam, uti Diogenes, Stoicus, Seleuciensis, dicitur Babylonius, διὰ τὴν γειτονίαν apud Laertium lib. VI. *Diog.* Ætatem suam ipse satis clare Porphyrius indicat vita Plotini, ubi ipse XXX. anno ætatis suæ, decimo vero Imp. Galieni ad Plotinum LIX. annorum se venisse scribit. Incidit autem decimus Galieni annus in A. C. CCLXIII. ut ita natus sit Porphyrius A. C. CCXXXIII. Concilii Niceni tempora & A. C. CCCXXV. eum attigisse putat diligentissimus Baronius, sed sine veterum testimonio. Ætate tamen provecta eum Romæ mortuum credimus Eunapio πορφ. Unde etiam *Tyrius senex* Juliano est dictus teste Nicephoro Call. *Hist. Eccl.* X. 36. Minime vero toleranda est Conimbricensium sententia, qui in prolegom. ad Porphyrii εἰσαγωγὴν Porphyrium Juliani Aug. tempora adtigisse statuunt. Sic enim natus fuisset annos CXXX. Magistros habuit Plotinum, & Dionysium Cassium Longinum, ut ipse testatur: præceptor fuit Theodori Asinæi, juxta Photium Ecl. CCXLII.

2. Scripsit *de vitis philosophorum* libros quinque, de quo opere Eunapius *proœm. Vit. Sophistarum* τὴν φιλόσοφον (melius ita editi codices, quam Manuscriptus ille Regius Parisiensis φιλοσόφων) ἱστορίαν, καὶ τοὺς τῶν φιλοσόφων ἐναγῶν βίους Πορφύριος καὶ Σωτίων ἀνελέξαντο. Ἀλλ' ὁ μὲν Πορφύριος, οὕτω συμβᾶν, εἰς Πλάτωνα ἐτελεύτα, καὶ τοῖς ἐκείνου χρόνοις. Σωτίων δὲ, καὶ καταβὰς φαίνεται, καὶ τοί γε ὁ Πορφύριος ἦν νεώτερος. *Historiam philosopham, & vitas optimorum philosophorum conlegerunt Porphyrius & Sotion: quorum ille* (Porphyrius) *in Platonem ejusque tempora desiit, Sotion autem quamvis Porphyrio ætate prior, citeriora quoque scripto persequutus est:* φιλόσοφον ἱστορίαν hujus Porphyrii similiter laudat Nicephorus *Hist. Eccl.* X. 36. Ubi Socratis vitam multis convitiis refertam eum edidisse indicat. Cyrillus L. VI. *contra Iulianum* itidem ex hoc Porphyrii opere Aristoxenum de Socrate loquentem adducit, laudans auctoris diligentiam, quam hisce vitis Philosophorum exponendis adhibuerit. Diversi sunt ad his Porphyrii libri τῆς φιλολόγου ἀκροάσεως apud Eusebium, quos ipse exemplo doctoris sui Longini scripsit & φιλόλογον ἱστορίαν adpellavit, Suidas Πορφυρ. Illam φιλόσοφον ἱστορίαν citat quoque Socrates *Hist. Eccl.* III. 19. Theodoretus θ. p. Serm. IV. & XII. Suidas Ὅμηρος. *Primum* ejus operis librum laudat Cyrillus L. I. *contra Iulianum*, Ecloga Chronologica Eusebiana *in Thesauro Temporum Scalig. fol.* CCXVI. ubi notæ ejus conferantur, qui ejusdem quoque operis excepta Barbaro-Latina meminisse ad Annum MCCX. ait *Tertium* librum ἱστορίας φιλοσόφου citat Cyrillus L. VI. *contra Iul.* Theodoretus Serm. I. qui est de fide, Stephanus γάδαρα *Quartum* Cyrillus L. I. *contra Iul.* Porphyrium ἐν βίοις φιλοσόφων citat Tzetzes Chil. II. *fol.* CCCLXXVII. sed idem opus intelligit.

3. De Pythagora quoque aliquot libris minimum duobus egit, quos respexit Cyrillus L. I. *contra Iul.* Πορφύριος τὸν Πυθαγόρου βίον ἐξηγούμενος ait idem Cyrillus L. III. & VI. *contra Iul.* Πορφύριος τὸν Πυθαγόρου βίον ἐναργῆ καθιστάς. idem lib. X. *Primum* hujus operis librum citat Cyrillus L. IX. *contra Iul.* Vincentius Pinellus M. Velsero Malchi hujus vitam Pythagoræ Manuscriptam misit, teste Hœschelio ad Photii Eclog. CCLIX. Wovverius nostras eam se editurum fuisse promisit lib. *de Polym.* cap. 28. sed dum eam editionem differt, C. Rittershusius primus eam e tenebris produxit, notulisque levibus inlustravit. Scripsit quoque vitam

vitam Plotini Philosophi Platonici Præceptoris sui * Eunapius *Plotinus:* τὸν βίον αὐτῦ (in codicibus editis male hic punctum ponitur, quasi præcedentia hæc a sequentibus sint separanda.) Πάντα Πορφύριος ἐξήνεγκεν, ὡς ἐδένα οἷόν τε ἦν πλέον αὐτῦ εἰσφέρειν, ἀλλὰ καὶ πολλὰ τῶν βιβλίων ἑρμηνεύτας αὐτῦ φαίνεται. Αὐτῦ δὲ Πορφυρίε βίον ἀνέγραψεν ἐδὲ εἷς, ὅσαγε εἰς ἡμᾶς εἰδέναι. *Vitam illius omnem Porphyrius ita explicavit, ut nemo plura adferre potuisset: multosque ejus libros interpretatus est. Sed Porphyrii vita a nemine, quod equidem sciam, ad hæc usque tempora litteris est prodita.* Exstat hæc vita Manuscripta Oxoniæ in bibliotheca Collegii corporis Christi. Neque vitam modo Plotini, sed libros quoque ejus eodem opere in sex Enneadas jussu Plotini est partitus; sequutus, ut ait, Apollodorum Atheniensem, qui Epicharmi comœdias in decem tomos, & Andronicum Peripateticum, qui Aristotelis & Theophrasti libros in certas πραγματείας, simili modo diviserunt. Enumerat in illa Plotini Præceptoris sui vita Porphyrius complures ejus ætatis viros doctos: Adelphium, Ammonium Alexandrinum, Saccam, Peripateticum, Annium, Stoicum, Antonium Rhodium, Aquilinum, Athenæum Stoicum, Castritium Firmum, Cleodamanta, Democritum Platonicum, Diophanem, Eremnium, Eubulum Philosophum, Euclidem Platonicum, Eustochium Alexandrinum Medicum, Gentilianum Amerium, sive Amelium Tuscum Philosophum (diversum ab Amerio illo, ad quem Juliani A. exstat epistola) Heliodorum, Alexandrinum, Peripateticum, Herminum Stoicum, Longinum, Criticum, Lysimachum Stoicum, Marcellum, Orontium, Philosophum, Medium & Musonium Stoicos, Olympium Philosophum Alexandrinum, Origenem, Paulinum Scythopolitam Medicum, Phæbiona Stoicum, Potamona, Proclinum Platonicum, Ptolemæum Peripateticum, Rogatianum, Sabinillum, Serapionem Alexandrinum rhetora & philosophum, Thaumasium, Themistoclem Stoicum (hujus item Eusebius Chron. L. I. fol. 70. meminit, sed distinguendus est a Themistocle Stoico antiquo apud Plutarachum *Symp.* & Themistocle Atheniensi Sophista apud Eunapium *Iuliano:* quem cum primo Themistocle confundit Scaliger notis ad Eusebii Græca reliqua fol. 263.) Theodosium, Theodotum Philosophum, Tryphonem Stoicum, Zethum, Arabem Medicum, Zothicum Criticum.

I 2 4. Scri-

* *& operibus ejus præfixis.*

4. Scripſit præterea Porphyrius Suida teſte, libros VII. *περὶ τοῦ μίαν εἶναι τὴν Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους αἵρεσιν, quod Platonis & Ariſtotelis ſecta una eademque ſit*, quibus qui L. tradiderit ipſe titulus aperte monſtrat. Atque idipſum ab aliis quoque jam ante factitatum obſervamus. Cicero ſi quiſquam, Philoſophorum omnium conſenſum defendebat. Ita de Peripateticis Varro L. I. AC. Quæſt. *Nihil inter Peripateticos & illam veterem Academiam differebat, Academici & Peripatetici rebus congruentes nominibus differebant*. Confer L. V. *de Finibus* §. 12. & 16. & L. III. *de officiis*. Neque Platonis modo & Ariſtotelis eandem ſectam ſtatuit Cicero, ſed Stoicorum quoque & Peripateticorum conſenſum alii apud eum defendunt. *Antiocho Stoici cum Peripateticis reconſentire videntur, verbis diſcrepare*, inquit Balbus Stoicus ad Cottam Academicum apud Ciceronem L. I. de Nat. Deor. §. 4. *Carneades ſolitus defendere nullam eſſe rerum Stoicis cum Peripateticis controverſiam ſed nominum*, verba ſunt Catonis apud Cic. L. III. de finibus §. 32. Stoicorum & Academicorum conſenſum tradit ipſe Cicero L. I. AC. Quæſt. §. 14. *breviter ſane minimeque obſcure expoſita eſt a te, Varro, & Veteris Academiæ ratio, & Stoicorum: Verum eſſe autem arbitror, ut Antiocho noſtro familiari placebat, correctionem Veteris Academiæ potius, quam aliquam novam diſciplinam putandam*. Una igitur erit Stoicorum, Academicorum & Peripateticorum ſecta, quod non diffitetur Lucullus apud Ciceronem L. IV. Acad. Quæſt *Plato reliquit perfectiſſimam diſciplinam Peripateticos & Academicos nominibus differentes re congruentes, a quibus Stoici ipſi verbis magis quam ſententiis diſſenſerunt*, & Piſo apud eumdem L. V. de Fin. §. 16. *Stoici a Peripateticis & Academicis omnia cum tranſtuliſſent, nominibus aliis eaſdem res ſecuti ſunt*. Hunc tamen philoſophorum conſenſum alii negabant, ut Taurus, de quo ſupra: alii probabant, ut Porphyrius noſter & Hierocles, de quo infra dicemus. Atque hæc Porphyrii ætate frequens erat & vulgaris ſententia, Platonicam & Ariſtotelicam Philoſophiam eſſe unam eandemque.

5. Porphyrius quoque *περὶ τῆς Ὁμήρου Φιλοσοφίας, de Philoſophia Homeri* librum ſcripſit, teſte Suida. Litigabant enim Philoſophi inter ſe, cui ſectæ philoſophorum maxime faveret Homerus, de quo jam egimus in *Oenomao*? Tandem quoque librum *περὶ τῆς ἐκ λογίων Φιλοσοφίας, de Philoſophia ex oraculis* edidit, citatum Euſebio de præp. Evang. III. 4. IV. 4. 9. 12. V. 5. 9. XIV. 3. Auguſtino de Civ. Dei X. 23.

Theo-

Theodoreto ſerm. III. De Diis & ſerm. X. de Oraculis, ubi *de Electorum Philoſophia* habet Acciaoli verſio edita Pariſ. MDXIX. quaſi ἐκλογίων conjunctim ſcriptum eſſet. Neque de hoc errore quidquam monet Sylburgius in notis, qui ejus verſionis errores in his ſe notaturum præfatione editionis ſuæ pollicetur. In codicibus quoque Auguſtini de Civ. Dei XIX. 23 error latet: *Nam in libris, quos* θεολογίων φιλοσοφίας *adpellat* (Porphyrius) *in quibus exequitur atque conſcribit rerum ad Philoſophiam pertinentium velut divina reſponſa, ut ipſa verba ejus, quemadmodum ex lingua Græca in Latinam interpretata ſunt, ponam.* Ubi pro θεολογίων legendum ἐκ λογίων, quod aperte monendum fuit doctiſſimo Vivi in notis, qui hoc ſaltem addit: *Hoc eſt de Philoſophia reſponſorum a Diis, in quo opere oracula Apollinis ponit & cæterorum Deorum.* Firmicus deinde *de prof. relig.* aliter hic errat: *Porphyrius defenſor Stoicorum --- in libris, quos adpellas* περὶ τῆς εὐλογίων φιλοσοφίας. Quem tamen errorem ſine difficultate jam corrigere nemo non poteſt. Atque hi fere ſunt libri, quibus hiſtoriam philoſophicam augere voluit Tyrius ille ſenex. Scripſit quidem præterea περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *de abſtinentia ab eſu animalium* (quod opuſculum Pariſiis in bibl. regia adſervatur inter Manuſcripta N. 159.) πρὸς Ἀριστοτέλην περὶ τοῦ εἶναι τὴν ψυχὴν ἐντελέχειαν, itemque ſi diverſum eſt opus, περὶ ψυχῆς πρὸς βόηθον έ, e quo libro fragmentum habet Euſebius de præpar. Ev. L. XV. Boethus autem hic ad quem Porphyrius ſcripſit, forte eſt Platonicus ille, cujus expoſitionem in Categorias laudat, & crebro citat Simplicius *ad Categ.* Verum hos Porphyrii libros mittamus, ut & librum εἰς τὴν Μινουκιανοῦ (Sophiſta hic erat, Athenienſis, celebris tempore Galieni, teſte Suida Μιν. Himerio apud Photium Ecl. CCXXXIII.) τέχνην, & cæteros, qui hiſtoriæ noſtræ inluſtrandæ parum inſerviunt. Cæterum de Porphyrio plura legi poſſunt apud Eunapium, qui vitam Porphyrii a nemine editam primus litteris mandavit, & L. Holſtenium tractatu de vita & ſcriptis Porphyrii. Diſtinguendus eſt ab hoc Porphyrio alter ille Publilius Optatianus Porphyrius, poeta Chriſtianus, cujus epigrammata plurima citantur lib. V. *Anthologiæ* meminit ejus ad Conſtantinum Aug. operis Beda L. *de metris* cap. *de Rhythmo. Reperiuntur quædam & in inſigni volumine Porphyrii poetæ, quod ad Conſtantinum Auguſtum miſſo, meruit de exilio liberari.* De hoc intelligenda ſunt iſta Hieronymi Chron. ad annum XXIII. Conſtantini: *Porphyrius miſſo an Conſtantinum inſigni volumine*

exilio liberatur. Altaris Pythii Idyllium poematum ejus satis obscurorum fragmentum edidit cum explicatione Fort. Licetus. Citat quoque ejusdem epigrammata Fulgentius L. II. *Mythol.* Alius ab his est Porphyrius ille, ad quem exstat epistola Juliani Imperatoris de Georgii bibliotheca Antiochiam mittenda, de quo negotio curando exstat ejusdem fere sententiæ æpistola ad Ecdicium Ægypti Juridicum. confer Suidam ἐπιςολὴ Ιυλιανȣ̃. Gottfridum Viterb. Chron. parte XVI. in Juliano, Puto Georgium illum fuisse Episcopum Alexandrinum, de quo Marcellinus libro XXII. Socrates *Hist Eccl.* III. 2. III. 4. *

6. Soterichus Oasites fuit. Male itaque codex Suidæ ὁ Ασίτης pro Οασίτης. Stephanus ὄασις. Ταςις, πόλις λιβύης. λέγεται καὶ Οασις. καὶ ὁ πολίτης Οασίτης, ὁ πονη τὴς Σωτήειχ☉ν, καὶ ὁ τὰ πάτεια γεγεαφώς. Vixit Diocletiano Augusto, & scripsit βίον Απολλωνίȣ τȣ̃ Τυανέως *Vitam Apollonii Tyanei*, observante Suida Σωτ. Memorat Soterici lectos ὁ δεῖνα apud Gellium XII. 2. de quo quis fuerit, nondum liquet. Soterichum Chirurgum memorat Sextus Empiricus L. I. *pyrrh. hyp.* fol. 17. Soterichum Alexandrinum cum Onesicrate & Lysia conloquentem introducit Plutarchus L. *de Musica*.

CAP. XVI.

1. Vopiscus Apollonii Tyanei vitam litteris prodere voluit. 2. Iamblichus Chalcidius Pythagoræ vitam, & de secta Pythagorica scripsit: itemque vitam Alypii. Philosophorum Alexandrinorum successio. Varii Iamblichi. 3. Themistius Euphrades. Gregorii hallucinatio. Sparti, Egit de varietate dogmatum inter gentiles, Alter Themistius. 4. Gregorius Nazianzenus laudes Maximi Philosophi exposuit.

1. Con-

* *Sed cave Malchum Philadelphensem, rerum Byzantinarum scriptorem, quo de Photius & Suidas consulendi, cum Malcho Porphyrio nostro confundas; quod acciderat primo doctissimo Rittershusio in notis ad ipsum, quem locum postea emendavit in iisdem ad num. 27. vide eruditissimam Lud. Kusteri præfationem Iamblicho præmissam.*

1.

CONstantini Magni ætas Flavium Vopiscum Syracusium tulit, Historicum Latinum. Hic *Apollonii Tyanei* vitam se editurum promittit in Aureliano §. 6. Cui Aureliano Aug. de Tyanæ civitatis eversione cogitanti ferunt *Apollonium Tyaneum celeberrimæ famæ auctoritatisque sapientem, veterem Philosophum, amicum verum Deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum, recipienti se in tentorium ea forma, qua videtur, subito adstitisse, atque hæc latine, ut homo Pannonius intelligeret, verba dixisse: Aureliane, si vis vincere, nihil est, quod de civium meorum nece cogites: Aureliane, si vis imperare, a cruore innocentium abstine: Aureliane, clementer te age, si vis vincere. Norat vultum Philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis ejus imaginem viderat templis. Denique statim adtonitus, & imaginem, & statuas, & templum eidem promisit, atque in meliorem rediit mentem. Hæc ego a gravibus viris comperi, & in Vlpia bibliotheca libris relegi, & pro majestate Apollonii magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diviniusque inter homines fuit? ille mortuis reddidit vitam. Ille multa ultra homines & fecit, & dixit: quæ qui velit nosse, Græcos legat libros, qui de ejus vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque in litteras mittam: non quod illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed ut ea quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur.* Hactenus Vopiscus, cujus verba prolixiora licet, adducere volui, quo de Apollonii istius inter gentes auctoritate constaret, cujus vitam Vopiscus expositurus erat. Sed hanc vitam vix lucem adspexisse credo. Ætatem suam ipse indicat *Aureliano* dicens se ex patre suo audivisse, quod Diocletianus dixerit, nihil esse difficilius quam bene imperare. Avum suum sub Aureliano vixisse scribit vita Saturnini, vixit cum Aurelianus Aureliani A. nepos in Sicilia viveret, teste vita *Aureliani*. Cum Junius Tiberianus Præfectus Urbi esset, teste eadem vita. At A. C. CCXCI. & CCCIII. Junium Tiberianum P. U. fuisse observavimus. Hieronymus Chronicis ad A. C. CCCXXXVII. Tiberianum quendam Gallias rexisse auctor est. Sed plures forte fuerunt Junii Tiberiani. *

2. Sub

* *Constantino Imperatori charus præ ceteris fuit Eusebius Pamphili. Cæsareæ Palestinæ Episcopus. Hic Platonis admirator fuit, uti & Origenis, diligentissimus auctorum veterum scrutator, historiæque litterariæ peritus ut nullus ætate sua. Dignus ergo, cujus hoc loco*

2. Sub Constantio & Juliano vixit Jamblichus Chalcidius, sive Chalcidensis, Syrus, Philosophus Platonicus. Ἰάμβλιχος ὁ μέγας φιλόσοφος Χαλκιδεὺς ἦν ἐκ τῆς κοίλης Συρίας. *Iamblichus magnus ille philosophus Chalcidensis erat e cava Syria*, ait Eustathius il β. fol. 211. φιλόσοφος ὀνομαστότατος, *Philosophus maximi nominis* dicitur Eunapio, qui ejus vitam scripsit. Quanti vero habitus fuerit, docet Juliani Imp. epistola 1. ad eum scripta: Καὶ εἴγε Ζεῦ Σῶτερ καὶ Ἑρμῆ ἄγιε τὸ κοινὸν ἁπάσης τῆς οἰκουμένης ὄφελος Ἰάμβλιχον τὸν καλὸν ἐπὶ μήκιστον χρόνον τηρεῖσθαι; *Vtinam o Servator Iupiter & sancte Mercuri, contingat Iamblichum optimum, commune orbis terrarum commodum longissima vita frui!* Et altera ad eum epistola. Ὑπερβὰς τὸν Χαλκηδόνιον πορθμὸν καὶ ἐπιστὰς τῇ Νικομήδους πόλει, σοὶ πρώτῳ καθάπερ πατρίῳ θεῷ τὰ προτέλεια τῶν ἐμαυτοῦ σωτήρων ἀπέδωκα, σύμβολον τῆς ἀφίξεως τῆς ἐμῆς, οἷον ἀντ' ἀναθήματος ἱεροῦ τὴν εἰς σὲ πρόρρησιν ἐκπέμπων --- *Cum fretum Chalcedonium trajecissem & ad urbem Nicomedis adpropinquassem, tibi primo quasi patrio Deo prima pro mea salute vota persolvi cum ad te signum adventus mei, quasi donarium aliquod sacrum, salutationem misi* --- πρὸς ἄνδρα τηλικοῦτον, οὗ καὶ μνησθῆναι φόβος, ὁ καὶ γράφειν κατοκνῶν, τοῦ πλέον ἢ προσήκει θαῤῥοῦντός ἐστι σωφρονέστερος. *Ad te tantum virum, cujus vel meminisse sine timore non licet, qui scribere etiam cunctatur, sapientior est meo judicio, quam is, qui nimis audet.* Et quæ alia magnifica & divina de eo scribit Apostata. ὁ θεῖος Ἰάμβλιχος *divinus Iamblichus*, dicitur Proclo in Platonis Theologiam L. I. c. 11. III. 11. 13. v. 30. IV. 16. Vixit tempore Constantini & Juliani Impp. præceptore usus Porphyrio, nobili illo philosopho Alexandrino. Sed Alexandrinorum Philosophorum seriem, cum eorum hic frequens fiat mentio, hanc lubet dare.

Ammo-

---

mentio fiat ob egregium & diligentissime elaboratum opus illud Προπαρασκευῆς. *In eo quidem id potissimum egit, ut Mosaica doctrinæ, nec non Christianæ religionis veritatem adversus philosophos defenderit, sed ea occasione multa quoque non modo ex historicorum, sed etiam e multorum philosophorum, theologorum, tum Græcorum, tum Aegyptiorum ac Phœnicum libris. ad historiam Philosophicam necessaria congessit. Idem* de dissentione philosophorum *scripsit. Plura vide apud Voss. L. de H. Græc, II. 17.*

Ammonius Saccas
sub Caracallo.

Plotinus
anno XIII. *Severi natus anno* II. *Claudii moritur. Suidas* Πλωτ.

Origenes
Suidas Ὠριγ. *audivit quoque Plotinum teste Theodoreto Serm.* VI.

Amelius sive Amerius.
Suidas Ἀμέλιος.

Porphyrius sive Malchus.
audivit quoque Plotinum, teste Suida Ἰάμβλ. & *Eunapio* Πορφ. *sub Diocletiano.*

Jamblichus
Constantini & Iuliani AA. atate, juxta Suidam Ἰάμβλ.

Sopater
in Plotini schola successor a Constantino M. concisus, de quo Sozom. Hist. Eccles. l. 5.

Maximus
Scripsit in Categorias Aristotelis, juxta Simplicium in Categ.

Dexippus
Auctor commentariorum in Categorias Aristotelis teste Simplicio in Categ. Iamblichi epistolam ad hunc laudat Stobaus Serm. LXXIX. *qui est de litteris.*

Jamblichus porphyrium Præceptorem imitatus, & multa ab eo vix verbis mutatis mutuatus, *vitam Pythagora* scripsit. Meminit ejus Commentarius Græcus Sopatri, Syriani & Marcellini in Hermogenem, Πυθαγόρας δὲ ὡς Ἰάμβλιχος φησιν ἐν τῷ περὶ τῆς Πυθαγορείυ αἱ-

ῥίσεως. *Pythagoras ut inquit Iamblichus opere de secta Pythagorica.* Eustathius quoque in ιλ. α. fol. 86. ἐν τοῖς Ιαμβλίχου εἰς τὰ κατὰ Πυθαγόραν. *Iuxta Iamblichum de Pythagora scitis.* Item in ιλ. β. ἱστορεῖ γοῦν καὶ ὁ σοφώτατος Ιαμβλιχος τὰ Πυθαγορικὰ συσσίτια μὴ ἔχειν πλεῖον ἢ δέκα ἀνθρώπους συνευωχουμένους. *Redert sapientissimus Iamblichus Pythagorica convivia ultra 10. convivas non admittere.* Tandem in ιλ. ψ. οἴδαμεν δὲ, ἐκ τοῦ Ιαμβλίχου, καὶ ὅτι ἀπὸ Πυθαγόρου εἴληπται αὐτά. *Scimus autem ex Iamblicho, quod a Pythagora hæc fluxerint.* Exstat hæc vita Manuscripta Parisiis, in bibliotheca Regia. Vitam præterea *Alypii* τοῦ διαλεκτικωτάτου, *dialectici celeberrimi* illius Alexandrini scripsit, teste Eunapio vita Alypii. Diversus ab hoc nosto est Jamblichus ille Syrus, qui sub M. Antonino Babylonica, sive de amore Rhodanæ & Sinonidis aliquot libris egit, de quo Theodorus Priscianus Medicus antiquus lib. II. c. 11. Photius Tm. XCIV. Suidas Ιαμβλ. Forte Medicus ille fuit, in quem exstat Leontii scholastici epigramma lib. IV. *Anthologia* cap. 13. Alius fuit Jamblichus Rex Arabiæ apud Dionem L. I. tempore pugnæ Actiacæ occisus. Hujus omnino meminit Strabo lib. XVI. Cicero eum Phylarchum Arabum adpellat lib. XIV. epist. ad fam. I. Filium habuit Jamblichum successorem, Sentio Saturnino & Lucretio Coss. teste Dione L. LIV.

3. Juliani & Valentis ætate Themistius floruit qui Paphlagon erat, teste ipso in εὐχαριστηρίῳ, per exteras regiones juvenis peregrinatus Nicomediæ XX. annos exemplo Aristotelis: & discipulorum apud Druidas, juxta Cæsarem L. VI. *bell. Gall.* Philosophiæ discendæ operam dedit, eamque post docuit, ut ipse indicat oratione *Sophista.* Theodosii Imp & Valentiani II. Imp. educationi & informationi præfuit, teste ipso Orat. περὶ Φιληκοΐας, Præceptorem quoque eum agnoscit Augustinus L. *de Categoriis.* Consul tandem Constantinopolitanus creatus est, ut testatur Epigramma Palladæ L. II. *Anthologia* Euphrades a facundia dictus & Philosophus Peripateticus fuit, de quo ita Gregorius Nazianzenus epistola ad Themistium: Σπαρτιάτας ἡ λόγχη γνωρίζει, ὦμος τοὺς Πελοπίδας, τὸν μέγαν Θεμίστιον λόγοι. *Spartiatas ut lancea, ut Pelopidas humerus, ita magnum Themistium erudita prodit facundia.* Ubi errat Gregorius, dum Σπαρτιάτας eos adpellat, qui Sparti dicebantur, quorum Σπαρτῶν meminit Theodoretus serm. V. Lucianus *Encom. Demosth.* Pindarus apud Plutarchum L. *bellone Athenienses.* Ammianus L. XIX. Apol-

Apollodorus lib. III. *biblioth.* Eunapius *fragm. legat.* Photius Ecl. CLXXXVI. 27. Anonymus ολυμ. αναγρ. ad Olymp. XVII. 1. Censorinus c. 4. Scholiastes Apoll. ad IV. ἀργον Eusebius *Chron. num.* 692. & libro X. *de prap. Evang. ex Africano.* Euripides *Hercule fur.* Eustathius ad il. α. Synesius *Dione.* sed de Spartis istis cum lancea natis, quos Gregorius respicit, peculiari dissertatione jam antehac egimus. * Idem Gregorius ad Themistium: *sapientia & eloquentia Studia nunc periclitantur, qua tu contra nostri temporis injurias vindicas, quia in utroque genere coryphaus haberis.* Augustinus de Categoriis. f. *Hac sunt tibi carissime Adeo date, qua jugi labore adsequuti, cum nobis Themistii nostra memoria egregii Philosophi Magisterium non deesset.* Facundus hic Themistius quantum velenificis suis verbis crudelem in Christianos animum Valentis Imperatoris flectere & mutare valuerit, notum est ex Historia Ecclesiastica. Is enim cum valde offenderetur variis Christianorum sectis, opinionumque diversitate, & inde in eorum odium raperetur; Themistius nihil mirum esse demonstravit, cum & longe major esset Philosophorum super suis sententiis controversia & rixa. Quo fine peculiarem librum *de variis iisque contrariis Philosophorum opinionibus* Valenti dedicavit. Socrates Histor. Eccl. IV. 32. (27.) Εως αὐτῦ τὴν πολλὴν ἀπήνειαν ὁ Φιλόσοφος Θεμίστιος μετριωτέραν τῷ προσφωνητικῷ λόγῳ εἰργάσατο· ἐν ᾧ μὴ δεῖν ξενίζεσθαι ἐπὶ τῇ διαφωνίᾳ τῶν χριστιανικῶν δογμάτων παραινεῖ τῷ βασιλεῖ· μικρὰν γὰρ εἶναι τῶν αὐτῶν διαφωνίαν, ὡς πρὸς τὸ πλῆθος καὶ τὴν σύγχυσιν τῶν παρ' Ελλησι δογμάτων (εἶναι γὰρ ὑπὲρ τὰ τριακόσια δόγματα, καὶ πρὸς τὸ δόξαν ἐξ ἀνάγκης, καὶ τὴν διαφωνίαν εἶναι πολλὴν) βούλεσθαί τε οὕτω τὸν Θεὸν διαφόρως δοξάζεσθαι. *Quoad ferox ejus animus libello Themistii Philosophi, quem ei dedicavit, mansuetior placabiliorque factus esset: in qua Themistius Imperatorem blande admonebat, ne qua ipsum caperet admiratio de Christianorum in religione dissensu: cum enim perexiguum esse, si cum multitudine ac turba opinionum, qua sunt apud gentiles, Philolophorum (sunt enim amplius trecenta: & dissensio inter eos, permagna est propter decreta, quibus quaque secta quasi necessario tenetur adstricta.) comparetur; Deumque velle*

 tam

* *Est hac Dissertatio epistolica ad Marquardum Gudium conscripta, sub titulo t* de Spartorum nota genitiva, lancea, *quam Gravius anno 1702.* Syntagmati suo variarum dissertationum *inseruit.*

tam diversa ac dispari opinionum ratione suam gloriam illustrari. Eadem rationem habet Sozomenus *Hist. Eccles.* VI. 36. Eandem rationem ipse Themistius ὑπατικῷ sic declarat. *Tu o divinum caput! non ita statuis agendum: sed in eo verum principem agis, & semper ages, quod ab omnibus Numen religiose pro cujusque captu affectuque coli lege sanxisti. Qua in re (ut in aliis quoque) Deum imitaris, qui sui venerationem omnium hominum pectoribus inseruit, & communem fecit: modum vero se colendi cujusque proprio reliquit arbitrio. Is autem, qui coactione hic utendum putat, a Deo ipso concessam eripit mortalibus libertatem.* Debito majorem in religione libertatem permittit Themistius, & angustam cæli viam latiorem fingit. Distinguendus ab hoc est Themistius ille Καλώνυμος junior sectæ Agnoëtarum caput, a quo Agnoetæ Themistiani juxta Damascenum lib. *de Hæresibus* sunt adpellati. Vixit hic post Concilium Chalcedonense A. C. CDLI. habitum, teste Photio Ecl. XXIII. Severianus fuit, teste Photio Ecl. CVIII. At Severus iste Hæreticus A. C. DXIII. sub Anastasio Imp. Antiochenam Ecclesiam regebat. Graviter itaque errant quicunque hos Themistios confundunt, inter quos numerandi etiam antiqui Nicephorus *Hist. Eccl.* XVIII. 5. aliique innumeri.

4. Forte locum aliquem hic habebit Gregorius Episcopus Nazianzenus, cujus oratio in laudem Maximi Philosophi post exilium reversi superstes est. Erat hic Maximus Alexandrinus natione, Cynicus Philosophia, & Episcopus post Constantinopolitanus creabatur: unde Alexandrinus & Constantinopolitanus sive Byzantinus promiscue adpellatur. Meminit istius Orationis Hieronymus L. de script. Eccl. vita Gregorii: *Laudes Maximi Philosophi post exilium reversi, quem falso nomine quidam Heronis superscripserunt: quia est & alius liber, vituperationem ejusdem Maximi continens: quasi non licuerit eundem & laudare, & vituperare pro tempore.* Atque etiamnum Heronis nomen in orationis illius inscriptione occurrit: paullo post tamen habita est altera ejusdem oratio hodie superstes, *de iis quæ Maximo post reditum contigerunt*: ubi nomen Maximi servatur. Confer de illo Maximo Greg. Nazianzenum Orat. II. de se ipso, & oratione XIII. habita cum post tumultum Maximi rure rediisset: & carmine de vita sua: Theodoretum *Hist. Eccles.* VII. 9. Forte hic est Euclidis ille pater apud Socratem *Hist. Eccl.* III. 1.

Cap. XVII.

CAPVT XVII.

1. Eunapius Sardianus Theodosii M. ætate. Eunapius emendatur. Iunii error. Iuridicus. 2. Eunapii vita. 3. Scripsit Philosophorum & Sophistarum vitas. 4. Alia scripsit. Dexippi duo a Vossi confusi & Tzeze.

1.

SVb Theodosio Magno fuit Eunapius, Sardibus Lydiæ natus, & inde Sardianus dictus, teste Photio Cod. XVII. Ipse quoque id perspicue indicat, quod Theodosii temporibus & post vixerit, vita Ædesii, quæ verba quod ab interprete vix intellecta & prave interpretata sint, adponere lubet. Καὶ τὰ περὶ τὸν Κάνωβον ἱερὰ ταυτὸ τῦτο ἔπασχον, Θεοδοσίυ μὲν τότε βασιλεύοντος, Θεοφίλυ ἐς προστατῦντος (delendum hic est commatis finiti signum) τῶν ἐναγῶν ἀνθρώπυ τινὸς Ευρυμέδοντος (ὀδυσση.)

Ὃς ποθ' ὑπερθύμοισι γιγάντεσσιν βασίλευον,

Ευετίυ δὲ τὴν πολιτικὴν ἄρχοντος, Ρωμανῦ δὲ τὺς κατ' Αἰγυπτον στρατιώτας πεπιστευμένυ. quorum hæc est sententia. *Similem fortunam passa sunt Canobica templa, Imperante tunc Theodosio, Theophilo vero sceleratissimorum & sacerrimorum hominum* (ita Christianos Alexandrinos Ethnicus Eunapius adpellat) *Episcopo. quasi Eurymedonte quopiam, qui*

Late rex tumidos inter savosque Gigantes
Imperium tenuit.

Evetio vero juridico & summo in civilibus magistratu: Romano militum in Ægypto Duce. Junius interpres verba illa de Theophilo sic vertit: *pratorii prafecto Theophilo piaculari homine*, sed Theophilus ille Patriarcha erat Alexandrinus sub Theodosio, vide Suidam σάρατις Nicephorum *Chronologia*, Baronium, alios. Idem Junius Ευέτιον vertit *Venereum*, & Urbi Præfectum adpellat, sed neque P. P. neque P. U. Alexandriæ erat. τὴν πολιτικὴν ἄρχων, Summum notat in civilibus magistratum, qui Alexandriæ Juridicus dicebatur. Vide Notitiam imperii. Sic & Capitolinus vita M. Antonini c. E. *datis juridicis Italiæ consulit* De officio juridici Alexandriæ agitur initio Digestorum singulari titulo. Fere quæ Eunapius tradit, eadem Sozomenus *Histor. Eccl.* VII. 14. 15. ubi tamen pro Ευέτιος legitur Ευάγγιος ἦρχε δὲ τότε τῶν ἐν Αἰγύπτω στρα-

τιωτικῶν ταγμάτων Ρωμανός, Εὐάγριος δὲ ὕπαρχος τῆς Ἀλεξανδρείας ἡγεῖτο. Dicebatur etiam ὕπαρχος Αἰγύπτυ ut Ecdicius ille, ad quem Juliani Imper. epistola exstat.

2. Cæterum Eunapius noster (ut ad eum redeat oratio nostra) puer sedecim annorum cum esset, ex Asia in Europam trajecit, & Athenas petiit, ut ipse de se testatur vita *Iuliani*, & *Proaresii*, Crispo & denso capillitio & ob interspersos canos albicante fuit. Agebat autem tum Proæresius annum ætatis LXXXVII. teste Eunapio vita Proæresii. Maximum senem ibi audivit, teste vita *Maximi*. A morbo, quo tum laborabat, per Æschinem Chium Medicum liberatus Proæresio innotuit ab eoque pro filio & discipulo habitus est, cui ejus officio pari gratitudine & observantia respondit, teste vita *Proæresii*, Vix ante vicesimum ætatis annum gentili religione se imbutum fuisse fatetur, vita *Ædesii*. Quinto anno postquam Athenas venit, Ægyptum petere statuit, sed a parentibus ipsum in Lydiam revocantibus, in patriam retractus est, eique Sophisticæ Studium propositum, ad quod cuncti eum invitabant. Proæresius paucis post diebus vita excessit, teste vita ejus. Diophantum, qui in defunctum Proæresium orationem funebrem habuit, sæpe declamantem audivit, teste *vita Dioph.* itemque Sopolidem, vita *Sopol.* Chrysanthio Sardiano præceptore a teneris usus est, teste vita *Iamblichi*, *Ædesii*, *Prisci*, *Chrysanthii*, ejusque informatione valde fuit delectatus: eum dilexit, in ejus gratiam librum de vitis Sophistarum scripsit, ab eo veritatem sectari didicit, & pro filio Athenis habitus est, ubi cum ipse Rhetoricam mane doceret, a meridie diviniorem Philosophiam a Chrysanthio doctus est. Huic jam seni Sardibus post ægrotanti, & sanguinem missuro Eunapius Medicus quippe præsto erat, pristinæque sanitati eum restituit. Propterea ab Hellespontio Medico id parum tutum prius judicante, postea laudatus est. Idem remedium sequentis anni prima æstate cum repeteret Chrysanthius, cæterique medici adventum Eunapii exspectare jussi essent, ipsi nihilominus eo absente venam secabant, & plus justo sanguinis ægro detrahentes id effecerunt, ut postero anno moreretur, nequicquam aliorum errorem corrigente Oribasio Medico, teste *vita Chrys.* Epiphanium Syrum Eunapius non novit, quippe qui longo tempore ejus peregrinationem præcessit, teste *vita Epiph.* neque Himerium Bithynum συγχρονον licet, nisi de scriptis novit vita *Proaeres.* & *Him.* Jonicus Medicus paullo ante mortuus est, quam Eunapius librum de vitis Sophista-

ſtarum ſcriberet *vita Ionici*. Beronicianum Sardianum æqualem habuit *vita Beron.* itemque Julianum Imp. vita *Chryſ. Him. Orib.* Ab Antiſtite Eleuſiniorum ſacrorum arcanis initiatus & inter Eumolpidas relatus eſt teſte *vita Maximi*.

3. Librum de vitis Philoſophorum & Sophiſtarum impulſu Chryſanthii ſtylo non omnino perſpicuo ſcripſit, ut modo audivimus, in quo libro ſubinde ſe nominat, ſed ſuppreſſo nomine. ὁ ταῦτα συγγράφων, dicitur *vita Proæreſii*, ὁ ταῦτα γράφων *vita Iambl. Alypii*, (hujus enim vita a Jamblichi ſeparata eſſe debet) *Ædeſii, Maximi, Priſci, Epiph. Sop. Chryſ.* ταῦτα ἀκριβῶς ὁ γράφων *vita Max.* ὁ ταῦτα συντιθεὶς *vita Proæreſii.* ὁ συγγραφεὺς *vita Iuliani, Proær. Dioph. Chryſ.* Dicit autem ſe σπουδαίων ἀνδρῶν ἔργα ἀναγράφειν *proœmio*: πεπαιδευμένων ἀνδρῶν εἰς πᾶσαν παιδείαν ἀναγράφειν βίους *vita Ædeſii.* Fabulas huic operi inſerere ſe nolle dicit *vita Iambl.* neque calumnias *vita Libanii*, pietatem quandam præ ſe fert *vita Iambl. & Ædeſii* convitia in Martyres Chriſtianos & reliquias effundit *vita Ædeſii.* Ethnicum ſe paſſim profitetur, Titulus libri hodie hic eſt: Εὐναπίου τοῦ Σαρδιανοῦ βίοι φιλοσόφων καὶ σοφιστῶν. Exſtat Manuſcriptus Romæ in Vaticana Græce, & Venetiis olim apud Diegum Hurtadem & Cardinalem S. Angeli, teſte Geſnero bibl. Exſtat quoque Manuſcriptus in Bibliotheca quondam (eheu!) Heidelbergenſi, Florentina, & Barbariniana. Prodiit primum A. MDLXVIII. e Bibliotheca Sambuci. Atque propter hunc librum inter βιογράφους Philoſophos numeratur, quandoquidem in eo vitam deſcripſit Plotini, Porphyrii, Jamblichi, Alypii, Ædeſii, Maximi, cæterorumque ejus ætatis celebrium Philoſophorum, Sophiſtarum, Medicorum.

4. Citat præterea τὰ διεξοδικὰ τῆς ἱστορίας *vita Maximi*, quæ etiam citat abſolute τὰ διεξοδικὰ *vita Max. Priſci & Proær.* ubi de Philoſophis ſe egiſſe indicat. Citat, τὰ διεξοδικὰ τὰ κατὰ Ἰουλιανὸν, *vita Max. & Iul.* τὰ ἱστορικὰ κατὰ τὴν ἐξήγησιν ὑπομνήματα, *vita Proær.* τὰ καθολικὰ τῆς ἱστορίας συγγράμματα *vita Aedeſii.* Ἀκριβέστερον ἐν τοῖς κατ᾽ ἐκεῖνον χρόνοις λελέξεται *vita Proæreſii* de quo ſe dicturum pollicetur. ἐν τοῖς περὶ ἐκείνου γέγραπται *vita Aedeſii*, ubi de Conſtantino loquitur, de quo Eunapium egiſſe Suidas quoque Κωνσταντῖνος docet. Ἐν τοῖς κατὰ τὸν θειότατον Ἰουλιανὸν ἀκριβέστερον ταῦτα εἴρηται *vita Aedeſii.* Scripſit ſcilicet Eunapius χρονικῆς ἱστορίας τῆς μετὰ Δεξίππου νέας ἐκδόσεως libros XIV, teſte Photio, Ecl. LXXVII. quibus narrationem

nem exorsus a Claudii Cæs. Imperio, in quo Dexippi, cujus *vita Porphyrii* fit mentio, historia desinit, ad Honorii usque & Arcadii tempora. Floruit autem Dexippus Herennius ille Historicus sub Aureliano, teste Eunapio, Lampridio *Alex. Sev.* Capitolino *Max. jun. & Gordia* Suida. Δεξ. Distingendus propterea est a Dexippo Philosopho Jamblichi, qui sub Juliano Imp. floruit, discipulo teste Simplicio *præfat. in Categorias* & Tzeze *Chil.* IX. *hist.* CCLXXIV, qui neglecta temporis ratione, utrumque Dexippum confundit, ansamque errandi præbet CL. Vossio lib. II. *de Hist. Gr.* cap. 16. & L. de nat. & constit. Logicæ c. 8. §. 3. Laudat illam Eunapii Sardiani χρονογραφίαν Suidas Ρȣφῖνος. Oribasius IV. libros ad Eunapium nostrum scripsit Indice Photio Ecl. CCXIX. E quo Oribasii libro aliisque Aetius Amidenus ille Medicus libros suos XVI. de Re Medica confecit, juxta Photium Eclog. CCXXI. Ex illo historiarum Eunapii opere sunt omnino, quæ habet idem Suidas Ευτρόπιος. Ευτρόπιος ὁ ευνȣ̃χος ἐπιτρόπος Θεοδοσίȣ τȣ̃ βασιλέως, ὥς φησιν Ευνάπιος. Exstant hujus Dexippi & Eunapii de legationibus fragmenta parte prima Corporis Historiæ Byzantinæ. Meminit Eunapii Suidas ἴλη, ῥύμη. *

CAP. XVIII.

1. Proclus Lycius de poetis egit. Atheniensium Philosophorum Successio. 2. Hierocles Apollonii Tyanei vitam & Historiam tradidit, contradixit ei Eusebius. Hieroclis ætas. Olympiodorus. 3. Hieroclis alii libri. Alii Hierocles.

1.

THeodosii & Leonis Thracis ætate Proclus Lycius floruit, Philosophus Platonicus, Syriani auditor, juxta Simplicium, ad lib. IV. φυσ. ἀκρ. comm.

* *Temporum Constantii & Valentiniani III. æqualis fuit Aurelius Augustinus ille Numida, Tagosta Numidiæ oppido natus, qui notante Gyraldo. Dialogo IV.* Vitam Senecæ *illius, forte, quem Philosophum vocant, descripsisse dicitur. Hanc nonnulli Xychonti Poletano, sive Polentino adtribuunt, confer Fabricium B. L. p. 369. Ejus scripta edita prostant Basileæ, Antverpiæ, & Parisiis.*

comm. LIII. Erat autem Syrianus ille Patria Gazæus, * Isidori civis, juxta Suidam Συρ. & Philoxeni filius, teste Marino *vita Procli:* Philoxenus item cognomento dictus teste Boethio L I. comm. major. ad lib. de interpret. edit. sec. fol. 295. & lib. 4. ejusdem operis fol. 404. diversus est Syrianus ille, qui mortuo Marino ab Isidoro monetur apud Photium Ecl. CCXLII. Cui juniori potius Syriano tribuendus videtur commentarius *εἰς τὰ Πρόκλου περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ Θεῶν, in Procli librum de Diis Homericis,* quem Syriano priori tribuit Suidas Συρ. Ante Syrianum Proclus quoque Plutarchum audiverat, teste Suida Πρόκλος. discipulos habuit plurimos, quorum optimus fuisse dicitur Asclepiodotus, Musicus & Medicus juxta Simplicium ad lib. IV. *Φυσ. ἀκρ.* comm. CXLI. qui Asclepiodotus Damascii magister & Asclepiodoti Magni gener fuit, teste Photio Ecl. CCXLII. de Asclepiodoto censer Photium l. cit. Suidam *Ἀσκληπιόδοτος, ἀδαήμονες, δεισιδαιμονία.* Asclepiodoti Philosophi *τέχνη τακτικὴ* etiamnum sed Manuscripta & inedita exstat. Procli quoque discipulus erat Ammonius Hermiæ F. Hic Ammonius ejusque frater Heliodorus dicuntur magistri Damascii apud Suidam *Ἑρμείας.* Idem *ἠγάπα τὴν ἐπὶ ποιητῶν ἐξηγήσει καὶ διορθώσει τῆς ἑλληνικῆς λέξεως καθημένην τέχνην: Ammonius artem in poetarum enarratione ac Græcarum vocum correctione occupatam dilexit,* teste Photio Ecl. CCXLII. quare cum aliquando auctorem credidi libelli de vocum Græcarum differentia; sunt, qui hunc Ammonium auctorem vitæ Aristotelis esse malint. In Procli discipulorum numerum recipi non poterat, Hilarius teste Suida *Ἱλαρ.* Proclum nostrum Simplicius *magistrum suorum Præceptorum* nominat. ad lib. IV. *Φυσ. ἀκρ.* comm. LIII. Eum Athenis aliquando ægrotantem Jacobus Medicus curabat, teste Photio Ecl. CCXLII. Chrestomathiam Grammaticam Proclus edidit teste Suida Πρόκλος. Excerptum inde nobis servavit Photius Bibl. Cod. CCXXXIX. quod cum Schotti versione & Petri Joan. Nunnesii notis seorsim Hanoviæ 4. A. MDCXV. In illa Chrestomathia Proclus *de Poetis* egit *γεγόνασι δὲ τοῦ ἔπους ποιηταί. Κράτιστος μὲν Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πίσανδρος, Πανύασις, Ἀντίμαχος. Διέρχεται δὲ τούτων, ὡς οἷόν τε ἐστι γένος τε καὶ πατρίδας καὶ τίνας ἐπιμέτρους πράξεις. Inter Epicos vero poetas*

n ex-

** *Stanlejus eum facit Alexandrinum in opere suo Histor. Philosoph. p. 1214. sed nullum laudat testem.*

excellunt Homerus, Hesiodus, Pisander, Panyasis, & Antimachus. Recenset horum, quantum fieri potest, genus, patriam, & quadam opera metris ligata. Et paullo post λέγει καὶ τὰ ὀνόματα καὶ τὰς πατρίδας τῶν πεπραγματευσαμένων τῶν ἐπικὸν κύκλον. *Memorat etiam nomina & patriam eorum, qui Epicum Cyclum fecerunt,* Verba sunt Photii Ecloga citata. Fuit hic Proclus διάδοχος, sive successor Syriani. Sed ecce Philosophorum Atheniensium successionem.

Plutarchus
Doctor Atheniensis. Suidas Πλουτ.

Syrianus
Suid. Συριανὸς & πυργῦται.

Olympiodorus

Hermeas,
Phot. Ecl. CCXLII.

Proclus,
Suidas Πρόκλος. *Floruit sub Theod.* II. & *Zenone.*

Asclepiodotus, *Procli discipulorum optimus, Damascii magister.*

Zenodotus, *Phot. Eclog.* CCXLII.

Severianus, *Sub Zenone,* *Suid.* Σεβηρ. *Poeta.*

Ammonius, Hermiæ F.

Hierius, *Plutarchi F. apud Photium Ecl.* CCXLII. *& Suidam* Παμπρέπιος.

Marinus *Procli successor sub Zenone. Phot. Ecl.* CCXLII *& Suid.* Πρόκλος. Μαρῖνος.

Asclepius *Trallianus Nicomachi Arithmeticam commentaria illustravit.*

Simplicius

Joannes *Grammaticus Philoponus sub Justiniano. Leontius l. de sectis Act.* v.

Isidorus *Proclo familiariter usus. Phot. Cod.* CCXLII. *Suid.* Μαρῖνος.

Damascius
Sub Justiniano. Phot. Ecl. CLXXXI. CCXLII. *Simplicium quoque audivit.*

2. Hiero-

2. Hierocles, Philosophus Alexandrinus, Apollonii Tyanei, Philosophi Pythagorici, historiam tradidit, sed ita, ut eum cum Christo Servatore nostro comparaverit, & ob virtutes atque operationes miras, æqualem huic fecerit, quod ante eum a b aliis quoque factum fuisse indicat Augustinus Epist. V. fol. 16. *Quis autem vel risu dignum non putet, quod Apollonium & Apulejum cæterosque Magicarum artium peritissimos, conferre Christo vel etiam præferre conantur?* confer epist. XLIX. fol. 132. Marcellinum ad Augustinum epist. IV. fol. 2. qui *Apollonium*, inquit, *suum nobis & Apulejum aliosque magicæ artis homines in medium proferunt, quorum majora contendunt exstitisse miracula.* Titulus operi fuit *Philalethes*, ut indicat Eusebius iste, qui octo sermonibus (totidem enim libris Apollonii vitam descripserat Philostratus,* quem Hierocles sequebatur) Hieroclis sententiam rejicit atque refutat. Posteaquam hasce Hieroclis contra Christum blasphemias, cui spurcissimum Magum Apollonium comparare ausus est, Eusebius refutaverat, addit brevem refutationem librorum ejusdem Hieroclis de Fato & providentia, quorum Photius Ecl. CCXIV. septem fuisse indicat, quosque ad Olympiodorum Philosophum miserat.** Hieroclem de providentia in Regia bibliotheca Parisiis num. 1779. exstare ajunt. Probare in illis voluit omnes

* *Lemnius scilicet.*

** *Quo loco Noster, circa Hieroclis homonymiam impegisse videtur clarissimo Mollero notante in homonymoscopia p. 312.* primo *scilicet Hieroclem Alexandrinum Philosophum, Librorum VII. de fato auctorem, unum eumdemque facit cum Hierocle* λόγων φιλαληθῶν *conditore, integro seculo, (uti Caveus in Cartophylace eccl. p. 50 & in Histor. Litter. scriptorum eccles. p. 94, 198. ex Eusebio Lactantioque L. V. Institut. Divin. demonstravit,) antiquiore isto, Philosopho Alexandrino, cujus Photius citata ecloga CCXIV. mentionem facit. Dein appendicem de fato, Eusebii libro additam, falso scribit, oppositam esse Hieroclis Alexandrini VII. de fato Libris, sed adversus Apolloneum Tyaneum directa illa deprehenditur. Hinc non potuit non concludere pagina sequenti:* errare *nimirum* eos, qui Eusebium hunc, qui Hieroclis L. de fato, & de comparatione Apollonii Tyanei cum Christo refutavit, esse opinantur illum Cæsariensem Eusebium seculo quarto celebrem, *& reliqua. Inde illius etiam*

quotquot Platonem & Aristotelem inter se dissentire statuunt, falsos omnino esse & neutrius mentem adsecutos. Sexto libro adfirmavit omnes a Platone Philosophos ipsum etiam Aristotelem ad Ammonium usque Alexandrinum Plotini & Origenis Præceptorem eamdem cum Platone sententiam tenuisse. Septimo autem sive ultimo libro, eos qui Ammonium sequuti sunt, Plotinum scilicet Origenem, Porphyrium, Jamblichum & deinceps ordine cæteros usque ad Plutarchum Atheniensem, vere Platonicos fuisse probavit stylo perspicuo atque philosopho, judice Photio Ecl. CCXLII. ubi eum, Alexandriæ discipulis suis, quorum unus erat Theosebius Isidori sub Zenone clari Præceptor, Georgiam Platonis mira ingenii felicitate atque facundia exposuisse tradit. Tandem Ecloga CCLI Photius egregium ex ejus *de providentia* libro fragmentum adfert, & Alexandri Aphrodisei Peripatetici sententiam fuisse ab eo improbatam refert. Vixit autem hic Alexander tempore Severi Imp. itidemque de providentia librum scripsit, quem citat Eusebius *præp. Evang.* lib. VI. cap. 7. Cyrillus lib. II. III. IV. & V. contra Julianum Ejus περὶ εἱμαρμένης fragmenta supersunt. Ætatem Hieroclis alias dubiam ex iis, quæ diximus, facile erit conligere (1.) Vixit Hierocles noster vel ætate Plutarchi Atheniensis, vel non diu post, cum inter celebriores Philosophos, qui a Platone ad sua tempora vixissent, Plutarchum hunc postremum faciat. Sed successionem Philosophorum in schola Atheniensi jam dedimus in *Proclo.* inde quia eorum hic crebra fit mentio, qui fuerint, quosque habuerint successores & discipulos, manifestum redditur. Vixit autem hic Plutarchus aliquanto tempore post Jamblichum, ut verba Photii innuunt Ecl. CCXIV. Jamblichus vero Juliano Augusto floruit, ut ex hujus ad Jamblichum epistolis constat. Vixit item ante Isidorum illum, qui Marinum Procli discipulum audivit, teste Photio Ecl. CCXLII. (2.) Hierocles libros illos suos ad Olympiodorum Philosophiæ adprime studiosum, & civilis scientiæ probe gnarum, ποιητὴν τὸ ἐπιτήδευμα, juxta Photium Ecl. LXXX. sive χρυσοποιητήν, qui χημευτικὴν & χρυσοποιΐαν profiteretur, explicante X. Remesio Var. II. 5. misit, qui insuper legationibus Romanis clarus, multas barbaras gentes Romano imperio

Hieroclis Alexandrini, qui seculo quinto floruit, de fato libros, ipsius longe posteriores adducere non potuit. Plura Mollerus docet citato loco, quem consule.

rio adjunxit, de quo Photius Ecl. CCXIV. p. Vivebat tum temporis sub Honorio & Theodosio II. * Olympiodorus Philosophus, ad quem Isidorus Pelus. L. II. *epist.* CCLVI. *Demiror qui fiat, ut cum Platonem mireru, ejus tamen consilia & pracepta parvi pendas.* Idem videtur esse Olympiodorus ille Peripateticus, quem Alexandriæ philosophiam docentem audivit Proclus Platonicus, teste Marino, *vita Procli* & Suida *Μαζίνῳ*. Proclus vero postea Athenis philosophiam docuit, & de consensu Orphei, Pythagoræ, & Platonis ** aliosque libros scripsit, de quo supra. Scripsit Olympiodorus commentaria in Meteorologiam sive IV. Libros Meteorologicos Aristotelis, *** sed juvenis forte, ut postea legationibus functus sit. Doctissimus Phil. Labbæus ejusdem in Platonis Philebum Gorgiam, Alcibiadem primum & Phædonem, commentarios in membranis adhuc latere indicat libello de Græcis Platonis & Aristotelis interpretibus. **** Scripsit ætate jam grandis, ut aparet, historiarum libros XXII. exorsus eos ab Honorio VII. & Theodosio II. Coss. Desinens morbo forte letali impeditus, duodevigesimo post anno cum post Honorium rerum potiretur Valentinianus A. C. CDXXV. Eclogam ejus operis habet Photius tm. LXXX. Exstat quoque fragmentum ejus parte II. *Corporis. Byz. Historia.* ***** Ipse vero Olympiodorus apud Photium Ecl LXXX. tradit se ad Hunnos & Donatum missum esse Legatum, & in iti-

n 3 nere

---

* *Cui etiam suos Historiarum L. nuncupavit.*

** *Quem librum praceptori ejus Syriano supra laudato Suidas adtribuit voce* Συρ. *& quos dicto loco Syriano adscribit, adtribuit ejus etiam discipulo, Proclo, voce* Προκλ. *quia forte ex ore Syriano exhauserat, qua libris postea suis complexus est.*

*** *quos cum Ioann. Philoponi scholiis in L. I. edidit Aldus Man. Venetiis 1551. f. & Latina interpretatio IV. L. auctore Io. Baptista Camotio, prodiit ibidem 1555. & 1557 f.*

**** *quem signatum numero 2580. in Gorgiam, Alcibiadem primum & Phadonem, numero 2102. & 2103 exstare in Bibliotheca Regia, & alium in Philebum & Phadonem, scriptum anno 1536 sign num. 2101. laudatus Menagius in hist. mulierum philosoph. 71. indicat.*

***** *Scripsit & Olimpiodorus Grace vitam Platonis, quam ad Calcem observationum Aeg. Menagii in Laertium adjectam a Merico Casaubono videmus.*

nere Athenis Leontium invitum etiam in Sophisticum thronum evexisse, sociumque suum Philtatium, Virum doctum ibidem artem libros conglutinandi invenisse. Hæc Photius Ecl. LXXX. ex Olympiodori Historiis, quem eumdem cum Olympiodoro esse illo judicio, ad quem tanquam magnæ auctoritatis & eruditionis virum libros suos mittit, ejusque judico submittit Hierocles noster, quem inde conligimus Theodosii II. temporibus floruisse. Diversus est Olympiodorus ille ὁ Ἀθηναίων προςάτης qui de Diogene Cynico nonnihil tradidit teste Laertio lib. VI. *Diog.* fuit & Olympiodorus Alexidis apud Laertium lib. III. *Plat.* Olympiodorus, Tibicen, magister Epaminondæ fuit teste Aristoxeno apud. Athenæum IV. 25. Olympiodorus Medicus apud Plinium *Hist. Nat.* I. 12. Sed hæc obiter. Quæ cum ita sint, errare constat eos, qui Eusebium hunc, qui Hieroclis nostri libros de fato & de comparatione Apollonii Tyanei cum Christo refutavit, esse opinantur * illum Cæsariensem Eusebium, Pamphili Historiarum Ecclesiasticarum Scriptorem, ante natum nostrum Hieroclem jam defunctum. Omnes quotquot de fato scripsisse noverat auctores Eusebius L. VI. *de præp. Evang.* ubi ipse de fato agit, adducit, non facta Hieroclis nostri mentione, quem vel maxime nominasset, si tum vixisset.

3. Scripsit Hierocles noster non modo comparationem Apollonii cum Christo, & de fato atque providentia, verum etiam εἰς τὰ χρυσᾶ ἔπη τῶν Πυθαγορείων βιβλίον, *in aurea carmina Pythagoreorum librum*, observante Suida Ἱεροκλῆς. Exstat is Manuscriptus in Bibliotheca Regis Christianissimi Num. 1059. & in Bibliotheca Jesuitarum Num. 46. Parisiis. Discipulum ejus fuisse Theosebium notat Photius Ecl. CCXLII. & Suidas loco cit. Apostolius adag. λέσχη citat Hieroclis librum primum φιλοσοφουμένων: Idem Apostolius & Etymologici M. auctor, uterque prov. ἐμποδὼν ἐςὶ citat Hieroclis librum secundum φιλοσοφουμένων παρὰ τῶν φιλοσόφων. Et vix dubitandum, quin nostrum signet Hieroclem. Diversus ab hoc est Hierocles ille Arcesilai Philosophi familiaris apud Laertium L. II. *Mened.* & lib. IV. *Arc.* itemque Hierocles ille Stoicus apud Gellium IX. 5. Hierocles Alabandeus orator Meneclis itidem Oratoris frater, Ciceronis erat magister teste Cicerone ipso *Bruto*, & Strabone lib. XIV. Hierocles Heliogabali Aug. maritus, juxta Theodorum Metoch. *Hist. Rom.* fol. 97.

CAP.

* *in his & Labbeus L. de scriptoribus Eccl. p. 306.*

CAP. XIX.

1. Marinus Procli vitam edidit. Alii Marini. 2. Sidonius Apollonii Tyanei vitam vertit. 3. Simplicius in Iamblichi librum de secta Pythagorica scripsit. 4. Damascius Historiam Philosophicam edidit, cujus Ecloga superest. Nunnesii error. Damascii σωζόμενα. 5. Hesychius, Milesius inlustris non inlustrius dictus, Doctorum Virorum elenchum vulgavit. Meursii laus.

1.

SUb Zenone Marinus, Neapolitanus, floruit, discipulus Procli & successor pariter, cujus magistri vitam cum scripserit, locum aliquem sibi inter hos Scriptores vendicat. Vide Suidam Μαρῖνος & Photium Ecl. CCXLII. & quæ jam in Proclo diximus. Exstat illa Procli vita sed mutila, libris sex ejusdem Procli in Platonis Theologiam præfixa, quos Bibliotheca Gottorpiana, cui & nos plurimum debemus, per Aemilium Portum anno hujus seculi decimo octavo primum vulgavit, eorumque editione plurimorum Eruditorum desiderium explevit. Vide Nunnesii desiderium lib. de confic. curric. Philos. c. 2. §. 11. Particulam tamen ejus vitæ ineditam servat bibliotheca V. Cl. Lucæ Holstenii de his studiis bene meriti. Alius ab hoc est Postumius *Marinus* Medicus, cujus opera fideli Plinius Secundus infirmitate sua liberabatur ut ipse docet lib. X. epist. 6. Idem force est Marinus ille Medicus laudatus Galeno. Fuit quoque Marinus Tyrius Geographus.

2. Iisdem temporibus vivebat Cajus Sollius Apollinaris Sidonius, natus quippe A. CDXXXI. circiter. Hic vitam Apollonii Tyanei Pythagorici, e Græco Latine a se versam Leoni Evarigis Gothorum Regis, hujusque Successoris Alarici Consiliario misit, teste ipso lib. VIII. epist. 3. *Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior, e Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi schedio exscripsit, quia jusseras, misi; quam dum parere festino celeriter, eicis in tumultuarium exemplar, turbida*

da & praceps & opica translatio. Neque mihi rem credito diuturnius elaboratam, vitio vertas. Eadem epistola Apollonium istum Magum, quem detestata & execrata est Ecclesia, mire & præter Christianorum morem commendat Sidonius. *Historiam*, inquit, *flagitatam tunc recognosces oportune competenterque, si cum Tyaneo nostro nunc ad Caucasum Indumque, nunc ad Aethiopum Gymnosophistas, Indorumque Bracmanas totus lectioni vacans & ipse quodammodo peregrinere. Lege virum (fidei Catholica pace prafata) in plurimis similem tui, id est, a divitibus ambitum nec divitias ambientem: cupidum scientia, continentem pecunia, inter epulas abstemium, inter purpuratos linteatum, inter alabastra censorium, concretum, hispidum, hirsutum: in medio nationum delibutarum atque inter Satrapas Regum tiaratorum myrrhatos, pumicatos, malobatratos, venerabili squalore pretiosum: cumque proprio nihil esui aut indutui de pecude conferret, regnis ob hoc, qua pererravit, non tam suspicioni, quam fuisse suspectui & fortuna regum sibi in omnibus obsecundante illa tantum beneficia poscentem, qua mage sit suetus oblata prastare, quam sumere.*

3. Justini & Justiniani temporibus erat Simplicius, Cilix, Græcus Aristotelis interpres, qui præceptores agnoscit *Ammonium* ad lib. I. φυσ. ἀκρ. comm. XII. & *Damascium* ad lib. IV. φυσ. ἀκρ. comm. LIII. & CXLI. Adversarium habuit & coætaneum Joannem Grammaticum, a labore assiduo Philoponum dictum, quem refutat ad lib. VIII. φυσ. ἀκρ. In Persidem aliquando profectus est cum Damascio Syro, Eulalio Phryges, Prisciano Lydo, Hermia & Diogene Phoenicibus, & Isidoro Gazæo Philosophis & Areobindo, teste Suida πρέσβεις. Scripsit commentarium in Jamblichi librum *de secta Pythagorica*, qui in Vaticana adservatur Bibliotheca, teste Gesnero. Ejusdem operis meminit omnino Petrus Johannes Nunnesius Hispanus l. *de confic. curric. Philos.* cap. 2. §. II.

4. Damascius, Damascenus, Philosophus Syrus. Justiniani ætate. Stoicum eum Suidas Δαμ alii tamen Peripateticum faciunt. Discipulus fuit Isidori & successor in schola Atheniensi, teste Photio Ecl. CLXXXI, ubi & alios Damascii præceptores enumerat. Theonem Rhetorem, Marinum, Procli Athenis successorem, Zenodotum Athenis itidem Procli successorem, a Marino secundum, Ammonium. Hermiæ F. Alexandrinum Mathematicum insignem. Condiscipulum Damascii Suidas Δαμ. & Phot. Cod. I. 81. habent Simplicium.

Inter

Inter varia hujus Damascii opera, quæ recenset Suidas, fuit quoque Φιλόσοφος ἱστορία, quam idem alibi quoque citat voce Δῶρος. Isidori illa vita, quam Photius Ecl. CLXXXI. & CCXLII. e Damascio excerpsit, & Suidas Συριανὸς indicat, hujus credo Φιλοσόφου ἱστορίας pars fuit. Prolixe autem illa Isidori vita descripta fuit, & LX capitibus distincta, quam Theodoræ cuidam, doctæ fœminæ * dedicavit, ut indicat Photius Ecl. CLXXXI. Ex illo opere prolixa satis est Photii Ecloga CCXLII. Meminit hujus Damascii quoque Photius Ecl. CLXVI. Suidas Ἐπιφάνιος, Πίνος. Aristotelis illa vita, quam a se in lucem protractam esse frustra doctis persuadere conatur Petrus Nunnesius, Hispanus (prodiit enim annis abhinc circiter ducentis, præfixa Venetæ editioni Aristotelis) hunc Damascium auctorem habet, si ejusdem Nunnesii conjecturæ standum est, quæ tamen a Clariss. Vossio bene rejicitur lib. II. *Histor. Gr.* cap. XXII. Damascii Philosophi in Hippocratis Aphorismos & prognosticon scholia in Græcia alicubi exstare, ex Andreæ Darmari relatione tradit Schengkius *Bibliotheca Medica*. Ejusdem parecbolæ in lib. I. *de cœlo* & quæstiones de primis principiis, seu libri duo Dubitationum & Solutionum de primis principiis exstant etiamnum MSS. Græce in Gallia teste Phil. Labbæo Bibl. nov. fol. 112. & in Anglia Oxoniæ in bibliotheca collegii corporis Christi. Ejusdem in Parmenidem & physica in libros de cœlo ἀνέκδοτα Græce manuscripta exstant teste eodem Labbæo fol. 169. Utrumque opus, & de principiis, & in Parmenidem in Bibliotheca Scoriacensi Hispaniæ itidem exstat teste eodem Labbæo fol. 186. Dubitationes ejus & Solutiones de principiis exstant quoque in Biblioth. D. Caroli de Montchal, Archiepiscopi quondam Tolosani teste Labbæo fol. 191. & in Bibliotheca Hispanica S. Laurentii teste eodem fol. 385. sed vereor, ne plures fuerint Damascii.

5. Hesychius, Milesius, Illustris epitheto potius quam cognomine dicitur. Illustrius aliis dicitur, Græcam adpellationem Ἰλλούστριος male retinentibus. Græcis quidem ita dicitur Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούστριος Joan. Tzetzæ Chil. III. Suidæ Ἡσύχ. Photio Tmem. LXIX. LXX. quod tamen Latine reddi debet *illustris*. Nomina enim Latina in *is*, Græci per ιος efferre solent, ut Φιδήλιος (pro quo Φιδέλιος corrupte apud Procop. L. I. belli Goth.) *fidelis*, Κοντουβερνάλιος, *Contubernalis*, Νωβίλιος

O

* *vide Menag. in mulieribus Peripateticis, p. 72. & seqq.*

λιος, *Nobilis*, Κηνσουάλιος, *Censualis* apud Justinianum Novella XVII. & CXXVIII. Αὐγουστάλιος, *Augustalis*, Photio Ecl. XCVI. Προκόπιος Ἰλλούστριος, *Procopius Illustris*, Suidæ Προκ. Καρδινάλιος, *Cardinalis*, Chron. Constantinop. Πέτρος Ἰλλούστριος, *Petrus Illustris*, Photio Ecl. CXCIV. Χριστόδωρος Ἰλλούστριος, *Christodorus Illustris*, Suidæ χριστ. τῶν ἰλλουστρίων meminit Photius Ecl. CCXLIV. Plura id genus alia exempla suppeditat Varini Camertis Lexicon, & Meursii Glossarium Græco-barbarum. Vixit Hesychius noster sub Anastasio, Justino & Justiniano, Impp. & scripsit Ὀνοματολόγον, ἢ Πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, juxta Suidam Ἡσυχ. Integer titulus libri, qui etiamnum exstat, est: Ἡσυχίου, Μιλησίου, Ἰλλουστρίου, περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν. *Hesychii, Milesii, illustris, de iis, qui eruditione floruerunt.* Hunc Hesychium Illustrem notulis egregiis illustriorem reddidit Joh. Meursius, vir præ cæteris de Græca antiquitate bene meritus.*

CAP. XX.

1. Mediæ ætatis auctores historiæ nostræ philosophicæ. 2. Michael Psellus, ejus ætas, scripta, de Psellis Leo Allatius. 3. Suidas. Suidarum plures. 4. Joh. Sarisberiensis. 5. Guil. Rameseye. 6. Jo. Vallensis. 7. Albertus M. 8. Gualtherus Burlæus & 9. Nic. Heynter historiæ nostræ profuerunt.

I.

ANtiquioribus seculis quæ floruerint ingenia vidimus: reliquum est, ut antiquitatis oceanum fere emensi, & quasi portum e longinquo prospicientes, vela sermonum contrahamus, deque mediæ & recentioris ævi scriptoribus eo brevius agamus, quo minus dubii & obscuritatis eorum historia habet. Et media quidem ætate, quum post fatalem imperii Romani terminum, barbaries nobiliores omnes

* *Distinguendus vero est Hesychius noster ab aliis hujus nominis, inprimis ab Alexandrino illo, Lexici Græci auctore, &, si unus idemque est, a Græco V. T. interprete; quo cum sæpius confunditur, clarissimo Mollero notante in Homonymoscopia sua, p. 479.*

omnes tam Orientis, quam Occidentis provincias diripuisset, omnis elegantior eruditio, cultiorque philosophia conciderat ita, ut a seculo post CH. natum decimo, circa meras nugas occupari cœperit, veluti Hachenbergius scribit in dissertatione VI. Germaniæ Mediæ. Hinc exstiterunt oppido pauci, qui historiam nostram monimentis editis inlustrarunt.

2. Moderante apud Germanos, ad quos translatum fuerat, imperium, Henrico IV. qui patri, Henrico, Imperatori, cognomine Nigro successerat anno Ch. CIↃ LVI. Græcos inter homines enitebat Michael Psellus, Constantinopolitanus senator, quem inter πολυγραφωτάτους istius ævi Stephanus refert in Lexico, voce *Psellus*. Hunc circa annum Christianum millesimum sexagesimum & deinceps floruisse, Lambecius memorat in Prodromo Historiæ Litterariæ p. 93. Lud. Kusterus in elegantissima præfatione, quam Lexico Suidæ præmisit, eum sub Alexio Comnenio viguisse, vitamque ad seculi usque duodecimi initium produxisse contendit. Quibus adsentiri videtur Martinus Hanckius, qui de controversa Pselli ætate, optime egit Libro de rerum Byzantinarum scriptoribus P. I. c. 26 p. 478. & reliquis. Claruit autem Psellus eodem notante, sub Occidentis Impp. Michaele Stratiotico, Constantini Monomachi post Theodoram Imperatricem anno CIↃ LVIII. successore, a quo legatus missus fuit ad Isaacium Comnenum succedentem; sub Constantio Duca, cujus filiis a consiliis fuit; sub Michaele Duca, Nicephoro Botaniade, & Alexio Comneno, sub quo post amissas dignitates vitam egit monasticam. Varia scripsit, quibus historiam philosophicam adauxit: quippe Zonara teste, Tomo III. Annot. de rebus Imp. Michaelis Strati sui ævi φιλοσόφων dictus fuit ὕπατος, *philosophorum princeps*. quo scilicet elogio augusta auctoritate tum ornabantur ii, qui primas in philosophia tenebant. Sed pleraque ejus ἀνέκδοτα esse, passimque in bibliothecis latitare, diligenter Possevinus adnotavit. Præter vero cætera ad institutum nostrum pertinere videtur ejus *Lyræ Pythagoricæ Diagramma*, quod nuspiam itidem impressum conspicitur; illud autem conservari in Gallia, auctor est Philippus Labbæus in bibliotheca nova, f. 94. Nec non ejus Ἐξήγησις, sive *Expositio* in *Zoroastris Oracula*, ejusdemque Ἐξήγησις, sive *dogmatum Chaldaicorum Expositio*, quas in Gottorpiensi Bibliotheca MSStas latere summus Morhofius tradit Polyh. L. I. 7. 64. Solet autem cum nostro confundi quandoque

alius Michael Psellus, qui circa annum IↃCCC LXX. clarus fuit, observante doctissimo Mollero in Homonymoscopia sua p. 40. Sed de utroque confer, quem modo laudavimus, Mart. Hanckium, citato libro. Meminit etiam Spachius in Nomenclatore philosophorum suorum, Joann. Pselli, qui versus aliquot Græcos in tres sanctos Hierarchas, inque septem sanctas Synodos composuit. Plures Græciæ Psellos L. Allatius enumerat in elegantissima sua de Psellis, eorundemque scriptis ad Jacobum Gaffarellum Diatriba, quæ ultima vice Romæ prodiit anno 1634. 8. in qua potissimum eorum scripta distinguere docet.

3. Psello additur Suidas, sive Σουΐδας, de cujus ætate inter eruditos itidem varie controvertitur, aliis eum ad seculum decimum, aliis ad undecimum, nonnullis eum ad seculum decimum quartum referentibus. Lud. Kusterus eum longe antiquiorem, adeoque inter dubiæ ætatis auctores habet, & politissimus Politianus dubitavit, an ullus unquam Suidas exstiterit, confer Vossium L. de Histor. Græc. L. II. 16. Nos in re dubia proximum a Psello locum tribuimus ipsi, quod Lexicon ejus multi post Psellum auxerunt, Volaterrano notante in Anthropol. f. m. 226. quod etiam loca nonnulla e Psello sumta in vocibus Γνώρας, Δέτεω, ἡγήτορες probant. Hinc de auctoritate hujus Lexicographi sunt, qui dubitant, & in nonnullis iudicium debitamque diligentiam desiderant. e quorum numero est celeberrimus Baelius, qui Tomo I. P. I. p. 43. Dictionarii sui Historico-Critici, haud æquum de Suida nostro judicium fert his verbis: quel fond y-a-t-il a faire en egard *aux nombres & aux citations sur un Auteur aussi êtropié, & aussi falsifié, que le Suidas d'aujourd'hui?* sed licet ejusmodi nævi partim Suidæ ipsi, partim librariis, & recentioribus istis Compilatoribus adtribuendi, quemadmodum Kustero videtur; negari tamen nequit, Lexicon ejus, uti omni historiæ, ita philosophicæ maxime conducere; quod in eo non modo poetarum, oratorum, & historicorum, sed philosophorum quoque & aliorum virorum virtute meritisque clarorum vitæ nobis e multis præclaris veterum monimentis exponuntur. Inde, quum nemo isto Thesauro revirescentibus melioribus in Europa litteris carere potuisset, operis hujus permultæ a seculo XV. prodierunt editiones, quarum prima, quæ Græce tantum anno CIↃ CCCC CXIX. Mediolani lucem adspexit, fuit emendatissima. Nunc præcellit illa, quæ plurium annorum spatio expolita, & ante decennium edita fuit hoc sub titulo:

tulo: *Suidæ Lexicon, Græce & Latine, cujus textum Græcum cum MSStis codicibus collatum, a quamplurimis mendis purgavit, perpetuis notis illustravit; versionem Aemilii Probi multis in locis correxit indicesque auctorum & rerum adjecit Lud. Kusterus*, Professor humaniorum litterarum in Gymnasio Regio Berolinensi, Cantabrigiæ, Typis Academiæ, 1704. III. vol. in folio. Quid vero in hac editione præstitum sit, ipse nobilissimus auctor in eruditissima præfatione enarrat. Cæterum plures potuerunt esse Suidæ, minimum doctissimo Stephano notante, adhuc unus est. Historicus, is Augusti ætate celebris, cujus præter Strabonem L. VII. Scholiastes Apollonii Rhodii & Stephanus Byzantinus mentionem faciunt. Confer Stephani Dictionarium continuatum per Nicol Lloydium, Londini editum CIƆ IƆ CLXXXVI. f. voce *Suidas*. Hunc antiquiorem cum nostro confuderat Lil. Greg. Gyraldus, Dial. 3. de historia poetarum, quem ideo quoque notat Kusterus in laudata præfatione.

4. Imperante Friderico Barbarossa, laudatissimo principe, qui Conrado Sueuo (qui etiam Conradus III. adpellatus fuit) anno CIƆ CLII. successit, atque imperium tenuit annos XXXVIII. Regibus apud Britannos Henrico II. cognomento Plantageneta, ab anno CIƆ CLIV. usque ad annum CIƆ CLXXXIX. & postea Richardo Leonino, qui præfuit usque ad annum CIƆ C XCIX. nonnulli laudantur Angli eruditione clari. In iis Joannes Sarisburiensis, Episcopus Carnotensis, ad quem honorem pervenisse dicitur anno CIƆ C LXIV. notante Vossio, de Hist. Lat. II. 52. in *de nugis curialium & vestigiis philosophorum Libris VIII.* quibus *Policrati* titulum dedit, aulicorum & philosophorum vanitates perstrinxit, qui liber sæpius editus est, & ultima vice, ni fallor, Amstelodami 1664. 8. Tale argumentum tractarunt postea I. Picus Mirandulanus, in L. contra Astrologos, Salmasius in de anno climacterico, Henr. Corn. Agrippa in Libro de vanitate scientiarum, qui liber non confundendus cum alio, quem Franciscus Sanchetz edidit sub titulo; Quod nihil scitur, Lugd. 1581 8. (quem Dan. Hartnaccius iterum Stettini edidit, sub tit. Sanchetz aliquid sciens,) in quo omnis scientia negatur, atque in dubium vocatur; Agrippa vero neque negat scientiam, neque in dubium vocat eam, sed vulgarem tradendi modum reprehendit & scientiarum auctores traducit. Plura de Sarisberiensi videbis apud Vossium citato loco.

5. Guilielmus Ramesfeye, Anglus & ipse, quem eodem Henrico Rege, præter alia *de vitis philosophorum* egisse, laudatus Vossius eodem capite dicit. Scribit enim post enarratos alios ejus libros: *Ad hæc de vitis philosophorum: atque alia.*

6. Quo tempore Germanorum vacabat imperium, eodem in Anglia regnabat Henricus III. Rex, cujus sub imperio circa annum sexagesimum seculi tertii decimi, clarus itidem fuit Johannes Walleis, alias Guallensis, vulgo Vallensis, Monachus primo Wigorniensis, Pitsæo de inlustribus Angliæ scriptoribus referente p. 341. postea Theologus D. & Professor in celeberrima Parisina, qui primus scriptorum posterioris ætatis, antiquiorum philosophorum vitas consignavit libro, cui nomen: *de vitis inlustrium philosophorum Compendiloquium*, quod cum aliis ejusdem Venetiis & Lugduni demum anno prodiit 1511. in 8. notante Gesnero in bibliotheca. Idem *breviloquium de virtutibus antiquorum principum ac philosophorum* composuit, quod idem Pitsæus exstare adnotat Oxoniæ in Collegio Orialensi. Cæterum Vossius notat, eum duo de viginti magna volumina scripsisse, de Hist. Lat. II. 58 Ab hoc diversi Laurentius Vallensis, Canonicus & Patricius Romanus, de quo mox dicemus: Hieronymus Vallensis, Medicus Patavinus, vide Vossium L. de Historicis Lat.

7. Fluctuans interim apud Germanos imperium confirmaverat Rudolphus I. e comitibus Abesburgensibus electus Imperator a Germanis & Gregorio X. anno cIↃ CC LXXIII. cui successerat Adolphus Nassovius, anno cIↃ CC XCII. huic Albertus, Rudolphi Cæsaris filius, Austriæ Dux, anno cIↃ CC XCVIII. Alberto Henricus VIII. Lucemburgensis, anno cIↃ CCC VIII. Henrico Ludovicus IV. aliis V. Bavarus, quod e Bavariæ ducibus erat, anno cIↃ CCC XIV. quo temporis intervallo pauci laudantur, qui rei historicæ nostræ profuerunt, quia pauci philosophiam saniorem excoluerunt. Rudolphi I. tempore clarus occubuit anno cIↃ CC LXXX. Albertus ab eruditione Magnus dictus, Thomæ Aquinatis præceptor, & post Ratisbonensis Episcopus, qui *speculum Astronomicorum* scripsit, in quo de libris Astronomiæ licitis & illicitis, ac de eorundem auctoribus, & titulis, argute pertractavit, Lugduni in 8. confer Labbeum in B. B.

8. Bavaro autem imperante & postea, Angliæ Regno præfuerunt Eduardus II. & III. Sub Eduardo III. cognomine Fortunato, floruit

Gual-

Gualtherus Burleus, five *Burley*, Anglus, M. Joh. Dunsi, Scoti, qui subtilis Doctor, & a Scaligero lima veritatis dicitur, cum Guilielmo Occamo discipulus, sed ejus deinde impugnator acerrimus, ac Pitsæo teste, Nominalis philosophiæ sectator, Doctor primo Theologus Oxoniensis e societate collegii Mertonensis, teste Vossio, L. de Histor. Lat. II. 65. & post Parisiensis ad annum cIↃCCCXXXVII. qui præter alia philosophici argumenti monimenta, quæ MSSta in bibliothecis Oxoniensibus & Cantabrigiensibus latent, Lelando, Baleo, Pitsæo, Vossioque testibus, historicum *de vitiis & moribus philosophorum* reliquit opus, quod Simlero in Appendice Gesneri monente, manuscriptum in bibliotheca Dominicanorum Ratisbonæ conservatur. Habuisse tamen exemplaria quædam Vossium, ex ejusdem supra citato loco adparet; alterum rudibus adhuc typis nascente demum typographia impressum, sine addito anno & editore: alterum circa idem tempus Coloniæ anno 1472. editum, & ab eadem Coloniensi Academia tunc adprobatum, quod dein teste Labbeo B.B. Antonius a Sala Monbellensis JCtus, Casali in Italia anno 1603. 4. pro suo evulgavit, excisis tantum quibusdam in fine pagellis. Confer de hoc pluribus Fabricium B. Gr. L. IV. c. 18. p. 522. Idem *de modernorum philosophorum* vitis opusculum concinnasse celeberrimo Struvio memoratur in Bibliotheca Philosophica. Sed diligentiam suam non probauit in isto opere philosophus, dum crassos in eo errores laudatus Vossius detexit, præsertim circa homonymiam auctorum commissos: quippe Horatium Poetam eundem putat atque Horatium Putuillum, qui post reges exactos Romæ floruit: Liuium Andronicum, secundo bello Punico celebrem, facit eundem cum Patavino Historico: Plinium Veronensem, historiæ naturalis scriptorem, eundem cum Novocomensi, epistolarum & Panegyri conditore. plura Vossius addidit.

9. *Vitam & gesta philosophorum* litteris quoque commisisse dicitur Nicolaus Heynter, in Bibliotheca Gesnero Simleriana.

CAP. XXI.

CAPUT XXI.

1. Παλιγγενεσία litterarum seculo XV. facta. 2. Itali primi litterarum restauratores laudantur: in his Dantes Alegherius, Franc. Petrarcha, & Joann. Boccatius, libris de viris inlustribus clari. 3. Litterarum Græcarum restauratio. 4. Leon. Brunus, sive Aretinus, philosophorum vitas descripsit. 5. Litteratores & philosophi tempore Friderici III. 6. Januttius Manettus. 7. 8. Guarini de philosophorum nonnullorum vitis, deque secta Epicuræa scripserunt. 9. Laurent. Valla Aristotelem reprehendit, philosophiæ cum bonis litteris incrementum. Scholastici vituperantur. Vallarum plures. 10. Bellum philosophicum Platonicos inter & Aristotelicos exortum. Platonem defendunt Gem. Pletho, & ejus discipulus, Bessarion, Cardinalis. 11. Pro Aristotele pugnant Georg. Scholarius. 12. G. Trapezuntius item, & Marcus, Ephesinus Episcopus. 13. Platonem Bessarion, Florentiæ Duces aliique viri docti admirantur. Platoni tandem Stagiritæ præfertur. Aristotelicæ philosophiæ fata. 14. Obitus Trapezuntii, & Bessarionis. Andr. Trapezuntius pro patre Apologiam scripsit. 15. M. Musurus, Cretensis, elogium Platonis composuit. 16. Mich. Carrariensis. 17. Marsi. Ficinus. 18. Raph. Volaterranus. 19. J. Ant. Pantheus. 20. Petrus Crinitus. 21. Catan. Jectius. 22. Jo. Picus Mirandulanus laudatur. Opus edidit contra Astrologos. homonymi.

I.

NUnc ad recentiora tempora rei publicæ litterariæ pervenimus; ad ea videlicet, quibus iterum nobiliora excitata fuerunt ingenia, quæ egregias artes, linguas atque scientias excoluerunt sic, ut accedente demum

mum insigni illo, & omnibus seculis deprædicando typographiæ invento, posterior ætas cultissimis olim seculis anteferri jure meritoque possit. Fuerunt autem Itali primi, qui litteras amoeniores per barbarorum ferociam, & monachorum sorditiem misere amissas restituerunt, in primis autem Florentini.

2. In iis adhuc Imperatore Ludovico Bavaro, Dantes Alegherius liberalibus artibus clarus excessit circa annum CIↃ CCC XXI. Defuncto Bavaro anno CIↃ CCC LXVII adversus quem superiori anno, videlicet CIↃ CCC XLVI. Imperator electus fuerat Carolus IV. Bohemorum Rex, Joh. Bohemiæ R. filius, princeps in litteratura, & vario linguarum genere versatus, honorem litterarum instaurare cœpit Franciscus Petrarcha, Alegherii discipulus, reflorescentis eloquentiæ princeps ipsi Erasmo dictus, qui forte nobis etiam profuit libro, sive *Epitome* quadam, qua *viros inlustres* complexus fuisse dicitur Vossio L. de Hist. Lat. III. 1. Cujus e schola Joannes Boccatius, Certaldensis, exierat, similis istarum litterarum, quæ amœnissimum illud ab humanitate nomen trahunt, magister & stator, defunctusque CIↃ CCC LXXVI. uno post Petrarcham anno, qui inter alia quoque Libros *de inlustribus viris, deque claris mulieribus* condidit, de quibus idem Vossius citato loco conferendus.

3. Carolo IV. suffectus est anno CIↃ CCC LXXVIII. Wenceslaus F. exauctorato VVenceslao Rupertus, Palatinus, anno CIↃ CCCC. Ruperto Imperatori post decennium Iodocus, Moraviæ Marchio, anno CIↃ CCCC X. Cui, ceu tanto imperio indigno, post menses quinque surrogatus est Sigismundus, Caroli Quarti, filius, VVenceslai frater, Vngariæ Rex, princeps optimus, qui tenuit imperium annos XXVI. & eruditos homines aluit atque fovit. Sigismundus autem sine prole virili ad superos vocatus, imperii successorem reliquit Albertum II. Austriæ Ducem, generum, anno CIↃ CCCC XXXVII. qui biennio vix toto præfuit. Quorum temporibus eruditionis laude floruerunt potissimum Joannes Ravennas, Marsilius Patavinus, & Gasparinus Bergamensis, qui ineunte seculo XV. Venetiis, Patavii ac Mediolani magno cum fructu docebat. Post hos renatas litteras adjuverunt & exornarunt magis & magis Græci, qui Græcas litteras, ex Italia plane pulsas reducebant. E quibus hoc tempore notus est Emanuel, sive Manuel Chrysoloras, genere Byzantius, qui Volaterrano teste Anthropolog. f. m. 245. sub Bonifacio

P IX.

IX. eo venerat, ludumque aperuerat, ex quo multi insignes fama viri prodierunt.

4. In his Sigismundo & Alberto Imperatoribus, historiæ nostræ dedit operam Leonardus Brunus, Hetruscus, sive, quod Aretii natus, plerumque Aretinus dictus, Chrysoloræ discipulus, qui primo admodum juvenis ab Innocentio VII. accersitus, & ejus brevium magister factus est, teste Volaterrano citato loco, post, rei publicæ Florentinæ a secretis; vir in philosophicis rebus versatus, historicus idem & philologus multa laude dignus, qui *vitam Ciceronis* & *Aristotelis* scriptam dedit, quæ cum aliis ejus operibus manuscripta exstat in Bibliotheca Christianissimi Regis, Parisiis, codice M. M. C LVII. Vitam quoque Socratis contexuit, quæ cum Plutarchi vitis Latinis seculo superiori impressa reperitur. Confer Gaddium de scriptoribus non ecclesiasticis, P. I. p.136. in Cic. & L. Aretino, P. II. Plures autem, qui in vita tradenda Ciceronis occupati fuere, Morhofius Polyh. L. 4.11. 7. & Jlr. Spachius in Nomenclatore recensent. Quorum præcipui hic nominandi sunt: Jacobus Angelus, cujus *Historica Narratio de vita rebusque gestis M. T. Ciceronis* prodiit anno 1581. 8. a VVolfgango Peristero cum Dan. Chytræi Tabula de vita Ciceronis, & Sebastianus Corradi, cujus *Quæstura*, quarta vice Lugd. Batav. edita, 1667. 12. vitam Ciceronis ab iniquis judiciis vindicat, ab erroribus Plutarchi, quos in ista vita commisit, diligenter purgat, licet auctor quandoque etiam nimium adulettur Ciceronem. cujus libelli excerptum dedit Monsieur Clerc Biblioth. Choise T.XIV. p.139. & seqq. Obiit Aretinus tandem nunquam ducta uxore, Florentiæ anno clɔ CCCC XL. natus annos LXXIV. quo de plura qui volet, Vgolinum Verinum conferat L. II. Flor. Inlustr. nec non G. J. Vossium, de Hist. Lat. III. 5. qui multa conlegit. Hic tamen non confundendus cum Guidone Aretino, itidem Florentino, sed pessimo homine, & propter librum de tribus impostoribus famoso, doctissimo Mollero notante in Homonymo scopia, p. 647. Ita clara temporis istius ingenia: Carolus Aretinus, qui Leonardo Aretino scriba Florentinorum successit, & Joh. Aretinus, ad quem L. Valla suum librum de Latina elegantia scripsit, cognomine Tortellius, Romanæ ecclesiæ Sub-diaconus, Eugenio IV. Pontifice, a Leonardo nostro distinguenda erunt. Francisco Aretino, ejusdem ætatis scriptori, præter alia trasmissas in Latinum Phalaridis epistolas adscribit Baelius T. I. P. 1. dictionarii sui p. m. 340.

5. Alber-

5. Alberto successit anno ClƆ CCCC XL. Imperator Fridericus III. Austriæ Dux, propinquus Alberti, qui præfuit orbi annos LIII. Quo imperante, sedentibus Romæ Eugenio IV. & Nicolao V. paulloque post, Pio secundo, Pontificibus, Italia magnum eruditorum proventum tulit, Græcorum multis philosophis & litteratis post Chrysoloram, Gemistio, Bessarione, Georgio Trapezuntio, Demetrio Chalcocondyla, Theodoro Gaza, Andronico, Joanne Argyropolo, Joanne Lascare, M. Musuro, & aliis, qui capta a barbaris Constantinopoli anno ClƆ CCCC LIII. ad eam confugientes, partim Romæ, partim Florentiæ secesserant, æmulatione sui, Latinorum acuentibus ingenia, e quibus eo tempore multi principes eruditorum exstiterunt: Rudolphus Agricola, Hermolaus Barbarus, Jo. Baptista, Mantuanus, Domin. Floccus, Antonius Panormitanus, Angelus Politianus, Nicol. Perottus, Joh. Franciscus Poggius, Franciscus Philelphus, Chrysoloræ gener, Hieronym. Savanorola, Petr. Paul. Vergerius, Jacobus VVimphelingius, & alii, jamjam laudandi, quod rem philosophicam nostram simul exornarunt.

6. Januttius Manettus, sive Janetus Manetus, Florentinus Senator, ex Chrysoloræ ludo commemoratus Volaterrano f. 245. & Dominici Flocci commilito laudatus Vossio, L. de Histor. Lat. III. 6. præter alia non pauca, quorum sunt ejus libri VII. de illustribus longævis, libri IV. de vita Nicolai V. Pontificis & Mæcenatis sui, cui multum quoque litteræ debent; *Vitas* etiam *philosophorum*, Socratis puta, Senecæ, Plutarchi, Dantis Alegherii, & Jo. Boccatii, consignavit, quarum Socratis & Senecæ manuscriptæ Cæsenæ exstare dicuntur in Bibliotheca Franciscanorum. Obiit Neapoli anno ClƆ CCCC LX. ætatis suæ LXIII. ab iis, qui plura desiderant, legendi Vossius citato loco, & Vgol. Verrinus. L. II. Flor. inlustr.

7. Guarinus, sive ut Valaterrano vocatur, Varinus, Veronensis, aliis Ferrariensis, quia primo Venetiis, deinde Ferraræ litteras humaniores docuit, eodem cum Vossio teste, L. de Histor. Lat. III. 7. ejusdem Chrysoloræ in Græcis discipulus, præter alia non contemnenda, *vitas* quoque *Platonis*, *Aristotelis*, *Evagoræ* & *Homeri* exposuit, quas cum Plutarchi vitis, testante Gesnero, Gazaeius edidit Lugduni.

8. Baptista Guarinus, Guarini filius & discipulus, qui patri in schola successit, teste Volaterrano, *de Secta Epicuraea*, librum composuisse Trithemio memoratur, in Libro de scriptoribus Ecclesiasticis, quem

vero nec Gassendo, nec Naudæo; quem tamen vix rarissimi fugierunt, nec aliis videre contigit, confer Gassendum libello de vita & moribus Epicuri, p. 116. Sunt autem lectissimi Guarini inter se distinguendi. Alius fuit Baptista Guarinus, qui natus Ferraræ anno CIƆ IƆ XXXVIII. & denatus Venetiis CIƆ IƆ LXII. *Pastorem Fidum* magno cum plausu ubivis exceptum concinnavit, Thuano teste ad annum CIƆ IƆ CXII. & Baelio voce *Guarini*. De tribus Guarinis, qui ex una eademque familia unaque serie, insigni artis poeticæ laude floruerunt, summo cum encomio Gyraldus egit in Libro de poetis veteribus.

9. Nec prætermittendus Laurentius Valla, sive Vallensis, patricius Romanus, Grammaticus, Rhetor, Philosophus, & Theologus, qui primus circa id temporis Stagiritæ se opponebat, editis hunc in finem *Dialecticis* suis *Institutionibus* anno CIƆ CCCCXL. Nam cum bonis litteris philosophia quoque renascebatur, doctis nonnullis & sapientibus viris Scholasticam istam barbariem, tanquam bonarum mentium pestem, e liminibus scholarum expellendi, consilium ineuntibus. Quorum præsidio factum quoque, ut nonnulli alios sibi magistros sapientiæ tum eligere decrevissent. Multi pro Aristotele Platonem introducebant; aliis postea Pythagoræ decreta, aliis Stoicorum dogmata placebant. Complures tamen Aristotelem retinuerunt, ad hæc usque tempora, quibus cultior, hoc est, eclectica philosophia, sola sapienti viro digna, locum obtinuit. de quibus plura docet Venerandus Jo. Francisc. Buddeus, in Historia Philos. Cap. VI. Fuit Valla noster etiam is, qui Volaterrano notante, f. m. 245. sequ. nullum jus, sive munus imperii, Romano præsuli concessum, scriptis contendebat. Obiit tandem Romæ Aug. Kalendas anno CIƆ CCCCLXV. ac sepultus in sancti Joannis Laterano, teste Vossio L. de Historicis Lat. III. 7. Ejus opera conjunctim ex editione Basileensi prodierunt anno 1543. in qua omnia ejus scripta comprehensa videmus. Fuerunt hujus nominis plures. Georgius Valla, vir varia doctrina fuit, cujus opera aliquot etiam voluminibus continentur. Nicolaus Valla, & Petrus Valla, Parisienses Theologi, uno eodemque tempore clari, & Andreas Vallensis, vulgo del Vaux dictus, memorantur Val. Andreæ in Bibliotheca Belgica, p. 57. 701.

10. Circa tempora captæ Constantinopoleos, bellum inter philosophos in Italia concitabatur, quia alii Stagiritam, alii Platonem du-

cem

cem & magistrum sibi elegerant. Vterque sectatores etiam viros habuit magnos.

Michael Apostolius, primus eo temporis tractu *de Aristotelis & Platonis discrepantia* scribebat.

Et Florentiæ vigebat Georgius Gemistius, sive Gemisto, Byzantius, Platonicus insignis, & fortasse ob nimium Platonis amorem Pletho, sive Plethon cognominatus, Philosophus excellentissimus Gyraldo judice, de poetis sui temporis, & Mathematicus summus, qui opusculum edebat Græca lingua confectum, *de iis, in quibus Aristoteles cum Platone non convenit, & quod potior sit Platonis sententia*, (quod translatum deinde a Georgio Chareandro, Latine prodiit Basileæ anno 1574, 4, & Venetiis postea cum paraphrasi Bernardini Donati, Veronensis, apud Scotum in 8.) in quo Platoni palmam decreverat.

11. Contra quem caussam Aristotelis tuebatur Georgius Scholarius, cujus argumenta pro Aristotele iterum refellebat Gemistius peculiari libello, qui Bononiæ in S. Salvatoris Bibliotheca, sed imperfectus adservatur. Quæ controversia eo vehementius postea vertebatur Georgium, Cretensem, sive Trapezuntium inter & Bessarionem, viros itidem Græcos, & seculorum memoria dignissimos, aliosque plures: *uter horum, Plato, sive Aristoteles, doctior habendus & melior?* His accedebat Marcus, Ephesinus Episcopus, oppositus ubique Platoni, qui Aristotelem divinis ornabat laudibus, videlicet, quod in multis ille consentiret cum verbo divino.

12. Georgius, Trapezuntius patria, Peripateticus, Latine Græceque eruditus maxime, qui Romam sub Eugenio venerat e Ponto, & ob litteras a Nicolao V. scriba factus Apostolicus erat, teste Volaterrano, qui senem puer audiverat, Anthr. f. 246. librum edebat, cui titulus: *Comparatio Aristotelis & Platonis*, quo Aristotelem Platone longo intervallo superiorem esse probabat, qui liber prodiit Venetiis in 8.

13. Pro Platone contra respondebat illi Bessario, Cardinalis, qui a S. Bessarione hoc prænomen adeptus, cujus vitam quoque notante Platina, perscripsit. Erat is Archiepiscopus Nicenus, & Patriarcha Constantinopolitanus, Gemistii Plethonis discipulus, princeps Græcorum, qui tunc illustrabant Italiam, & litteratorum patronus si quis alius, Orator, Theologus, & Philosophus, Platoni addictus sic, ut ejus *defensionem Libris IV. adversus Calumniatorem* Platonis, (Trapezuntium Peripateti-

tericum intelligit) notante Volaterrano, susceperit, in quibus duorum & viginti veterum ecclesiæ doctorum, Justini, Clementis, Irenæi, Tertulliani, Origenis, Eusebii, Athanasii, Basilii, Gregoriorum, Epiphanii, Theodori, nominamus tantum præcipuos, auctoritate suffultus, adversario suo doctissime respondebat: non Aristotelis, sed Platonis sententiam cum sacris litteris esse consentaneam. Qua occasione miram philosophi hujus & sapientiam & doctrinam, conjunctam cum summa morum probitate præ cæteris extulit. Confer Launojum in de varia Aristotelis fortuna Libro Cap. X. Tanti nimirum patres Platonem fecerunt, ut eum in ecclesia veteri Moysen etiam dixerint Atticissantem, scilicet, quod ejus scripta in plerisque cum scriptoribus sacris convenirent; in quam rem consule Huetium in Demonstratione Evangelica! Quatuor illis libris addebat teste Morhofio, quintum, in quo Trapezuntii errores in interpretatione legum Platonicarum refutabat, simulque ante oculos ipsi ponebat, eum ne quidem intellexisse Platonem. Plura autem pro philosophia Platonis scripsit, quæ omnia impressa sunt Venetiis apud Aldum, ut loquuntur in folio, anno 1503. & ibidem exstant MSSta in Bibliotheca D. Marci. Gemistius & Bessarion initio reportare victoriam videbantur, quia non ipsi modo Florentiæ Duces, Cosmus Magnus, ejusque successores, Petrus Joannes, & Laurentius, nepos, Gemistii sermonibus commoti, Platonis libros publice scholis suis prælegere præceperant, verum quoque lumina & flores Italiæ, & omnis rei publicæ litterariæ, quorum multos laudati principes, ut litterarum & artium promotores optimi, fovebant alebantque, ad eandem se philosophiam adjunxerant, in his inter principes viros, uterque Picus, Johannes & Johannes Franciscus, Mirandolæ Concordiæque principes, Fridericus, Urbinæ Dux, Cusa, Cardinalis, tum Aretinus, Hermolaus Barbarus, Marsilius Ficinus, Pomponatius, Angelus Bassus, sive Politianus, Hieronymus Donatus, qui etiam de discrepantia philosophiæ Platonis & Aristotelis scripsit, aliorumque plures, toto hoc seculo perecelebres. Tandem autem accidit, ut Stagiritæ Platonem locum dare oporteret, quippe illum in omnibus deinde scholis introductum, huicque longe antepositum fuisse constet. Caussam ejus dictitaverat Jonsenius noster in priori editione sua, quod scilicet argumenta pro Aristotele fortiora fuissent illis, pro Platone. De qua fortunæ Aristotelis mutatione tempore Nicolai V. pontificis facta, Launojus citato Libro memorat: Nicolaum V. Pontificem anno CIↃ CCCC XLVII ad

ad dignitatem papalem evectum, Gregorii IX. aliorumque pontificum statutis nonnihil hac in re derogasse, & non modo Aristotelis scriptorum lectionem probasse, verum & jussisse, ut omnes Stagiritæ libri de integro latinitate donarentur.

14. Erat cæterum Georgius, Cretensis, sive Trapezuntius, teste Vossio, de Historicis Lat. III. 8. natus pridie non. April anno CIↃ CCC XCVI. & vivis exemtus admodum senex, & litterarum omnium, adeoque & lectionis & scriptionis oblitus, Dalechampio in notis ad Plin. & God. Oleario in Abaco Patrologico notantibus, Romæ anno CIↃ CCCC LXXXVI. superstite filio, Andrea Trapezuntio, doctrina tamen inferiore patre, qui contra patris æmulum, Theodorum Gazam, Thessalonicensem, insignem litteratum, Medicum & Philosophum, *pro patre Apologiam* fecit, teste Vossio, supra citato loco. Bessarion in itinere Ravennæ decessit anno CIↃ CCCC LXXII. ex qua Romam delatus, & in æde Apostolorum sepultus hoc disticho fuit: Τοῦτογε Βησαρίων ζῶν ἄνυσε σώματι σῆμα, πνεῦμα δὲ φευγῆται πρὸς Θεὸν ἀθάνατον. de quibus confer Volaterr. l. citato, & de scriptis ejus ad philosophiam pertinentibus, Jac. Gaddium in libro de Striptoribus, voce *Bessarionis*. Consule, si lubet, etiam Corn. Tollium de infelicitate litteratorum p. 422. in Analectis de litteratorum calamitate Inlustris Menckenii. De utroque plura docebit etiam Leo Allatius L. de claris Georgiis.

15. His qui Platonem sequebantur, adnumerandus adhuc e Cretensibus M. Musurus, vir utriusque linguæ doctissimus, & propter eruditionem suam a Leone X. & Alberto Pio, Carporum principe, & Lafchare Romam accitus, quem præter alia *Encomium in Platonem* Græco elego carmine doctissimo panxisse, Gyraldus testatur, L. de poetis sui temporis p. 61.

16. Cujus fere temporis æqualis fuit Michael Carrariensis, qui *patris sui, Guidonis Carrariensis*, nobilissimi Medici & Philosophi, *vitam* composuit, teste Jacobo Philippo Bergoma, in Chronico ad annum CIↃ CCCC LXIX.

17. His successit Marsilius Ficinus, Florentinus, insignis Medicus & Philosophus, pro conditione istius scilicet ævi, qui non solum *Platonis*, quem admirabatur, *vitam* tradidit, initio operum ejusdem plerumque præmissam, sed aliorum etiam nonnullorum, qui Platoni dediti fuerant, ut Plotini, Jamblichi, Procli Synesii, Pselli, & ex antiquioribus Speu-

Speusippi & Xenocratis, scripta ex Græco in Latinum transtulit, quæ cum Mercurii Trismegisti, Pymandri & Aesclapii scriptis in lucem dedit Venetiis anno 1516. Hujus etiam Interpretatio Latina Platonis, quæ cum emendationibus Isaaci Casauboni, Lugduni 1590. f. & postmodum cum augmentis & commentariis Francof. prodiit 1602. f. præcellit alias. Platoni enim deditus erat sic, ut etiam Christianæ fidei fundamenta ex eodem deducere conatus fuerit. Probant id ejus de immortalitate animarum, sive Theologiæ Platonicæ Libri XVI. de quibus confer Morhof. Polyh. II, l. 7. 15. Vitam ejus Dominicus Melinus exposuit. Opera prodiere Basileæ anno 1561.& 1576.II.voluminibus in f. iterumque postea Parisiis anno 1641. Sunt etiam nominis hujus alii. Marsilium Ficinum in locum Theodori Marcilii, Regii professoris Parisiensis substituerat doctissimus Lud. Elias Dupinus, in prima Tomi I. Bibliothecæ sacræ Ecclesiasticæ editione, in Libro de pallio, sed notatus ob hunc errorem in Actis Eruditorum, eundem emendavit in subsequentibus editionibus.

18. Raphael Volaterranus, cognomine Maphæi, secundum Labbeum in B. B. p. 310. 311. vel Regii, juxta Vossium L. III. de Hist. Lat. qui Georgium Trapezuntium puer adhuc audiverat, uti diximus, & Jo. Picum, puerum differentem summa spectantium admiratione Ferraræ viderat, ipso teste. f. m. 246. cum scriptoribus nostris aliquo modo conjungitur propter *XI libros* suos, quos *Anthropologiam virorum doctorum* inscripsit, in quibus clari homines, & inter eos etiam philosophi omnium temporum, linguarum & gentium recensentur; e quibus *octo* Libri, veteres nominum serie comprehendunt, *unus* neotericos, qui proximis seculis claruerunt, & in artibus κυκλικοῖς, hoc est, circularibus, videlicet in Grammatica, Poetica, Rhetorica, Mathematica & Philosophiæ studiis laudem consequuti sunt: reliqui *duo* Libri Pontifices & Imperatores Romanos exponunt. Constituit ea partem secundam *Operis Vrbanorum Commentariorum*, quos Julio II. Pontifici consecratos, *Vrbanos* vocavit, quia in urbe Roma illos condidit, divisos in Tomos, sive partes tres: in *Geographicam, Anthropologicam, & Philologicam, Librosque* XXXVIII. qui uno volumine Parisiis anno 1516. & Basileæ, ex officina Frob. 1530. 1544. 1559. in folio, & Lugduni tandem Gallorum anno 1552. prodierunt, & postremo Hanoniæ 1603. in folio. Opus ex mille amplius utriusque linguæ auctoribus, ipso teste, congestum est, & licet

Jovio

Jovio non omnino probetur, ei tamen, uti & Crinito, Lilioque Gyraldo non minus debet Gesnerus, quam huic Vossius. A Raphaele Volaterrano distingue Phoedrum Volaterranum, (qui dictus antea Thomas Inghiramius fuit,) Romanum Professorem & Oratorem sui seculi celeberrimum, sed morte extinctum miserabili, uti a Pierio Valeriano traditum est, L. I, p. 46. 47. de infelicitate litteratorum. Laudat ipse Volaterranus etiam fratrem suum Joh. Bapt. Volaterranum, praecocis ingenii adolescentem, Varini, Veronensis discipulum.

19. Joh. Antonius Pantheus, Veronensis, Hermolao Barbaro a secretis, erudito libello *Pliniorum patriam* perscripsit; a quo diversus Johann. Augustinus Pantheus, eodem tempore celebris, & propter librum contra Alchymiam Tomo II. Theatri Chymici reperiundum, non incognitus.

20 Extremis Friderici III. temporibus inclarescere coepit, & omni postea Maximiliani I. tempore claruit Florentinus ille, Petrus Crinitus, ante Riccius, juxta Paulum Jovium dictus, a crispa scilicet patris coma, politissimi Politiani, & Augolini Verrini discipulus, philosophus & poeta non ignobilis, qui *Libris* V. a se editis, *de poetis Latinis* prodfuit, *Basileae excusis anno 1505.* in quibus orsus a Livio Andronico, usque ad Sidonium Apollinarium, temporibus Theodosii M. clarum, historiam poetarum, stilo plane ad imitationem Suetonii de Rhetoribus composito, persequitur, in quorum calce de Grammaticorum & Oratorum vitis similiter se acturum, brevique teste Vossio L. III. 12. de Histor. Lat. illas editurum promittit. Sed hae nunquam prodierunt, confer eundem citato loco.

21. Franciscus Cataneus Jecctius, Marcilii Ficini auditor, laudatur ob librum *de Concordia Aristotelis cum Platone* conscriptum, sed qui cum eo interiit. Tractarunt autem tale argumentum postea plures.

22. Sub id in admiratione summa fuit etiam Johannes Picus, Mirandulae & Concordiae Princeps, natus anno CIↃ CCCC LXIII. qui iam in juvenili aetate, tantam linguarum & scientiarum omnium notitiam sibi comparaverat, ut ab ipso Scaligero *monstrum sine vitio*, a Petro Ramo suis in epistolis, *Phoenix hominum*, vere adpellari meruerit, de cujus elogio plura Jovius in elogiis virorum doctorum & inlustrium tradidit. Hic inter alia egregia excellentis ingenii monimenta, librum *de Concordia Aristotelis cum Platone* concinnaverat, qui vero ad usum com-

communem nunquam prodiit. Statuerat autem nullum esse quæstum, in quo Aristoteles cum Platone non conveniret, sensu & re, quamvis inter se verbis dissentire viderentur; quod etiam inter famosas theses istas, quibus innotescebat, defendere conabatur. Idem *contra Astrologos* opus acutissimum dedit, Libris constans integris XII. cui quidem respondit Lucius aliquis Bellantius, sed Morhofio notante, Polyh. Tom. II. l. 7. 16. *dispari ingenio.* Obiit hic juvenis, longiore vita dignissimus, summo totius rei publicæ litterariæ damno, Florentiæ, anno CIↃ CCCCXCIV. ætatis XXXII. quod tempus illi ab astrologis, in vindicationem artis, prædictum fuisse volunt. Alius ab hoc est Johannes Franciscus Picus, ex fratre Galeotto nepos, quem mox laudabimus: alius Johannes Picus, classium in senatu Parisiensi inquisitoriarum præses, qui haud pauca Græcorum patrum scripta Latio donavit, qua de re Simlerum consule, p. 405.

CAPUT XXII.

1. Joann. Francisc. Picus, vitam Joann. Pici delineavit. 2. Philippus Beroaldus, senior, Laudes Ciceronis & aliorum descripsit. Idem Græciæ sapientum & Pythagoræ symbola explicavit. Beroaldus, Junior. 3. Hieron. Paduanus de auctoribus scientiarum, & 4. Polyd. Virgilius de inventoribus rerum. 5. Joann. Leo, Africanus, de vitis philosophorum Arabum tractavit. Arabum mediæ ætatis seculorum philosophi nonnulli. Corani studiosi philosophiam damnant. 6. Joh. Ludov. Vives, de caussis corruptarum artium, deque sectis & laudibus philosophorum scripsit. 7. Erasmus cum J. L. Vive in Scholasticos injurius. 8. Cœlius Calcagninus symbola Pythagoræ exposuit. 9. Marius Nizolius contra Pseudophilosophos scripsit. 10. Mar. Antonius Majoragius pro Cicerone contra C. Calcagninum. 11. Lilius Gregor. Gyraldus subsidia non minora ad historiam nostram adtulit.

Homo-

Homonymi. 11. Joh. Anton. Flamminius de philosophiæ origine & philosophorum sectis, deque vita Alberti Magni egit. Homonymi. 13. Petr. Bembus Apologiam Platonis scripsit. 14. Desider. Lignaminæus de sepulchro Ciceronis. & 15. Bern. Scardeonius de claris philosophis Patavinis scripserunt.

I.

FRiderico III. Imperatori successor datus est anno cIↄ CCCC XCIII. filius, Maximilianus I. Austriæ Dux, Imperator A. litteratorum Mœcenas summus, & ipse litteris deditus, cujus exemplo moti complures, qui ad sapientiæ & bonarum artium studia adjunxerunt animum.

Cujus imperio celebris fuit Joannes Franciscus Picus, qui patrui sui, *Joannis Pici, vitam & obitum* descripsit, Vossio teste L. de Histor. Lat. III. 11. quem libellum utriusque Pici Mirandulani opera, Basileæ anno 1601. edita præ se ferunt.

2. Quo tempore floruit inter Italos Philippus Beroaldus, senior, Bononiensis Medicus, idem Philosophus, Orator & Poeta, vir ævo suo eruditissimus, qui locum inter nostros merebitur non modo propter *Laudes*, quas scripsit, *Ciceronis, Juvenalis, Sallustiique & Persii*, sed inprimis etiam propter *Explicationem*, quam concinnavit *ad VII. Græciæ sapientum, & in Pythagoræ symbola.* Quæ symbola peculiari quoque libello Petrus Fabricius, postea Rostochii 1604. 12. edidit. Integra Beroaldi opera uno volumine prodiere Basileæ anno 1513. in f. Vivere desiit Beroaldus anno cIↄ Iↄ IV. cujus vitam exarasse dicitur Bononiæ anno 1505. Johannes Pinus, Tolosanus, Rivorum Episcopus. Sed cave Philippus Beroaldus, senior, confundatur cum Philippo Beroaldo, juniore, sive filio, qui longe melior poeta fuit patre, Lil. Gyraldo judice, Libro de poetis sui seculi, p. 36. Cætera docebit Vossius L. de Histor. Lat. III. Matthæum Beroaldum, & ejus filium Francisc. Beroaldum, viros sec. XVI. claros, Baelius laudat in Dictionario suo voce *Beroalde.*

3. Heremias, sive Jeremias, Paduanus, nomen sibi peperit, Gesnero teste, Pandectis Tit. XIII. num. 7. & in Bibliotheca, libro historiæ nostræ non inutili, *de auctoribus scientiarum, & libris eorundem*, qui prodiit Venetiis anno 1505. in 8.

4. Quo cum jungendus, Polydorus Virgilius, Urbinas, propter *Libros VIII. de rerum inventoribus*, quos primum anno CIↃ CCCC XCIX dedit, ut ex præfatione Vrbini scripta conligit Vossius L. de Hist. Lat. III. 12.

5. Extremo Maximiliani tempore ac deinceps, Regibus apud Hispanos Ferdinando Catholico, & Isabella, Leone X. sedente Romæ, vixit.

Johannes Medices, sive potius Leo, cognomento Africanus, patria Granatensis, qui edidit Arabice *Descriptionem Africæ*, cujus in Libro III. epistola de Alchymistis, *Librum* laudat a se conscriptum, *de vitis philosophorum Arabum*, historiæ nostræ philosophicæ utilissimum. Ex Arabibus enim multos philosophia claros exstitisse, testantur historiæ. Primi etenim post Græcos Aristotelis sectatores ætate media memorantur Arabum medici & philosophi: Albatenius, Almansor, circa annum CIↃ LXX. clari, & post annos deinde LXX. Avicenna, & ejus æquales, Zour, & Averrois, qui Algazalo Mahometo libro respondit, cui nomen: *Destructio Destructionis Philosophiæ*, cujus in præfatione dicit, ipsum a Corani studiosis corruptum fuisse: Corani autem principia omni saniori philosophiæ contrariantur. Hinc inter scriptores Mahommetanos inventi sunt, qui omnem philosophiam rejiciendam putarunt; e quibus potissimum Mahometus Algazalus, non omni modo philosophiæ in senectute valedixerat, sed eam quoque peculiari opere, quod inscribitur: *Destructio Philosophiæ*, damnaverat. cui libro suum opposuerat Averrois. Plura docet Abrahamus Echellensis in præfatione præfixa versioni Enchiridii studiosi, Arabice conscripti a Borhaneddino, quæ Trajecti ad Rhenum prodiit 1709. 8. Arabes postea sequuti sunt scholastici. Laudatum Leonis librum manuscriptum Joh. Hottingerus possedit, qui illum edidisse fertur Tigurini anno 1664. quem postea Joh. Florianus Latina veste donavit, sed minus comte. Arabicum Codicem possedit Vinc. Pinelli, Colom. Opp. p. 805. Confer Hottingerum in Bibliothecario, in quem varia ex eodem congessit. Adfert ex dicto libro egregium locum de Johanne Mesue, celeberrimo Damasceno Medico, Vossius L. de Philosophia, cap. 14. anno obiit Leo CIↃ IↃ XXVI. Plura qui de eo cupit, adeat eumdem Vossium L. de Histor. Lat. III. 12. Ejus nominis fuit alius, Johannes Leo, cognomine Poetinus, qui tale nomen ex insigni poeseos laude tulit, teste Gyraldo, L. de poëtis sui temporis,

qui

qui circa annum CIↃ CCCC LXX. floruit obque varia scripta laudem consequutus est, eodem memorante, Libro de poetis p. 43.

6. Maximiliano anno CIↃ IↃ XIX. successit Carolus, e filio Philippo nepos, Cæsar A. nominis hujus V. cujus sub imperio mirum quantum bonæ litteræ atque scientiæ nunc etiam augeri cœperint in Germania per Reuchlinum, Erasmum, Melanchthonem, Camerarium, paulloque post per Neandrum, præeuntibus scilicet Italis; quorum ope discussis ignorantiæ tenebris, lux litteris, & per litteras veritati in Europa reddebatur.

Florebat tum Johannes Ludovicus Vives, vir ad omne litterarum genus feliciter ornandum natus in Hispania, Valentiæ anno CIↃ IↃ. qui historiam nostram auxit *de initiis, sectis & laudibus philosophorum* libro qui Tomo II. operum ejus plerumque habetur, quæ conjunctim prodierunt Basileæ anno 1560. 2. Tomis in folio. Idem, quia nulla ratione ferre poterat, ut renata sapientiæ studia a Scholasticis philosophis iterum opprimerentur, *de tradendis disciplinis, & causis corruptarum artium & disciplinarum* Libros contra pseudophilosophos edidit XX. Obiit Vives anno CIↃ IↃ XLI.

7. Hunc in Germania Desiderius Erasmus Roterodamus, antecesserat, ante Vivem septuagenarius ut fertur, defunctus Basileæ CIↃ IↃ XXXVI. qui passim in scriptis suis, inprimis in *Encomio Moriæ*, scholasticos philosophos traduxit; quod viri sapientiores, emendationem philosophiæ urgentes, facere aliter haud poterant. Prostat nunc ille libellus etiam Gallice sub titulo: *L' Eloge de la folie composé en forme de Declamation par Erasme, & traduit par Mr. Guendeville, a Nantes, 1713.* Profuit Erasmus nobis etiam variis suis *philosophorum* veterum *paroemiis*, quas conlegit in Chiliadibus suis, omnibus sedulo legendis.

8. Quæ tempora scribendo inlustravit etiam Cælius, sive Cælius Calcagninus, e nobili familia oriundus Ferraræ, vir doctus & antiquitatis insigniter peritus, qui L. I. Quæst. Epist. Cap. 3, *Symbola Pythagorica* privato volumine se declarasse refert. Jonsius inde in priori editione dubitabat, an id lucem publicam viderit; sed editi hujus libelli meminit Erasmus in Adagiis, Chil. I. Centur. I. n. 3. Exstat inter ejus etiam opera *de rebus Aegyptiorum libellus*, in quo veterum Aegyptiorum sapientiam inlustravit. Scripsit etiam Disquisitiones in Ciceronis de officiis libros, de quibus infra. Obiit Calcagninus anno CIↃ IↃ XL.

uti liquet ex epistola Gyraldi ad Calcagninum scripta anno CIↃ IↃ XL. menseSeptembri, & ex ejusdem altera ad Bernardinum AdrianumBarbulejum, Ferraræ anno CIↃ IↃ XLI. mense Junio, de morte Calcagnini. Utraque epistolarum exstat ante Gyraldi προγυμνάσματα adversus litteras & litteratos, ad Johann. Franc. Picum, Mirandulanum Principem, quæ juncta est duobus ejusdem Dialogis de suorum temporum poetis. Prodierunt Calcagnini opera Basileæ apud Froben. anno 1544. f.

9. Cum hoc sociandus Marius Nizolius, Brixellensis, philosophus & litterator, deditissimus Ciceroni, qui ex ejus assidua lectione operum, inprimis librorum de diis, de divinatione & fato, de bonorum & malorum finibus, de disserendi inveniendique arte, de re publica, de officiis, meliorem edoctus philosophiam, itidem contra vulgarem isto tempore philosophandi rationem *Philosophum* suum *anti barbarum*, sive *de veris principiis, & vera ratione philosophandi contra pseudophilosophos* librum edebat, in quo Aristotelem, & cœcos ejus sectatores mirum in modum perstringit, eorundemque doctrinas tanquam sophisticas traducit. Confer Continuatorem Vossii p. 192. quem Nizolii librum postea recudi fecit Godofr. Guilielm. Leibnitzius, Francof. 1670. 4. Pluribus vide Morhof. Polyh. II. 1. 13, 13.

10. Cujus æmulus fuit Marcus Antonius Majoragius, quo cum propter Ciceronem maximæ Nizolio fuerunt lites. Majoragius scilicet initio contra Cælium Calcagninum *Defensionem pro Cicerone*, sive potius, uti adpellat, *Decisiones XXIV. quibus M. T. Ciceronem ab omnibus C. Calcagnini liberat criminationibus*, ediderat, quia Calcagninus *Disquisitiones in Marci Tullii Ciceronis de Officiis Libros* scripserat, ob eamque rem a Nizolio primum valde laudatus. Sed quum ipse Majoragius postea contra Ciceronis Paradoxa, Anti-paradoxa sua edidisset, inque iisdem indigna multa evomuisset in Ciceronem, quem Nizolius unice tamen in oculis habebat; hic prolixam atque acerbam epistolam adversus illum componebat, in qua multa minabatur Majoragio, nisi ab his suis in Ciceronem contumeliis abstineret: qua commotus Majoragius *libros Reprehensionum II. adversus Nizolium* condebat, in quibus omnis eum philosophiæ rudem pronunciabat. Plura docet idem Morhofius in Polyh. I. I. 25, 26.

11. His proximus est Lilius Gregorius Gyraldus, patria Ferrariensis, Baptistæ Guarini discipulus, (quod ipse Gyraldus cum summo præcepto-

ceptoris sui elogio testatur Libro de poetis sui temporis, p. 31.) Protonotarius Apostolicus, vir Latinæ Græcæque & politioris omnis litteraturæ doctissimus, Thuano ad annum CIↃ IↃ LII. & Isaaco Casaubono, in Notis ad Diogenem Laertium testibus, qui *Historiam Deorum gentilium & poetarum, tam Græcorum quam Latinorum antiquiorum Dialogis* exposuit *decem: poetarum vero sui temporis duobus*: confer de his Morhofium in Polyh. I. 8. 2. 1. Prodierunt ejus Dialogi duo de poetis nostrorum temporum, hoc est, ævi sui, ad inlustrem Diam Renatam, Ferrariæ & Carnuti principem, quos epistola metrice conscripta sequitur, in qua de incommodis agit, quæ in direptione urbana passus, (quæ catalogus est amicorum suorum, multorum nobilium eo tempore poetarum & litteratorum,)cui adjuncta sunt ejusdem progymnasmata adversus litteras & litteratos, ad Johann. Francisc. Picum, Mirandulæ principem, Florentiæ 1551. 8. Sunt autem isti Dialogi utiles historiæ nostræ: in his enim ipse L. II. confitetur, *eos se persequuturum, qui non minus in poetica floruere, quam in ceteris disciplinis & bonis artibus, inprimisque philosophia*, indeque incipit a Gemisthio & Chrysolora, p. 56. Idem *Interpretationem symbolorum & argute dictorum Pythagoricorum* ex Manuscripto propria manu a Pandulpho Collenutio exarato, peculiari libello reliquit, qui in operibus ejus invenitur, L. II. c. 16. & separatim editus prostat, 1655. 8. In hoc autem mystica Pythagoræ præcepta, a Plutarcho interpretata exhibet; sed, quia textus Græcus nuspiam inveniendus, & explicatio cum iis, quæ in genuinis Plutarchi operibus sunt, minime convenire videntur, merito dubitamus, an illa Plutarcho adscribi debeant. Omnia Gyraldi opera duobus Tomis, seu voluminibus distincta, & partim omnia tabulis æneis & nummis, partim commentario Joannis Faes, & animadversionibus hactenus ineditis Paulli Colomesii, nec non indicibus inlustrata junctim exhibuit Joh. Jensius, Hamburgensis, quæ juris publici facta sunt Lugd. Batav. 1696. in f. In quibus autem editor in suis prolegomenis ad novam hanc editionem, varia Gyraldo exprobravit παραπτώματα, notante Venerando Buddeo in Lexico suo Universali; quæ ejus autem fortunæ & corporis adversitatibus, quibus tota vita, Thuano teste, citato loco, obnoxius fuit, adscribi videntur. Natus erat anno CIↃ IↃ LXXIX. Id. Junii, denatus CIↃ IↃ LII. Cum Gregorio Lilio non confundi debet Georgius Lilius, sive Lælius, Britannus, sub initium seculi XVI. clarus, qui Labbeo teste B. B. ad Paul. Jovium,

Jovium, Nucerinum Episcopum, virorum aliquot in Britannia eruditione & doctrina clarorum elogia dedit; cujus pater fuit Guilielmus Lilius, scholæ Londinensis Paullinæ, circa annum cIↄIↄXX. rector. Alius est Gyraldus Presbyter, qui historiam Compostellanam edidit: alius Silvester Giraldus, Friderici Barbarossæ tempore clarus. Vtrumque memorat Vossius L. de Histor. Lat. III. Joh. Baptista Gyraldus, in Historia Italica, maximeque gentis Atestinæ laudem consequutus est.

12. Carolo Imperatore propter poesin & philosophiam excelluit etiam Joh. Antonius Flamminius, Foro-Cornelii, nobili Galliæ togatæ oppido natus, & vivis jam Bononiæ exemptus cIↄ Iↄ XXXVI. quem *de origine philosophiæ ac philosophorum sectis* opusculum edidisse Gesnerus testatur. Eum quoque *vitam Alberti Magni* descriptam dedisse ad Leandrum Albertum Bononiensem, notavit Vossius L. de Histor. Lat. III. 12. Ab hoc distinguendus Marcus Antonius Flaminius, filius, qui Thuano teste, vir magnæ auctoritatis Romæ decessit. Sebastianus Flaminius, Foro-Corneliensis, laudatur eidem Vossio Libro citato. Flaminii plures in Lexico Universali celeberrimi Buddei memorantur.

13. Petrus Bembus, Patricius Venetus, auctor ille politissimus, qui sub Leone X. inclaruerat, & sub Paulo II. (a quo in collegium Cardinalium adlectus etiam erat,) Romæ discesserat anno cIↄ Iↄ XLVII. Thuano teste, ad dictum hunc annum, *Apologiam Platonis, & in ejus opera Dissertationem* scripsisse, Jacob. Gaddio memoratur in L. de scriptoribus, quæ tamen lucem publicam non viderunt.

14. Desiderius Lignaminæus, Patavinus, de *invento M. T. Ciceronis in Zazyntho Insula sepulchro*, tum *epistolam* scribebat *ad Johannem Baptistam Privitellum Coenitellum, Venetiis* impressam *anno* 1547. Facies Sepulchri Ciceronis ibidem prodibat, 1557. teste eodem. Alius est Jo. Phil. Lignaminæus, Medicus non ignobilis, & Sixti IV. Archiatrus.

15. Forte sub hoc Imperatore vixit etiam Bernardinus Scardeonius, Patavinus Canonicus, qui *Libris II. & III* in *de Antiquitate urbis Patavii, & claris civibus Patavinis* opere, etiam *de claris philosophis* egit, qui liber teste Labbeo Basileæ 1560. f. prodiit.

Cap. XXIII.

CAP. XXIII.

1. Litteræ Gallorum multum debent Francisco I. quo Rege inter Gallos Symphorianus Camperius, de symphonia Platonis cum Aristotele, & 2. Jo. Picartus, de prisca Celtopædia libros dederunt. Celtarum philosophi quomodo dicti? 3. Petrus Ramus, auctor novæ sectæ, cujus fata describuntur. Injurius in Aristotelem. pro philosophia sua scribit contra alios. Fortuna philosophiæ Aristotelicæ in Academia Parisiensi, & passim in Germaniæ scholis crevit. 4. Gerhardus, & Arnoldus, contra Aristotelem Ramistis suppetias veniunt. 5. Andr. Tiraquellus, de philosophis Medicis. 6. Stephanus Forcatulus, de veterum Gallorum imperio & philosophia. 7. Philosophorum effigies. 8. Theodorus Marcilius, in aurea carmina Pythagoræ. 9. Massonius & alii, elogia philosophorum dederunt.

I.

IMperante in Germania Maximiliano, ad honorem Galliarum regni perveniebat anno CIↃ IↃ XV. Franciscus Valesius, primus eo nomine Rex, qui *parens optimarum litterarum* adpellari meruit, notante Thuano ad annum CIↃ IↃ XLVII. quo succedebat ipsi Henricus II. cui *inter nuptialia orgia & hastiludia mortuo*, uti scribit idem citato loco, successit Carolus IX. Rex, CIↃ IↃ LX. litterarum & litteratorum, quorum proventu regnum iis temporibus abundabat, omnes fautores eximii. Is autem erat Franciscus, cui litterarum Gallia in honor adtribuendus. Hic etenim Caroli V. tempore, hortantibus inprimis Johanne Bellajo, & Guilielmo Buddeo, publicas Lutetiæ scholas circa annum CIↃ IↃ XXX. erigebat, accersebat undique doctos, quorum auxilio litteræ, & cum litteris tandem philosophia promovebatur ita, ut inter cultissimas orbis partes ex eo tempore Gallia semper haberi cœperit.

Imperante Francisco I. floruit ab anno cIɔ Iɔ XX. usque ad annum cIɔ Iɔ XXXV. Symphorianus Champierius, sive Champerius, aut Campegius, Lugdunensis Medicus, & Principis Lotharingorum, Ducis, Antonii, Archiater, teste Labbeo B. B. philosophus præstantissimus, qui laudandus inter nostros ob peculiares nonnullos libros, quos *de Symphonia Platonis cum Aristotele*, uti etiam *Galeni cum Hippocrate*, nec non *de Medicinæ scriptoribus veteribus ac recentioribus* dedit.

2. Et paullo post Johannes Piccartus, Toutrerianus, Gallorum multo doctissimus, *de prisca Celto-padia Libros V.* Latine eleganter conscriptos, nec ubivis hodie obvios edebat *Parisiis, 1556. 4.* in quibus potissimum probavit, plus octingentis ante annis, quam ipsi Græci elementa litterarum acceperint, Græce philosophatos fuisse Gallos. Qua occasione multa recondita de Σεμνόθεοις, Semnotheis, qui vocabantur etiam Samothei, memorat, de Saronidis item, Drudis & Bardis, qui omnes Celtas, sive Gallos, quemadmodum Persas olim Magi, Babylonios & Assyrios Chaldæi, Indos Gymnosophistæ, Aegyptios sacerdotes, philosophiam docuerunt. Idem Libro IV. multa Græca conlegit vocabula, quæ Galli retinuerunt.

3. Eodem Rege & deinceps sub Henrico II. & Carolo IX. Petrus Ramus eminebat, Regius eloquentiæ & mathematum professor Parisiensis, qui Aristotelem voce & scriptis oppugnabat. Hic historiam nostram nonnihil adauxit editis adversus organon Aristotelicum *Institutionum Dialecticarum*, seu *Animadversionum suarum Libris XX.* in quibus Peripateticis objiciebat, nihil eos habere methodicum, multa contra ταυτολογικά, supervacanea, pleraque falsa; quibus de rebus ipsi cum Goveano, Perionio, Gallandio, Jo. Carpenterio, aliisque multis, magnæ fuerunt controversiæ. Antonius Goveanus *pro Aristotele adversus Petri Rami calumnias* peculiari libro respondebat, qui Parisiis prodiit 1543. 8. Et *contra novam Petri Rami Academiam pro Aristotele & Parisiensi schola* Orationes habebant Johannes Perionius, & Petrus Gallandius, Regius Latinarum litterarum Professor, quæ prodierunt ibidem anno 1551. Contra quos Ramus iterum nonnullas habebat pro defendenda sententia sua, quas operibus ejus junctas, & seorsim quoque editas habemus ibidem, 1551. 8. Verum non adeo multos P. Ramus invenit, qui constanter ipsi inhæserunt, quia solidis argumentis & rationibus Aristotelem confutare non poterat. Plura vero de fatis philosophiæ Ramææ qui volet,

let, adeat Jo. Launojum, in supra citato libro de varia Aristotelis fortuna, quæ non tantum in Academia Parisiensi, verum etiam in plerisque Germaniæ scholis ex eo mirum in modum crevit. Non defuerunt quidem, qui Ramum sequuti sunt, in iis Nancelius, Freigius, Rennemannus, Pfaffradius, Kragius, alii, inprimis Joh. Cramerus, Halberstadiensis - Saxo, Physicæ doctrinæ Professor Lipsiensis, qui circa annum CIↃ IↃ LXXIX. clarus Rami philosophiam publice & privatim Lipsiæ docuit; sed quia postea reperti sunt alii, qui meliori cum successu convellerunt Aristotelem, nullus invenitur hodie, qui vel tanti Ramum facit.

4. Ramo & adseclis ejus contra Aristotelem subsidio quoque venerant Gerhardus & Arnoldus, Bottii fratres, Libro, cui titulus: *Philosophia Reformata, id est, Philosophia Aristotelica adcurata Examinatio, ac solida confutatio*, in quo non solum philosophiam Aristotelis, sed ipsum quoque Stagiritam mire traduxerunt, teste Launojo, qui a pagina 219. usque ad 224. eorum argumenta proposuit.

5. Henrico II. Rege, qui Francisco successit anno CIↃ IↃ XLVII floruit Andreas Tiraquellus, Fontiniacensis Picto, Jurium consultus, & in supremo senatu Parisiensi senator, qui in Libro de Nobilitate, trigesimo primo capite, inter alios viros doctos & Medicinæ laude florentes, etiam *philosophorum Medicorum* meminit.

6. Sub eo forte claruit etiam Stephanus Forcatulus, Petri Forcatuli frater, Jure consultus Tolosanus, vir eruditus & Gallicæ antiquitatis peritissimus, qui nonnulla conduxisse videtur in suos *de veterum Gallorum imperio & philosophia Libros VII.* quos non minore diligentia quam doctrina dedit in 12. postea Lutetiæ Parisiorum recusos, anno *1579. 4.*

7. Neque non ad hunc locum pertinebit Renatus Boivinus, Andegauensis sculptor & chalcotypus, qui *Effigies XII. veterum philosophorum & poetarum inlustrium*, ex antiquis tum marmoreis, tum æneis signis divulgavit Parisiis 1566. in folio.

Cui sociandus Petrus Nonius, qui *Inlustrium Philosophorum & poetarum effigies* eodem anno atque ibidem publici juris fecit. Cujus generis *Effigies* anno sequenti lucem quoque viderunt *Venetiis in folio.* Philosophorum & poetarum iconum tanta quoque copia Romæ, in aula palatii Farnesiani habetur, quanta nusquam alibi; e quibus illæ, quæ

Socratis & Homeri referunt imagines, præ cæteris visu dignæ sunt: confer Burnetum in Itinerario suo Parte I. p. 213. & seq.

8. Sub Henrico III. qui post Carolum IX. regnare cœpit anno CIↃ IↃ LXXIV. Theodorus Marcilius, versionem & explicationem suam in aurea carmina Pythagoræ dedit Lutetiæ Parisiorum 1585. cujus integram postea sectam cum dogmatibus explicavit doctissimus Schefferus, de quo suo loco.

9. Et Joh. Papyrius Massonius, Foresiensis, Parlamenti Parisiensis Advocatus, se commendabat Elogiis suis, quæ partibus complexus est duabus, in quarum prima Imperatores, Reges, Duces & heroes; in altera viros eruditione, nec non philosophia claros descripsit, de quibus confer Struvium in Notitia rei litterariæ p. 316. Ad historiam philosophorum spectant etiam plures Elogiorum conditores, quales sunt Joh. Erythræus, Labbeus, Miræus, Thomasinus, alii.

CAP. XXIV.

1. Conradus Gesnerus in Pandectis rei Litterariæ & Bibliotheca Universali Historiæ nostræ conducit. 2. Joachimus Camerarius vitæ Melanchthonis Historiam consignavit. 3. Hier. Wolfius commendatur. 4. De salute Aristotelis Theologorum Coloniensium Libri. 5. Hieron. Cardanus de vita propria librisque propriis librum dedit. Ejus opera.

I.

A Gallis revertimur ad Germanos nonnullos & Italos, qui profuerunt historiæ nostræ philosophiæ. Post Carolum V. Imperatorem capesserat anno CIↃ IↃ LVIII. habenas imperii *Ferdinandus I.* frater, Imperator A. qui successorem relinquebat anno CIↃ IↃ LXXVI. Maximilianum II. filium natu majorem Imp. A.

Quo temporis intervallo, egregia laude floruit inter Helvetos Conradus Gesnerus, Tigurinus, incomparabilis Polyhistor, ac Scholæ Patriæ Tigurinæ Medicus, Helvetiæ suæ vere *Plinius*, qui inter libros plurimos & utilissimos, suis in Pandectis & Bibliotheca, tale quid tentavit, quale ante eum nemo. Inter scriptores etenim plurimos, quos in iisdem

iisdem recensuit non minori judicio quam doctrina, Philosophorum quoque libros & plerumque vitam exposuit. Hujus initio titulus erat: *Bibliotheca Universalis, sive catalogus omnium scriptorum locupletissimus, in tribus linguis, Latina, Græca & Hebraica exstantium & non exstantium, veterum & recentiorum usque ad annum domini CIↃ IↃ XLV. doctorum & indoctorum, excusorum & in Bibliothecis latentium, editus Tiguri, anno 1545. f.* quem librum juxta seriem Alphabeti & scriptorum nomina dispositum, in epitomen redegit Conradus Lycosthenes, Rubeaquensis, sed infeliciter; quia & locum, & annum editionis librorum, & formam tacuit: felicius postea tamen Josias Simlerus, qui variis eumdem quoque auctoribus auxit ediditque Tiguri, 1555. f. Tandem opus locupletatius prodiit hoc sub titulo: *Bibliotheca instituta & conlecta, primum a Conrado Gesnero: dein in epitomen redacta, & novorum librorum accessione locupletata: tertio recognita, & in duplum post priores editiones aucta, per Josiam Simlerum: jam vero postremo aliquot mille, cum priorum, tum novorum auctorum opusculis, ex instructissima Viennensi Austria Imperatoria Bibliotheca, amplificata per Jo. Jac. Frisium*, Tigurinum. Quod opus postremo, anno CIↃ IↃ LXXXV. Antonius de Verdier Vaupras, novis iterum supplementis instructum dedit, in quo potissimum eos scriptores, quos Gesnerus, Simlerus, & Frisius prætermisere, qui vel post eorum editiones in lucem prodiere, supplevit. Utut igitur mendis scateat ista Bibliotheca quam plurimis; longe plus tamen laudis ob ea, quæ bene dicuntur, quam reprehensionis, ob menda nonnulla levia meretur. *Pandectarum, sive Partitionum Universalium Libri XIX.* itidem nullo ordine prodierant, has vero primum in Compendium redegit Conr. Lycostenes, & in illas indicem confecit Robertus Constantius, quas notis post modum instruxit Wilhelmus Canterus, & supplementis Jo. Hallervordius. Obiit tandem Gesnerus, longiore vita dignissimus, anno CIↃ IↃ LXV. cujus historiam vitæ utili consilio composuit supra laudatus Simlerus, quæ cum Gesneri epistola de libris a se editis prostat. Gesnerum etenim imitari volebat Simlerus, sed minus feliciter. Gesneri vitam elegantissimo quoque carmine complexus est Tiguri anno 1564. Theodorus Beza, quo inter alia *naturam eum tanquam fidum suorum sacrorum antistitem plorare* dicit, confer Thuanum ad dictum annum, qui Gesnerum nostrum mirum in modum laudavit, quicquid objiciant exteri. Alius est Salomon Gesnerus, Boleslauia Silesius, Academiæ Witteber-

 gensis

gensis Theologus, anno cIↃ IↃ CV. emortuus, cui vir doctissimus Henricus Wittenius, Tomo I. D. B. ad annum 1605 litt. D. 3. b. adtribuit Historiam animalium, cujus Polyhistor noster exstitit auctor.

2. Annus postea millesimus quingentesimus septuagesimus quartus, illud Germaniæ decus auferebat, Joachimum Camerarium, virum omni virtutum omniumque litterarum genere instructissimum, Pabenbergæ in Franconia anno cIↃ IↃ. & eodem ipso mense, quo excesserat, natum, teste Thuano ad hunc annum, qui laudem inter nostros meruit propter *Narrationem de vita & morte Philippi Melanchthonis*, quo cum totos XXX. annos amicitiam coluerat, teste eodem ad dictum annum, (Melanchthon autem excesserat Wittebergæ anno cIↃ IↃ LX. XIII. Kal. Majas) qui libellus primo Lipsiæ 1592. 8. dein Hagæ Comit. 1655. 12. tum denuo 1696. in 8. cum adjunctis vitis Georgii Principis Anhaltini, & Aelii Eobani Hessi, eodem seculo defunctorum, prodiit. In ista autem vita permulta notatu digna de Melanchthone, doctissimo Philosopho, Philologo & Theologo memorat, ita, ut perfectam vitæ descriptionem nobis hoc scripto reliquerit. Idem in aurea carmina Pythagoræ commentatus est. A Joachimo Camerario, patre, distinguendi juniores, sive filii, laude Medicinæ clari, quibus idem cum patre nomen fuit: quorum major natu præter alia opuscula quædam de re rustica scripsit, teste Labbeo B. B. quæ Catalogus Bibliothecæ Bodlejanæ male adscripsit patri, Joachimo Camerario, laudato. Claruerunt & Philippus & Ludovicus, Camerarii, filii Joachimi Camerarii, filii natu minoris, celeberrimi Camerarii quorum opera laudat idem Catalogus. Guilielmus Camerarius, Scotus origine, de Scotis inlustribus quædam tradidisse dicitur eidem Labbeo, citata B. B.

3. Hieron. VVolfius, hoc loco commendatur propter *Commentarium suum in Guilielmi Morelli Tiliani, Tabulam Compendiosam, de origine, successione, ætate, & doctrina veterum philosophorum, ex Plutarcho, Laertio, Cicerone & aliis ejus generis scriptoribus collectam*, quam edidit *Basileæ anno 1580. typis Hervagianis* impressam, in 8. Cui addita est *series philosophorum, & sectæ eorum præcipuæ a Thalete & Socrate inprimis, usque ad Ciceronem deducta, per David. Chytræum aucta*, nec non *Desiderii Jacotii, Vantoperani, de philosophorum doctrina & scriptis libellus ex Cicerone*, &c. Dignum autem utrumque opusculum duxit celeberri-

mus

mus Gronovius, ut Tomo X. Thesauri Antiquitatum Græcarum inseruerit.

4. Nec silentio nobis prætereundi videntur ii, qui amore ethnicorum philosophorum capti, non veriti sunt adfirmare, ipsos nunc degere inter beate defunctos. Inde, quum superioribus annis omnes Stagiritam admirari cœpissent, hoc seculo teste Vincentio Placcio in Theatro Anonym. & Pseudonym *Liber anonymus de salute Aristotelis* lucem videbat, cujus auctores habebantur Colonienses Theologi, qui Aristotelem inter divos & sanctos referri, multis in eo rationibus ex sacris litteris docebant. Eosdem & alium metro & versu, *de vita & morte Aristotelis*, edidisse, notat Agrippa in L. de vanitate scientiarum & artium C. IV. p. 211. cujus in calce inter alia referunt: *Aristotelem sic fuisse Christi præcursorem in naturalibus, quemadmodum Johannes Baptista in gratuitis.* Quibus additur Lamberti cujusdam de Monte libellus, chartis decem editus anno 1487. in folio, sub titulo: *Quæstio Magisterialis, ostendens per auctoritates scripturæ divinæ, quid juxta sanctorum doctorum sententiam probabilius dici possit de salvatione Aristotelis*, confer celeberrimi Fabricii Bibl. Græc. L. III. C. VI. p. 176. seqq.

5. Ultimus sub eodem Imperatore inter Italos dicetur Hieronymus Cardanus, Mediolanensis Patricius, natus Paviæ anno cIↃ IↃ I. die IX. Kal. Sept. &, cum ætatis annum ageret LXXIV. vivis exemptus Romæ anno cIↃ IↃ LXXVI. die Calendarum mensis Octobris, quemadmodum bene contra Thuanum notavit Baelius voce *Cardane*. Fuit is homo prodigiosus, in omni genere scientiarum secundum Morhofium, novator in omnibus, in primis in Philosophia & Medicina, & Polygraphus siquis alius, teste eodem, qui historiam nostram inlustravit edito *de vita propria* libello, qui separatim, & præmissus operibus postea prodiit, in quo mores suos atque ingenium, fortunam, opes, & eventus omnes perspicue, & cum portentosis sepæ narratiunculis immixtis descripsit. In eo non solum enarrat, quid in quovis genere scientiarum, in Dialectica, Arithmetica, Geometria, Musica, Physica, Astrologia, & Medica re, cæterisque in artibus præstiterit atque invenerit, verum etiam, quot & quantis vitiis in vita sua laboraverit, ipse significat, ut exinde quemlibet potius confiteri oporteat; hominem fuisse Cardanum quandoque male sanum. Nec caussam tacet, cur tot libros ediderit, scilicet, ut nominis immortalitatem consequeretur. Quæ vita postmodum cura celeberrimi Naudæi

dæi Parisiis 1641. 8. sub hoc titulo prodiit: *Hieronymi Cardani, Mediolanensis, de propria vita liber, ex Bibliotheca Gabrielis Naudæi, adjecto huic secundæ editioni de præceptis ad filios libello;* cui præmissa quoque vita Cardani & de eo judicium ipsius Naudæi, libellus lectu dignus, qui jucunda varia & memoria digna de hoc philosopho nobiscum communicat. Hæc postremo recusa fuisse dicitur etiam Amstelodami anno 1654. Neque vero de vita propria solum, sed de libris etiam suis nos instruxit peculiaribus libellis, in quibus eorum argumenta, tempus & occasionem exposuit. Integra autem opera Hieronymi Cardani, & quæ spectant ad ea, conjunctim prodierunt per Carol. Sponium Lugduni 1663. f. Tomis X. in quorum Tomo I. habentur 1. Cardani vita, & de eo judicium Naudæi. 2. Cardani de vita propria libellus, 3. de libris propriis liber, cui titulus: Ephemerus, ad Hieronymum Cardanum, Medicum & ad finem suum 4. de libris propriis eorumque ordine & usu libellus ad Nicol. Siccum, Mediolani justitiæ præfectum 5. de libris propriis eorumque usu, liber recognitus ad eundem, 6. de studio Socratis liber, in quo Socratis philosophiam inlustrat. Cætera omittimus. Operum Tomo X. singularis de clarorum virorum vita & libris, deque hominum aliquorum judicio liber invenitur, historiæ nostræ non adeo inutilis, quod in eodem nonnulli quoque philosophi memorantur antiqui. Elenchus autem universalis operum omnium, ad calcem vitæ auctoris habetur, Confer. Labbeum in B. B.

CAP. XXV.

CAPUT XXV.

1. Franc. Patricius, Platonis admirator, & Anti-Peripateticus, edidit discussiones Peripateticas, Zoroastris oracula, & Aristotelem exotericum, cum hoc confundi solet aliu ejusdem nominis. 2. Joh. Bapt. Crispus, de philosophis caute legendis. 3. Ub. Folieta de iis, in quibus Plato ab Aristotele reprehenditur. 4. Andr. Kragius, Rami defensionem in se suscepit. 5. J. Jac. Beurerus de vita Aristotelis. 6. Nancelius, 7. Freigius, & 8. Bannosius vitam P. Rami descripserunt. 9. Philipp. Scherbius contra Ramum disputat. 10. Joh. Jac. Frisius Bibliothecam Philosophicam condidit. 11. P. Leopardus Furnius. 12. Is. Spachius, de libris philosophorum. 13. Mich. Neander in aurea carmina Pythagoræ, quorum lectio commendatur. Neandri plures, Catalogus B. Bodl. notatur.

I.

MAximiliano II. successerat anno CIↃ IↃ LXXVI. Rudolphus II. F. Imp. laudatissimus, cujus imperio multis de caussis memorabili, multi fama insignes viri claruerunt, e quibus Franciscus Patricius, celebris in Romano quondam Gymnasio professor, philosophus nobilissimus, humaniorumque litterarum peritissimus, insigniter nostram adornavit historiam. Hic etenim, cum magnus Platonis sectator esset, & ante annos XVII. Ferraræ contra Stagiritam docuisset, Gregorio XIV. epistolam nuncupabat, in qua auctor erat, ut Aristotelis libri e juvenum manibus excuterentur, divinus ille Plato restitueretur. Quod ut eo facilius efficeret, Stagiritæ Philosophiam refutandam sibi sumebat, teste Launojo L. de varia Aristotelis fortuna, p. 168. & sequentibus, diffuso libro, Tomis quatuor, quem *Discussiones Peripateticas* inscripsit, qui liber prodiit Basileæ anno 1581. in f. Primus horum Tomus de Aristote-

lis vita, moribus, libris, auditoribus, sectatoribus, expositoribus, interpretibus, sectis, philosophandi ratione, libris tredecim disserit. In quo potissimum ostendit, vel integros libros Aristoteli hactenus falso fuisse adscriptos, vel pleraque aliis philosophis erepta. Tomus alter Aristotelis cum Platone aliisque veteribus philosophis a multis promissam, a nemine editam, in omni Philosophiæ genere concordiam, libris octo continet. Tomus tertius, Aristotelis cum Platone aliisque veteribus a nemine promissam vel editam discordiam, libris septem persequitur. Tomus quartus rigidissimam Aristotelis dogmatum censuram philosophicam libris instituit decem. Quæ cum multis argumentis omnia confutasset, suam *de Universo* novam philosophiam ad mentem Platonis directam & Gregorio XIV. Pontifici, ejusque successoribus, consecratam, Ferraræ in vulgus edebat libris L. cui etiam Zoroastris oracula, cum auctario quodam sententiarum ex antiquis auctoribus conlecta præmiserat, de quibus celeberrimus Jo. Clericus in notis ad oracula Chaldaica conferri potest p. 346. Huc quoque pertinet *Aristoteles* ejus *exotericus*, in quo pariter in Stagiritam mirum in modum maledicus est. Est adhuc alius Franciscus Patricius, Siennensis, eodem seculo clarus, qui de regno & regis institutione libros condidit. Hic sæpe cum nostro confunditur, docente Baelio, his verbis Tomo II. p. 749. Lexici sui voce *Patrice: On le confond quelque fois avec un autre François Patrice, grand Philosophe Anti-Peripatticien, qui étoit né sur les terres de Venitiens l'an. 1519. & qui mourut l'an. 1597.* Confer Morerum in Lexico suo, inprimis Teisserium, & Joh. Fr. Buddeum.

2. Nonnulla dedit etiam Johannes Baptista Crispus, Monopolitanus ex Regno Neapolis, in suo *de philosophis caute legendis* erudito scripto, quod Romæ prodiit, 1594. f.

3. Hubertus, sive Ubertus Foglieta, sive Folieta, patricius Siennensis, vir insignis, & per eadem tempora clarus, libellum concinnavit ad Antonium Vaccam, JCtum eximium, *de nonnullis, in quibus Plato ab Aristotele reprehenditur*, qui recusus Venetiis 1597. postea Tomo I. partis prioris Thesauri Antiquitatum & Histor. Ital. Græviani insertus habetur.

4. Sub id in Dania regibus forte Friderico II. & Christiano IV. floruit Andr. Kragius, natus Ripis Cimbronum anno CIϽ IϽ LVIII. Philosophus & Medicus Hafniensis non incelebris, qui *P. Rami & ejus* Philo-

Philosophiæ defensionem contra Georgii & Libleri Calumnias in Epitomen VIII. librorum acroamaticōn adspersas edidit, teste Alberto Bartholino in libello de scriptis Danorum, qui Kragii liber prodiit Basileæ 1582. 8.

5. Johann. Jacobus Beurerus, Proemium Peripateticum, sive de vita Aristotelis librum edidit anno 1589. 8. Basileæ.

6. Nicolaus Nancelius, Rami quondam discipulus, magistri vitam erudite & eleganter perscripsit, quæ notante celeberrimo Bælio, Tomo II. p. 929. Diction. sui voce Ramus, multa continet memoria digna. prodiit illa cum ejusdem orationibus anno 1599.

7. Huic comes addetur alter Rami sectator, Johannes Thomas Freigius, JCtus non indoctus, qui teste Morhofio II. 1. 12. 1. *multum impendit opera reformandis ad mentem Rami disciplinis*, cujus vitam quoque descriptam dedit Francofurti 1584. 8. in qua præsertim omnes istos motus, quos Ramæa philosophia in Gallia concitavit, exposuit. Usus eadem est celeberrimus Baelius ad describendam vitam Rami in suo Lexico.

8. Talem Rami *vitam* peculiari libello ediderat antea quoque Theophilus Bannosius, impresso Francof. 1579. 8. teste Spachio in Nomenclatore.

9. Quum in Germania nonnulli inventi quoque fuerint, qui eo tempore Ramum sequi vellent, Philipp. Scherbius, Helvetus origine, Logices & Metaphysices tum in Altdorfina Professor, Medicus non ignobilis, (qua tempestate in Medicorum scholis omnes erant Stagiritæ dediti) *Apologiam pro Aristotele & Euclide contra P. Ramum & alios* (in quibus erat potissimum Casparus Pfaffradius, qui pro Ramo de studiis Ramæis, & optimis institutionis ejus legibus egerat,) scribebat. Tunc enim in Peripatetica philosophia exornanda & propaganda doctores omnes occupabantur. In Aldorfina Scherbium sequebantur Sonerus, Michael Piccartus; in Lipsiensi Johannes Neldelius præcipue, Simonis Simonii, Luccensis, discipulus, ac celeberrimi Hoepfneri præceptor, cujus de usu Aristotelici Organi prostat opus, in quo utilitatem ejus in superioribus facultatibus mirum in modum extulit; in Francofurtensi Tob. Magirus; in Helmstadiensi Henningius Arnisaeus, & postea Conringius; in Argentoratensi Hafenrefferus; in Regiomontana Dreierus, Zeidlerus, alii.

10. Pro subsidiis porro commendandus inter Bibliothecarum scri-

ptores supra memoratus Joh. Jac. Frisius, Tigurinus, qui edidit etiam *Bibliothecam clasficorum auctorum Chronologicam*, in qua præter alios scriptores antiquiores imprimis etiam veterum Philosophorum originem, successionem, ætatem, doctrinam compendiosam eorumque & scripta a primis temporibus usque ad suam ætatem, ad seculum nimirum XVI. ordine Chronologico exposuit, prodiit ea Tiguri anno 1592. 4.& post secundo chronici chronicorum ecclesiastici Jani Gualteri, sive Jani Gruteri libro inserta atque recusa Francofurti habetur 1614. in 8. Confer de hac Bibliotheca Acta philosophorum, Parte IV. p. 5.

11. Paulus Leopardus, natus Isenbergæ in Flandria, profuisse videtur *vitis & ebriis variorum philosophorum*, ut *Aristippi*, *Diogenis*, *Demonactis*, *Stratonis*, *Demosthenis* & *Aspasia*, Latio a se donatis, Antvverpiæ 1596. 8.

12. Adtulerunt historiæ nostræ subsidia quoque ii, qui de philosophorum libris nos instruxerunt, licet de auctoribus sæpe ipsis parum, vel nihil addiderint, quale quid hoc tempore dedit Israel Spacchius, Doctor & Professor Medicus Argentinensis, in libro, cui nomen: *Nomenclator scriptor. Philosophic. & Philologicorum, quo habetur succincta recensio eorum, qui Philosophiam, omnesque ejus partes, quovis tempore aut idiomate usque ad annum cIɔ Iɔ XCII. descripserunt, aut inlustrarunt, nulla temporis ratione habita, Argentorati 1598.* editus, confer Morhof. I, 1. 18. 58.

Conjungendi cum his quoque Bibliothecarum catalogi, e quibus laudantur catalogi Bibliothecæ Bodlejanæ, Slusianæ; inprimis ii, qui secundum scientias & artes digesti sunt, qualem confecisse constat de Bibliotheca Thuanæa Ismael Bullialdus, & Josephus Quesnelius, de quibus & cæteris Excellentissimus Struvius adeundus in Introduct. ad Not. Rei litterariæ.

13. Claudit inter Germanos seculum Michael Neander, Soraviensis Lusatus, anno demortuus cIɔIɔXCV. scholæ primum Northusanæ, dein Ilfeldæ Athenæi Hercynii rector longe eruditissimus, & alter communis Germaniæ præceptor Morhofio judice, Polyh. I. l. 18. 11. qui præter alios doctissimos libros, hic commendandus ob *Versionem & Commentarium in χρυσᾶ ἔπη, sive aurea carmina*, quæ sub nomine *Pythagoræorum* circumferuntur, & e quibus (præter Porphyrii & Jamblichi vitam) philosophiæ Pythagoricæ dogmata facillime ediscuntur. Prodierunt ea cum aliis Græcis hujus generis opusculis, conjunctim Lipsiæ, 1577. & 1585. 8. Dicuntur illa

illa carmina a quibusdam ὑποθῆκαι Πυθαγορικαί, quasi diceres, *precepta Pythagorica*, quemadmodum vocat illa Hierocles in egregio commentario suo in ea; itemque παραγγέλματα χρυσᾶ, *precepta aurea*; itemq; παραινέσεις, hoc est *admonitiones*, Confer doctissimum Schefferum in de nat. & constitutione Phil. Italicæ, quod uti optime summus Schurtzfleischius interpretatur, in præfatione ad istum libellum, *de virtutibus præcipiunt, vetantque illecebras, & vita corruptelas, omnia denique ea, quæ a Græcis αἰσχρὰ adpellantur.* Confer inprimis etiam de commendatione istorum carminum ipsum celeberrimum D. Fechtium Theologum, in Philocalia sua sacra p. 43. Quorsum referuntur etiam aliorum Pythagoreorum γνῶμαι χρυσαῖ, sive *aurea sententia*, quarum sunt Demophili, Democratis, Sexti Pythagorei, cujus sententiæ inter opuscula mythica Galæi exstant, & aliæ hujus generis a I. Stobæo conlectæ, quas Schefferus ad illud Philosophiæ genus refert, quod Jamblichus L. I. c. 18. τῶν τι πρακτέον adpellat, quod regulas communes ac bene vivendi præcepta contineat, confer eumdem citato loco. Idem carmen a Smetio in Latinos versus translatum, modo laudandus Conr. Rittershusius exhibet in libello Pythagoricarum sententiarum, edito 1610. Sunt deinceps Neandri inter se distinguendi, quorum plures laudatus Bodlejanæ Bibliothecæ catalogus memorat, qui Michaeli Neandro synopsin mensurarum & ponderum adtribuit, cujus tamen auctor alius Neander est a nostro. De variis autem carminis aurei Pythagorici editionibus vide Fabricium in B. Gr. L. II. C. XI. & Cap. XII. §. 6 & 7.

CAP. XXVI.

1. Petrus Joh. Nunnesius historiam Peripateticam inlustravit, de claris Peripateticis librum promisit, Nunnesiorum plures. 2. Andr. Schottus vitam Senecæ descripsit. Seneca, Philosophus, cui sectæ addictus, disquiritur. Idem vitas parallelas Aristotelis & Demosthenis edidit. Schottorum alii. 3. Otto Heurnius Antiquitates philosophiæ Barbaricæ congessit. 4. Lipsius philosophiæ Stoicæ tum

temporis vindex, vitam Senecæ descripsit. Huic adduntur Casp. Scioppius & alii. 5. Jo. Scaliger vitam patris, J. C. Scaligeri perscripsit. 6. Verdierius censuram auctorum dedit, sed ipse castigatur. 7. Boissardus laudatur ob Bibliothecam. 8. Donaldsonius locos communes dedit. 9. Thuanus elogia virorum celebrium composuit. 10. Jo. Jesenius mortuum Braheum laudavit. 11. Wilkius pro Homero scripsit. homonymus historiæ philos. profuit. 12. Goesius pro philosophis. 13. Conr. Rittershusius vitam Pythagoræ & alia dedit. 14. Bolduanus Bibliothecam dedit philosophicam. 15. Vitæ Germanorum Philosophorum. 16. B. Pererius de philosophorum placitis & ætate egit. 17. Andr. Stiborius de Mathematicis. 18. M. Gualterus de schola veterum philosophorum. 19. Scipio Aquilianus de placitis philosophorum. 20. J. F. Astolfius vitas Laertii in compendio dedit. 21. Polyc. Palermus & Gisalinus de patria Pliniorum. 22. Andr. Alpagus adlegatur propter librum de vitis philosophorum Arabum translatum.

I.

NUnc memorandi sunt etiam ii, qui seculo septimo decimo rem publicam cultiorem scriptis editis juvarunt. Sub finem seculi prærerlapsi, & initium hujus, tempore Philippi III. Regis Hispaniarum, qui ab anno cIↄ Iↄ XCVIII. usque ad annum cIↄ IↄC XXI. tenuit imperium

Apud Barcinonenses floruit Petrus Johannes Nunnesius, Valentinus, qui præter summam eloquentiæ laudem, propter quam teste Miræo L. de scriptoribus sec. XVI. Cap. 133. stipendio magno a Barcinonensibus accersitus, etiam in rebus philosophicis nomen famamque adeptus est. Inprimis autem Peripateticam inlustravit historiam, habita primo *de caussis obscuritatis Aristotelis, earumque remediis*, non ineleganti *Oratione*, in quan no solum laudes Philosophi, sed ejus etiam defectus & errores exposuit, ita tamen, ut facilior & indulgentior fuerit cæteris omnibus,

bus, qui Aristotelem reprehenderunt. *Vitam* deinde *Aristotelis ab Ammonio, sive Joanne Philoppono descriptam*, erudito commentario instruxit, in quo de moribus hujus Philosophi, de ratione philosophandi, de scriptis item, auditoribus & successoribus egit; cui adjuncta quoque est ejusdem *Philosophiæ Peripateticæ Institutio, sive de recta atque utili ratione conficiendi curriculi philosophiæ Peripateticæ tractatus*, quæ omnia cum modo adlegata Oratione, curante Holstenio, *Lugd. Batav.* recusa sunt 1621. 8. tum *Helmstadii 1667. 4.* Sed de Aristotelis illa vita pluribus tractavimus in Galeni & Damascii historiis. Ad hæc *Procli Crestomathiam Poeticam* non indoctis exornavit scholiis, Lucis autem plurimum adferre potuisset historiæ suo *de claris Peripateticis* libello, quem scripsisse fatetur ipse suis in scholiis ad dictam Aristotelis vitam, p. 153. sed is nunquam comparuit. Obiit octogenarius prope 4. Id. Martis. anno post natum CHR. sexcentesimo ac millesimo. Distinguendus ab hoc Ferdinandus Nunnesius, sive Nunnez, eloquentiæ Græcæque linguæ professor Salamanticensis, quem adagia Hispanica conlegisse Morhofius memorat in Polyh. L. I. 21. 103. Nunnesiorum plurium opera recenset etiam Catalogus Biblioth. Bodl. quem vide.

2. Proximus ab Hispanis locus debetur Belgis; quorum multi eodem Philippo in Hispania Rege, uti & in Germania Rudolpho II. Imperatore, nomen immortale consequuti sunt.

E quibus adducendus Andreas Schottus, Francisci filius, Antvverpianus, Jesuitarum Scaligero judice, doctissimus, natus a. CIƆIƆLII. pridie Idus, qui elegantissime nobis *vitam Senecæ* (illius, quem vulgo Philosophum dicunt, ad Rhetoris & Sophistæ differentiam,) exaravit. Fuit autem ille philosophus, non quidem Epicurus, ut censet Scaliger, ad Senecæ Agamemnonis versum DC. quanquam dixit: *Epicurus noster* epist. CVII. neque Cynicus, licet de Demetrio Cynico dicat: *Demetrius noster*, LVII de benef. C. 2. sed maximam partem Stoicus. Hinc *Stoici nostri* ait Seneca L. quod in sapientem non cadit injuria, Cap. 2. & simpliciter *nostri*, epistola CXVII. *Chrysippus noster* L. II. de benefic. C. 17. *Cleandes noster* epist. CXIII. Confer epistolas XXXIII. LXXXIII. CIV. & Lipsii Manuductionem ad philosophiam Stoicam. Nonnunquam tamen a Stoicis dissentit, vide epist. XCIV. *Acerrimus Stoicus* dicitur Lactantio L. I. divin. Institut. C. 5. *Stoicorum acutissimus* eidem L. 2. C. 9. Fabio tamen L. X. C. 1. *in philosophia parum diligens* dicitur, de quibus omnibus laudatus

tus noster elegatissime pariter atque doctissime tractavit. Prostant ejus etiam *vita comparata Aristotelis & Demosthenis, olympiadibus ac praturis Atheniensium digesta*, quæ; lucem adspexerunt *Augusta Vindel. 1603 4.* Schottos autem inter se noli confundere. Fuerunt Caspar Schottus, insignis ille Mathematicus: Joh. Schottus Carolo V. gratus, & aurei velleris Cancellarius, Val. Andreæ laudatus in Bibliotheca sua, p. 560. &c. Conf. Lexicon litter.

2. Post hunc nominandus Otto Heurnius, Joh. filius, Philosophus & professor Medicus Ultrajectinus doctissimus, natus anno cIↄ Iↄ LXXVII. propter *Barbaricæ Philosophiæ Antiquitates*, quas juvenis adhuc annos agens XXIII. in duplicem concisum coegit libellum, quorum alterum Chaldaicum adpellat, Indicum alterum. Ille Chaldaicæ philosophiæ historiam a primis originibus suis, ejusque & varias in Asia vicissitudines & propagationem ad Græcas demum gentes exponit: hic in brevissimos tractatus quatuor est divisus; quorum primus Indorum antiquiorum & recentiorum percenset philosophos, eorumque varia genera, sectas & placita: secundus philosophos Babyloniorum Phoenicumque: Aegyptiorum & Indorum philosophiæ magistros, eorumque doctrinam pertractat tertius: quartus agit de impura Magia Asiatica, Africana, Europæa, variisque eorum speciebus. Prodiit hic liber *ex officina Plantiniana* in forma minore *1600.* & quia alias inventu difficilis est, eum quædam continere recondita, multi crediderunt; sed nonnisi generalia, vulgaria ac trita pertractat; de quibus confer excellentissimum Gundlingium in historia philos. mor. p. 15. sive etiam doctissimum Ackerum in supplem. ad Bibl. Philos. Struv. p. 34. Accessit huic etiam libro Christiani Bruningii *Breviarium philosophiæ Barbaricæ*, qui liber, itidem inventu rarissimus est.

4. Inprimis eo tempore Justus Lipsius, grande seculi decus, aliquam lucem doctrinæ morum adtulit editis scriptis nonnullis doctissimis, quibus Stoicam potissimum philosophiam ex Senecæ & Epicteti libris explicavit. Cujus philosophiæ specimen primum complexus est Libris duobus, quos de Constantia scripsit, (uti ipse fatetur in præfatione prima libris de constantia præmissa) cujus optima editio ultima vice Francof. prodiit 1591. 8. Physiologiam Stoicam dedit L. III. Antverpiæ 1604. 4. & tribus, item ad istam philosophiam manuduxerat, qui ibidem prodierunt 1610. 4. His adjungimus notulas in opera Senecæ, quibus

quibus etiam *Seneca vitam* nervoſe doċteque contextam pro hiſtoriæ philoſophicæ deditis præfixit. Hæc opera cum integris Juſti Lipſii & Joh. Friderici Gronovii, ſelectiſsimisque variorum commentariis inſtructa, Amſtelodami prodierunt apud Dan. Elſevirium, anno 1673. III. vol. 8. De pluribus editionibus operum Senecæ confer Fabricium in Bibl. Lat. L. II. C. 9. & de Lipſii philoſophia plura qui cupit, acta philoſophica conſulat, P. IV. p. 747. ſeqq. Cum Lipſio Stoicæ philoſophiæ explicandæ tum temporis ſe dedit etiam doctiſsimus ille ſcurra, Caſp. Scioppius, cujus etiam elementa philoſ. Stoicæ Moguntiæ prodierunt 1606. 8. de his autem vide Morhof. II. 1. 4. 2. Philoſophiæ Stoicæ amatores alios, ut: I. Bonnam, Petr. Molinæum, & plures, enumerant Acta philoſ. p. 739. Præter Schottum & Lipſium, *Seneca vitam* deſcripſit etiam M. Ant. Delrio. Obiit Lipſius anno CIↃ IↃC VI.

5. Item tum maxime excelluit Joſephus Juſtus Scaliger, denatus anno CIↃ IↃC IX. qui patris ſui *Julii Caſ. Scaligeri vitam* peculiari enarravit ſcripto, Moguntiæ edito 1606. 4. Fuit J. C. Scaliger eruditorum ſui ſeculi princeps, Poeta, Medicus & Philoſophus, natus anno CIↃ CCCC LXXXIV. & denatus Aquis CIↃ IↃ LVIII. Hic forte maiora in Philoſophia præſtitiſſet, niſi primo deditus adeo fuiſſet Scholaſticis, quod ipſe queſtus eſt in commentario in Hippocrat.

6. Nec eo tempore Gallia, ſub Henrici III. & IV. imperio, deſtituta fuit melioris notæ viris, qui hiſtoriam philoſophicam ſimul exornarunt.

Claud. Verderius, ſive ut potius cum Morhofio Struvioque ſcribam, Verdierius, Antonii filius, in ſenatu Pariſ. cauſſarum patronus, haud parum prodeſſe videbatur libro, quem ſub hoc magnifico titulo dedit: *Cenſio auctorum prope omnium, veterum & recentiorum, qua præter receptisſimorum quorumque Grammaticorum, Poetarum, Hiſtoricorum, Rhetorum, Dialecticorum, Oratorum, juris conſultorum, veterum recentiorumque, & Theologorum naevos, philoſophorum quoque & Mathematicorum errata quadam deprehenduntur, qui liber jam Lugduni Gallorum* editus habetur, *anno 1586.* 4. ſed ab omnibus eruditis non immerito pro inepto habetur, confer pluribus Morhof. Contra iſtum Caſp. Scioppius notas ſcripſit. Eo tamen non male uſus eſt in ſua de erroribus magnorum virorum in dicendo exercitatione Allatius, conf. Marville d' Hiſtoire & de Litterature Tom. II. p. 105. Cave Verdierium cum Giſb.

Voetio L. III. Bibl. Stud. Theolog. C. III. p. 351. confundas cum patre, Ant. Verdierio, privatæ vallis domino, qui supplementum in Bibliothecam Gesneri & alia scripsit.

7. Jo. Jac. Boissardus, Vesuntinus, vir doctrina & diligentia nemini inferior, ***Bibliothecam in V. partes distributam*** dedit, in qua virorum doctorum illustriumque vitas adjectis imaginibus haud indecoris, licet non ad vivum expressis exposuit. Cujus pars Ima prodiit Francof. ad Moen. 1597. 4. altera 1598. tertia eodem anno, quarta 1599. & quinta 1628. Quod opus postea sub tali titulo lucem vidit: ***Bibliotheca Chalcographica virorum illustrium virtute atque eruditione in tota Europa, Francof. 1850. 4.*** Ubi iterum adjectæ sunt effigies; sub his versus, virorum eruditione meritisque clarorum vitas exponentes. Aucta postea hæc bibliotheca fuit per Sebastianum Furckium, qui sextam addidit partem; quem sequutus Clemens Ammonius, junior, qui adjectis partibus, septima, octava & nona, in præfatione continuationis ex his omnibus vastum aliquod & perfectum opus sistere decreverat, quod non modo secundum ordinem omnium facultatum, omnes omnium ætatum virorum celeberrimorum effigies, sed eorum etiam vitas cum rebus aliis memoria dignis exhibuisset, sed operi tam praclaro immortuus est, confer Observ. Hallens. Tom. IV. Obs. 2.

8. VValtherus Donadsonus, origine Scotus, sed habitatione Gallus, teste Baelio voce ***Donadson, Electa Laertiana*** edidit, quæ postea Græce & Latine Francof. prodierunt 1612. 8. Sunt loci communes, quos e vitis antiquorum philosophorum, e Diogene Laertio conlectos inprimis, in certos titulos redegit, quosque non male cum vetustis istis apud Strobæum fragmentis conjungere possumus.

9. Henricus IV. occisus anno CIↃ IↃC X. successorem reliquit filium Ludovicum, principem decem annos natum, qui postea Ludovicus XIII. dictus est. Sub hoc excesserat anno CIↃ IↃC XVII. Galliæ sidus illud

Jacobus Augustus Thuanus, Parisinus, vir genere illustris & parlamenti Parisiensis præses meritissimus, qui historiam sui temporis ab anno CIↃ IↃ XLIII. usque ad annum CIↃ IↃC VII. libris CXXXVIII. elegantissime condidit; quorum sub finem ***viros*** etiam ***celebres atque illustres, doctos & philosophos,*** breviter quidem sed doctissime descripsit, quæ descriptiones sive elogia deinceps seorsim prodierunt.

10. In

10. In Germania Rudolpho II. Imperatori tum temporis gratissimus fuit Tycho Braheus, sive de Brahe, Danus eques, Mathematicus egregius, & Astronomorum hoc seculo facile princeps. Hujus *vitam & obitum* in funeribus anno CIↃ IↃC I. Pragæ laudavit Joh. Jessenius a Jessen, Philosophus & Medicus ille Pragensis, ob fata sua notus, quem insertum videmus Observationum miscellanearum Tomo I. Jessenius etiam *de Zoroastre* peculiarem libellum dedit, in quo gesta & doctrinam hujus philosophi exposuit, editum VVittebergæ 1598. 8. de Jessenio vide plura in memorato Lexico litt. voce *Jessen*.

11. Tum Andr. VVilckius, rector Gothanus quidam, historiam Homeri inlustravit *orationibus tribus* editis conjunctim Lipsiæ 1605. 8. in quarum prima quæstionem movit: *fuerit ne cœcus Homerus nec ne?* in altera evincit, quod *Homerus non fuerit cœcus*; ultima est judicium orationum *de cæcitate Homeri*; Homerum autem cœcum non fuisse probat inde, quod ipse quasi lumen fuerit omnis sapientiæ. Alius est Jo. Georg. Wilckius, scholæ Misnensis circa medium seculi rector, qui præter alia memorandus hoc loco ob *vitam Salomonis*, *vitamque Ciceronis ex Plutarcho* traditam. Confer de eo plura in Lexico litteratorum.

12. Tunc etiam Sigismundus Goesius, sive a Goes, *orationem* lectu non indignam *pro Philosophia contra Medicos* habuit, insertam Tomo I. p. 116. Orationum Argentinensium, quæ uno volumine prodierunt Argentorati 1611. 8.

13. Eodem tempore celebritatem habuit Conradus Rittershusius, vir jurium consultissimus humaniorumque peritissimus, qui locum inter historicos nostros sibi vindicavit propter *vitam Pythagoræ a Malcho, sive Porphyrio* descriptam, quam primus omnium eruditis notis inlustratam cum orbe cultiore communicavit 1601. 8. quam editionem sequuta est illa Romana anno 1630, quam Lucæ Holstenio infra laudando debemus. Hanc autem Holstenii editionem, quæ præter vitam Pythagoræ alia Porphyrii opuscula continet, Cantabrigienses recudi curarunt anno 1655. *Charontæ & Zaleuci Nomothesiam* explicavit in *oratione* illa, quam commentario ad Institutiones præfixit, in qua varia Pythagoreorum bene instituta laudavit. Antiquissimi enim morum magistri inter Græcos philosophos a nonnullis Pythagorei laudantur. Hinc Legislatoria illa, quæ ex Pythagoreis superest, cum aureis carminibus & melioribus in illa commentatoribus, haud immerito commendari possunt jurisprudentia

tiæ deditis. Prostat etiam *Pythagoricarum sententiarum libellus conlectore C. R.* (Conrado Rittershusio) *Altorf. 1610. 8.* Nicolai Rittershusii, Conr. filii, viri itidem clarissimi, varia erudita prostant opera.

14. Haud multo post Paulus Balduanus vixit, pastor quidam Pomeranus, qui memorandus quidem propter *Bibliothecam Philosophicam, sive Elenchum scriptorum philosophicorum atque philologicorum illustrium, qui Philosophiam ejusque partes aut omnes, aut præcipuas quovis tempore & idiomate, usque ad annum clɔ Iɔc XIV. descripserunt aut exornarunt*, quæ vero in nuda tantum titulorum recensione consistit, quos e catalogis Francofurtensibus conlegisse videtur.

15. Germanorum seculo superiori philosophicis rebus & humanioribus litteris clarorum vitæ Francofurti prodierunt anno 1615. 8. teste Spachio in Nomenclatore.

16. Hujus tempestatis æqualis fuit Benedictus Pererius, quem inter scriptores nostros referimus propter *Libros XV. de communibus omnium rerum naturalium principiis & affectionibus*, *Coloniæ* editos, *1618. 8.* quibus peculiarem historiæ philosophicæ librum consecravit, in quo non modo veterum philosophorum placita, & varias ipsorum circa rerum naturalium principia & opiniones, sed inprimis etiam eorum ætatem, quo tempore scilicet hic vel ille philosophus eminuit, diligentia non minore exposuit.

17. Andreas Stiborius, Bojus, Viennensis in Austria Canonicus, *de auctoribus Mathematicis* libellum condidisse dicitur Labbeo B. B.

18. Circa quod tempus vixit forte etiam Marcus Gualterus, Palatinus, qui *de schola & de habitu veterum philosophorum* peculiari libello non indocte tractavit, qui prodiit Franck. 1613. 4. Idem nomen consequutus est propter Orationem prolixam de vita & obitu Conradi Vorstii, impressam anno 1624.

19. Quantum conligere licet, eodem imperatore claruit inter Italos Scipio Aquilianus, Pisanus, eques D. Stephani, qui *de placitis philosophorum, qui ante Aristotelis tempora floruerunt*, librum conscripsit, *ad principia rerum naturalium, & caussis motuum adsignandas pertinentibus*, quem ab interitu postea vindicavit ejus discipulus, Georgius M. S. Medicus ac Philosophus, Venetiis 1620. 8.

20. Scipioni addendus Joann. Felix Astolfius, *qui vitas Diogenis Laertii* recudi fecit idiomate patrio, sub titulo: *Delle vite de Filosofi di Dioge-*

Diogene Laertio Livri X. con l' aggiunta d' un Compendio delle vite de' più illustri Oratori e poeti, che sieno fioriti per tutt' il mondo, ne' secoli adietro, abbelite pur hora di figure di Giosefo Salviati, & cætera, h. c. de vitis philosophorum D. L. Libri X. cum adjuncto compendio vitarum illustrium Oratorum & poetarum, priscis temporibus clarorum, exornati cum figuris, &c. *Venetiis 1606. 4.* Hoc non nisi breve compendium est e vitis Laertianis.

21. Veronæ autem claruit tum Polycarpus Palermus, jurium consultus, qui eruditum libellum *de C. Plinii Secundi superioris patria* ibidem in lucem edidit 1608. 4. in quo Veronensem Plinium, non Comensem esse probat, idque ex vetustissimorum lapidum fide, ac denique eruditissimorum hominum testimoniis, videlicet Petrarchæ, Volaterrani, Aen. Sylvii, L. Vallæ, Nicol. Perotii, L. G. Gyraldi, & plurium, quæ loca (auctorum) appendici libri subnectit. *De Plinii Secundi patria* eruditum & elegantem libellum, plagulis tantum 6. aut 7. constantem composuit etiam Cigalinus.

22. Andreas Alpagus, Bellunensis Medicus, historiam Arabicam *de vitis philosophorum & Medicorum Arabum & Græcorum* se transtulisse profitetur in præfatione Glossis Avicennæ teste Labbeo B. B.

CAP. XXVII.

1. Francisc. Baco de Verulamio emendandi philosophiam consilia dedit. de augmentis scientiarum, deque veterum doctrina scripsit. Idem Regiæ societatis auctor. 2. Melchior Adamus editis vitis Germanorum philosophorum clarus. 3. Mich. Piccartus ad lectionem Aristotelis manuduxit. 4. M. Neander de fatis & sectis Medicinæ & Medicorum. 5. Scheiblerus de vita philosophica. 6. Bachmannus Comparationem Aristotelis cum Platone instituit. 7. Melch. Goldastus de occulta doctrina veter. philosophorum.

I.

EO tempore, quo inter Germanos Rudolphus II. & deinceps Matthias; inter Gallos Henricus IV. Borbonius, & post eum Ludovicus XIII. atque inter Hispanos Philippus III. regnarunt, in Angliæ regnis præfuit ab anno CIƆ IƆC III. usque ad annum CIƆ IƆC XXII. Jacobus I. Scotorum Rex, Princeps litteris omnibusque scientiis excultus; cujus sub imperio tot elegantes liberalium studiorum, omnisque doctrinæ & auctores & admiratores inventi sunt, ut enarrari vix possit, quanta incrementa omnis etiam, qua cultior est, orbis, ex eo hoc seculo coeperit.

Tum etenim clarissimum inluxit ingenium Francisci Baconii, Baronis Verulamii, Albaniæ vice-comitis, & summi Angliæ Cancellarii, qui primus tempestatis istius philosophiæ imperfectionem perspiciens ejus reformationem urgit atque suscepit. Hinc *de augmentis scientiarum* librum edebat, ab omnibus maximo cum applausu exceptum, in quo præter alia omnem historiam, litterarum & philosophiæ, solidioris sapientiæ studiis deditis maxime commendabat, inculcabat. Idem libro profuit, quem *de Sapientia veterum* scripsit, in quo Mythologicam veterum Philosophiam nobis exposuit. Eidem etiam Regiæ societatis initia debentur, cujus acta, experimenta, nec non elegantiores relationes historiam philosophicam insigniter augent, de quibus consule excellentiss. Struvium in Notit. rei litt. p. 260. & seq. Omnia ejus *opera* uno volumine *quæ exstant, Philosophica, Moralia, Politica, Historica cum vita* (Baconii) *ab anonymo descripta* (cujus auctor Henning. Witteniius, teste Placcio in theatro) *ultima vice Francofurti ad Moen, 1665. f.* prodierunt. Abstulit hunc egregium virum annus millesimus sexagesimus vicesimus sextus.

2. In Germania interim Rudolphus II. anno CIƆ IƆC XII. successorem habuerat Matthiam: hunc sequutus fuit CIƆ IƆC XIX. Ferdinandus II. Imp. A. qui fasces imperii tenuit usque ad annum CIƆ IƆC XXXVII. Quibus Imperatoribus vixit Melchior Adamus, Grotkovia-Silesius, Heidelbergensis pædogagii rector, qui ex instituto *vitas resque virorum eruditorum*, & in iis etiam *Philosophorum in Germania gestas, qui ab anno CIƆ IƆ usque ad annum CIƆ IƆC XVIII. vitam pertingerunt*, in litteras misit. Et primo quidem anno CIƆ IƆC XV. ex ejus manibus prodierunt

dierunt *vita tam philosophorum*, (hos autem ſpeciatim deſcriptos adhuc nemo dedit) quam *Oratorum*, *Poetarum* & *Hiſtoricorum*; quas anno CIↃ IↃC XIX. *vita Theologorum*, annoque XX. *jure conſultorum & Medicorum* ſequebantur. *Omnes* uno demum volumine conjunctim luci publicæ expoſitæ fuerunt *Francofurti anno 1705*. in f. Adhæc anno 1618. viginti exterorum Theologorum vitas perſcriptas edere promiſerat, ſed periit opus cum auctore, qui deceſſit anno CIↃ IↃC XXII. Circa iſtas autem vitas Adami notandum, quod rarus nimis fuerit in ſcriptis eruditorum ſuorum adducendis, in elogiis ſemper nimius, in Lutheranos ſæpe injurius. Plura de his vide apud Struvium in Introduct. pag. 324. Hunc in tradendis philoſophorum vitis ætatis noſtræ ſequutus eſt poſtea Wittenius. Fuerunt interim homonymi noſtro, de quibus autem nos inſtruit Mollerus in homonymoſcopia, quibus addimus ad huc Tobiam Adamum, Thomæ Campanellæ æqualem & amicum.

3. Ante Melch. Adamum exceſſerat anno CIↃ IↃC XX. Michael Piccartus, clarus iſtius temporis moralium & Theologiæ in Altorfina profeſſor, qui locum inter eos meruit auctores, qui de lectione philoſophorum eorumque libris egerunt. Edidit etenim *Iſagogen in Lectionem Ariſtotelis*, quæ poſtmodum cum epiſtola Conringiana, & præmiſſa *diſſertatione de natura, origine & progreſſu philoſophia Ariſtotelica*, additis notis & obſervationibus de uſu hujus libri in Theologia, curante Joh. Conr. Durrio prodiit anno 1665. *Speciales* autem *introductiones in Politicorum Ariſtotelis libros* poſtea dederunt idem Conringius, & hujus exemplo, *in ejus Ethicam* Rachelius.

4. Circa eadem tempora floruit Bremæ Johann. Neander, Medicus & Philoſophus, qui *Medicina natales*, (quos ex philoſophia res Medica habet) *ſectas, & earum placita, ejus catacrypſes ac inſtauratores, & ad hac noſtra uſque tempora propagatores, cum hiſtoriis eorum, vitis & ſcriptis* conlegit, *ibidem anno 1623. 4.* ſed is Labbeo ſe non probavit, confer B. B.

5. Et in Academia Giſſenſi innoteſcebat Scheiblerus, primo Marpurgenſis, dein Gieſſenſis Profeſſor, tum Superintendens Dortmundenſis, qui libellum *de vera Philoſophia & vita philoſophica* edebat *ibidem 1626*, in quo non pauca veterum placita explicavit, adque ad hodiernam philoſophandi rationem accommodavit.

6. Item Andreas Rivinus, alias Bachmannus, Medicus Doctor, &

& circa id temporis Nordhusæ rector, celeberrimi J. G. Grævii præceptor, *Comparationem Aristotelis cum Platone ibidem* vulgabat anno *1629*, Fuit hic pater filiorum trium, magni nominis virorum. Confer Lex. Litter.

7. Ultimis hujus Imperatoris temporibus obiit Melchior Goldastus, nobilis Helvetus e S. Galli fano, Sioppii discipulus, JCtus & Historicus, qui subsidii aliquid adtulit historiæ *præliminari epistola* illa, quam *de Criptica*, id est, *occulta veterum philosophorum doctrina, doctissimi & celeberrimi Mediolanensis illius, Octavii Ferrarii de sermonibus exotericis libello* præmisit, edito primo *Venetiis 1574. 4.* postea cum dicta epistola ex cura ejus *recuso Francofurti anno 1606.* sub titulo: *Clavis Philosophiæ Peripateticæ*; cui etiam altera Ferrarii de disciplina ἐγκυκλίῳ dissertatio addita est, multa similis argumenti continens. Cum qua confer si volupe est, Joh. Conr. Durrii, in Altorfina quondam professoris, elegantem *de recondita veterum sapientia in poetis dissertationem*, in qua ostendit, quantum ex antiquis poetis historia philosophica augeri atque exornari possit. Consule de hoc Henr. Boeclerum & Georg. Sabinum in Metamorphosin Ovidianam, cujus liber Lipsiæ prodiit 1699. 8.

CAPUT XXVIII.

1. Dan. Heinsius de Socrate, philosophia Stoica & Epicteto. 2. J. B. van Helmont de vita propria. 3. H. Grotius, morum doctrinæ restitutor profuit. 4. G. J. Vossius libros plurimos utiles nobis & necessarios dedit. Homonymi. 5. J. Golius, & 6. Hottingerus libros nonnullos historiæ philosophorum Arabum enarrarunt. 7. Dessellus Bibliothecam Belgicam, 8. Swertius Athenas Belgicas dederunt. 9. Abr. Rogerus de modernis Brachmanibus. 10. Hornius hist. philos. dedit. 11. M. Warnewicus de philosophis popularibus. 12. Listorpius de vita Cartesii. Chaunutus de eadem. 13. Boxhornius de Druidis nonnihil congessit; plura de Druidis forte scriptores

ptores Gallorum antiquitatum. 14. Judicia de Cartesio. 15. Andr. Tacquetus. 16. J. J. Chiffletius de Socrate. 17. Queuedus Apologiam pro Epicuro condidit. 18. Navarreta de placitis Confutii. 19. Jo. Caselius suo loco præteritus inseritur. 20. L. Holstenius de historia nostra bene meritus est, & 21. C. Barthius forte etiam profuisset. 22. De doctrina veterum Germanorum, Celtarum, &c. 23. A. Franckenbergerus vitam I. Bœhmii, & 24. T. Tseschenius pro Bœhmio Apologiam tradidit. 25. M. Vogelius de vita Junii.

I.

IN Germanorum imperio patri succedebat filius, hoc est, Ferdinando II. Ferdinandus III. anno videlicet, quo ille ad meliorem vitam migraverat CIↃ IↃ C XXXVII. Hujus ætas iterum quamplurimos litterarum tulit heroes, qui seculi superioris & hujus ineuntis exemplis & speciminibus excitati, non solum in historiam philosophicam, sed in ipsam quoque cultiorem philosophiam majori animi impetu incubuerunt. Nos hoc capite primum Belgas & Hispanos, deinde Germanos, tum Danos nonnullos complectemur.

In Belgio annum millesimum sexcentesimum quadragesimum morte sua tum funestum faciebat Daniel Heinsius, Nicolai filius, Polyhistor egregius, qui inter varii generis orationes, quas in prælectionum suarum auspiciis habere solitus est, nonnullas etiam dedit, quas ad historiam nostram conducere arbitramur. In iis legitur una pag. 243. cui nomen: *Socrates*, in qua excellentis hujus philosophi vitam, doctrinam & mores delineavit; in altera quadam *philosophiam Stoicam* inlustravit; in alia iterum, quæ pag. 293. continetur, imaginem consuetudinis & vitæ *Epicteti* expressit. Epictetum autem ceu virum sapientissimum depinxit; de quo philosopho nonnihil etiam Jonsius supra monuit Cap. VII, 4. Omnes *Heinsii orationes* uno volumine semel, iterumque prodierunt anno 1615, 1620, 8. & ultima vice ni fallor, *Amstelodami 1657*.

2. Enituit his etiam temporibus Joh. Baptista Helmontius, nobili genere Bruxellis ortus anno CIↃ IↃ LXXVII. Theologus, Medicus & Philo-

Philosophus acutissimus, seculi sui vere Paracelsus, (uti adpellat ipsum excellentissimus Wedelius in quodam programmate) qui præter multos libros doctissimos, quibus secretiori præsertim philosophiæ sua dedit incrementa, peculiarem quoque de vita propria condidit, qui *Tumulus testis* inscribitur, & in operum ejus sacrorum Parte II. fol. 146. reperitur. Quantus cætera vir fuit, pluribus Arnoldus in Historiæ Eccles. suæ Parte III. cap. 8. f. 72. & seqq. exposuit. A patre autem distinguendus filius, Franciscus Mercurius, Liber Baro van Helmont, qui in plerisque patrem sequutus est, & primus illud Pythagoræ de Metempsychosi placitum revocavit. Idem primus patris sui opera, quorum conlectionem atque editionem ipsi paullo ante mortem commendaverat, edere cœpit Amstelodami 1652, quem postea plures editores sequuti sunt, de quibus confer laudatum Arnoldum, citato loco, folio 74. Desiit J. B. Helmontius CIϽ IϽ CLIV. Huic in altera vita succedebat anno sequenti

3. Hugo Grotius, totius doctrinæ moralis hoc tempore vindex, qui dignus, ut hoc loco inter nostros commendetur auctores, propter eruditissimas *observationes suas*, quas dogmatibus illis moralibus adjecit, quorum fragmenta Stobæus ex cultiori antiquitate conlegit in Eclogis, cujus editio Parisiis prodiit 1623. Cum qua confer illam, quæ curante Conr. Gesnero vulgata fuit Francofurti anno 1581. & quæ Lugduni lucem postea vidit 1608. Vita Grotii descripta est in Ludovici Huberi Memoires pour servir a l'Histoire d'Hollande & des aûtres provinces unies, cui addenda illa, quam anonymus Tomo VII. Observ. Hallens. loco observationis decimæ inseruit; cum quibus junge, quæ Monsieur Clerc habet in sua bibliotheca selecta Tomo V. p. 304.

4. Inter ejusdem ætatis lumina referendus etiam Gerhardus Vossius, sive Gerhardus Johannes Vossius, Joannis filius, Palatinus patria, scholarum inlustrium, Lugduno-Batavæ & Amstelodamensis Professor quondam longe celeberrimus, qui, licet non professione philosophus fuerit, tot tamen & tantæ utilitatis libros nobis dedit, ut ejus merita pauci adsequantur. Quantæ enim in Historicorum Græcorum & Latinorum cognitione tenebræ per eum dispulsæ sunt doctissimis libris de Historicis Græcis itemque Latinis? ut jure doleamus, non absolutum ab eo fuisse laborem similem, qui poetas Græcos & Latinos variis tenebris & difficultatibus itidem liberare conabatur: quo imperfecto labore tantisper fruimur, dum a felici aliquo ingenio is perficiatur. Supplementa autem & obser-

observationes ad Vossium de Historicis Græcis & Latinis dedit longe celeberrimus Fabricius, Hamburgi 1709, 8. in quibus continentur Johan. a Mallincrot paralipomena de Historicis Græcis; Ludovici Novarolæ commentatio de viris inlustribus, genere Italis, qui græce scripserunt; Christoph. Sandii notæ & animadversiones in Vossii libros III. de Historicis Latinis, itemque Joh. Hallervordii de Historicis Latinis spicilegium. Rhetores & Sophistas quoque ab eo expositas habemus in libro de Rhetoricæ natura & constitutione. Mathematicos, Geometras, Arithmeticos, Astronomos, Musicos, Geographos, Chronologicos, Mechanicos, summa cura studioque post Hug. Sempilium & Andr. Stiborium, libro de universæ Matheseos natura & constitutione tradidit, quos a primis temporibus usque ad sua perduxit, hoc est, usque ad annum L. circiter. Medicorum historiam ab eo fuisse elaboratam intelligimus ex ejus posthumo *de philosophia* libro: cujus cap. 29. de Jureconsultis se quoque egisse significavit. Idem liber *de philosophia & philosophorum sectis* historiæ nostræ præ cæteris prodest, si ordine præsertim in historia philosophica versari velimus. In hoc enim argumento *nemo majori cura* Morhofio judice, Polyh. II. 1. 1. 4. *accessit ad omnem philosophiam, & ejus historiam, tum qua historiam, tum qua dogmata e fontibus & incunabulis suis arcessenda;* id saltem est dolendum, quod non absolverit hunc libellum, sicuti cœperat. Edidit eumdem filius quidem, sed *adfectum potius, quam effectum*, eodem judice, *Hagæ Comitum* 1657. 4. Recusus postea fuit seorsim *cum supplementis Joh. Jacobi a Ryssel*, Lipsiensis, anno 1690. in 4. sed qui peritis æque non satisfecit. Pleniorem vero de barbarorum quidem philosophia notitiam dedit in elegantissimo suo de *Theologia gentili & Physiologia Christiana, sive de origine & progressu idololatriæ* opere, quod ex variis variarum religionum & scientiarum scriptis, summa diligentia, & eruditione prorsus singulari congessit, cujus editionem secundam pleniorem impressam quoque habemus Francof. 1668. 4. Tandem aliquot libros de scientiarum omnium natura, usu & scriptoribus præcipuis edidit, eosque jam citavit libello de studiorum ratione, folio 18. & de Glossem. fol. 112. Opera Vossii omnia conjunctim Tomis VI. prodierunt Amstelod. 1701. f. Ereptus est vir eruditissimus magno cum gemitu reipublicæ litterariæ anno CIↃ IↃ CL. Fuerunt autem Vossio nostro homonymi clari plures, quos cave confundas. Fuerunt ejus filii, Isaacus Vossius, & Matthæus Vossius, hujusque filius, Gerhardus Vossius, junior.

Junior. Gerhardus Vossius, ab utroque, & avo & nepote distinguendus, fuit Borchlonius Eburo, Doctor Theologus, Protonotarius Apostolicus & præpositus Tongrensis, qui Ephremi Syri, Gregorii Thaumaturgi, aliorumque patrum operibus clarus decessit Romæ anno cIↃ IↃ IX. Hos etiam Mollerus sæpius laudatus in Homonymoscopia & Lexicon litter. laudant, quibus addimus adhuc Andr. Vossium, Bergensem in Norvvegia Episcopum, qui ob insignem Astronomiæ peritiam a Chr. Longomontano commendatur apud Gassendum lib. V. de vita Tych. Brahei, pag. 173.

5. Neque non clarus tum fuit inter Philologos Jacobus Golius, orientalis litteraturæ, Arabicæ præsertim intelligentissimus, qui in ipsas, ut pleniorem linguæ Arabum cognitionem sibi compararet, barbarorum terras profectus, atque in Europam exinde reversus, *eorum librorum, quos ex Oriente in Bibliothecam Leydensem publicam transposuit, catalogum* nobis dedit primo *Parisiis 1630, 4.* postea *cum titulis Arabice impressis Lugduni 1640, 4.* cujus operis ergo eum hoc loco commemoravimus. In hoc enim catalogo inter alios libros nonnullorum meminit, qui ad institutum nostrum pertinerent. Sunt isti 1. *Bibliotheca Arabica Nureiri* cujusdam, *qua variam Arabum doctrinam & historiam continent.* 2. *Aben Asebbii, de vita virorum doctorum, qui stante Arabum imperio excelluerunt.* 3. *Aben Albali de vitis philosophorum, una cum parte septima Bibliothecæ Arabicæ ab Aben Nodir conscripta, in qua continentur vitæ & catalogi librorum philosophicorum, Mathematicorum, vel aliorum artificum, qui ad quadringentesimum a Muhammede annum floruerunt.*

6. Cui proxime jungendus ex Helvetis, (qui floruit paullo post) Joh. Henricus Hottingerus, Orientalium litterarum pariter doctissimus, qui simile quid ad historiam litterariam philosophorum Arabum adtulit in Bibliothecario suo, cujus pars maxima circa Arabes occupatur. Is capite secundo, ubi de bibliothecis Orientis agit, eruditos docet, *Iben-Casta Arabum sapientum & philosophorum, atque Mathematicorum historiam nobis composuisse; de philosophorum Arabum vero libris instruere Bibliothecam Arabicam ab Abiphergio conlectam, in qua Catalogus exhibetur librorum philosophicorum, Mathematicorum & Medicorum, qui primis CCCC. annis Hegiræ compositi, vel versi fuissent.* Idem *specimen* edidit *historiæ philosophicæ* non adeo spernendum. Cum istis Arabum mo-

monimentis conjungi possunt Gust. Peringerus in historia linguæ & eruditionis Arabum, Vpsaliæ habita, nec non I. Petr. Ludovici Halens. de historia rationalis philosophiæ apud Arabes & Turcas, item Sam. Schelguigius in Oratione Inaugur. de philosophia Turcica, Dantisci 1686, 4.

7. Post hos Andreas Valerius Desselius, sive Taxandrus patria, JCtus, & sacrarum apud Grudios litterarum professor, *Bibliothecam Belgicam* emisit *Louanii* anno 1643, 8. in qua alphabetico ordine Belgas, vita scriptisque inlustres, secundum prænomina enarravit, eorumque vitas breviter recensuit, & adcuratum optimorum scriptorum catalogum adduxit; sed dolendum, quod partium sive sectarum studiis nimium deditus protestantium auctorum plurimos silentio prætermiserit. Prodiit altera ejusdem editio ibidem 1643, 4. Ad hæc catalogum dedit clarorum in Hispania virorum.

8. Inter eruditos Belgas reponi quoque voluit Franciscus Svvertius, Antvverpianus mercator, quia ipse de claris popularibus suis meritus est, & Desselium in isto studio sequutus, *Athenas Belgicas* edidit, hoc est, *Nomenclatorem inferioris Germaniæ scriptorum, qui disciplinas philosophicas, Theologicas, Juridicas, Medicas & Musicas inlustrarunt*; sed majorem sui libri partem ex bibliotheca Desseliana congessit, de qua re ipse jam conquestus est Andr. Valerius. Petrus Halloix, e societate Jesu frater, Leodii defunctus anno CIↃ IↃ C LV. vitam Origenis perscripsit. Libri titulus est: *Defensio vitæ Origenis & dogmatum ejus, Leodii 1648, f.* in qua forte aliquid etiam de philosophia ejus monuerit; fuit enim Theologus & philosophus, uti supra vidimus. Et ante ipsum seculo superiori Apologiam pro Origene scripserat Jac. Merlinus, Lemovicensis, qui ejus etiam Opera edidit.

9. Abrahamus Rogerus, sive Rogerius, patria sua lingua *de modernorum Brachmanum* (ita suos Indi philosophos dicunt) *philosophia & religione*, libellum, uti lectu jucundissimum, ita ad historiam nostram utilissimum dedit; quippe ab anno CIↃ IↃ C XXX. per decennium usque in littoribus Indiæ Coromandelensibus ecclesiastis officio functus, & cum ipsis adeo Brachmanibus versatus, omnium optime de hoc argumento nos instruere potuit. Obiit postea Goudæ anno CIↃ IↃ C XLIX. Ex hoc libro intelligimus Indos adhuc etiam Pythagoricæ doctrinæ deditos esse, & *μετεμψύχωσιν* credere firmissime. Prodiit hæc

editio Belgica curante A. W. & notis doctis instructa Amstelod. 1651, 8. Conf. de hoc libro præter Morhof. Conringium in Antiquit. Academic. supplem. V. p. 214. Convertit librum postea in sermonem Germanicum Christoph. Arnoldi, eloquentiæ & Græcæ linguæ professor & Norimbergensis Ecclesiastes, sub titulo: *Offene Thür zu dem verborgenen Heydenthum*, cui adjunxit parallelismum cæterarum gentium Orientalium in religione ac philosophia, cujus titulum fecit: *Asiatisches, Africanisches und Americanisches Heydenthum*, qui junctim prodiere Norimb. 1665, 8. In hoc omnia, quæ tum ad idololatriam, tum ad Indorum & ejusmodi gentium philosophiam spectant, uno velut intuitu elegantissime exposuit. De hodiernis Brachmanibus (dicunt eos etiam Brammes) exstat quoque Jo. Mareschallii epistola in Memoriis Trevoltianis Tomo I. pag. 401.

10. Circa id floruit Georgius Hornius, professor primum Hardervicenus, postea Leidensis, qui juvenis adhuc periculum sui fecerat, atque specimen dederat *historia philosphica libris VII*, quod Lugd. Batav. prodiit 1655, 4. de qua vero auctor ipse in præfatione scribit: *Historiam philosophicam, quam nunc tibi exhibeo B. L. cum adhuc in rudimentis illis studia mea occuparentur, admodum juvenis, id est, viginti annorum composui. Quominus mirum videri debet; si neque argumenti ubertatem exhauserim, neque adcuratione, quam res ipsa requirit, cuncta pertractaverim*, & sic pluribus. Ut ita judicio ipsius auctoris curioso historiæ philosophicæ scrutatori non sufficiat. Id sentiunt etiam Jac. Thomasius in diss. de Doctor. Schol. §. 15. Thom. Crenius P. III. Animadv. Philol. & Hist. C. IV. p. 178. seq. item C. S. Schurtzfleischius in judiciis de noviss. civil. prudent. script. n. 12.

11. Et Marcus Warnevvicus, Gandavensis, *libros XXVIII. de philosophis popularibus* condidisse perhibetur, sed qui lucem publicam si fides habenda Labbeo B. B. non viderunt.

12. Eo tempore Daniel Listorpius specimina philosophiæ Cartesianæ Lugd. Bat. edebat anno 1653, 4. in quibus etiam *Cartesii vitam* descriptam tradidit.

Cartesii quoque *vitam* exarasse Chanutum, Galliarum Regis apud Suecos legatum, testatur Morhofius Polyh. lib. I, c. 25. p. 316. quæ tamen forte adhuc in Manuscripto latet: nulli enim videre contigit.

13. Post

13. Post quos non debita sua laude fraudandus inter historicos Marcus Zuerius Boxhornius, magnus eruditione & fama vir, qui *Origines Gallicas*, seu *Gallorum gentis origenes, mores, linguam, & Lexicon Britannico-Latinum* post mortem suam reliquit, Amstelodami impressum 1654, 4. cujus in libri fine nonnullas veterum quoque Druidum reliquias conservavit. Licet alias non adeo magna antiquitatis Gallicæ peritia ex eodem eluceat. Erant isti Druides, non solum Celtarum philosophi, sed eorum etiam Medici & sacerdotes, pari cum Chaldæis, Ægyptiis & Magis ætate, si non majores, ut Postellus monet lib. de Etrur. Origg. p. 233. qui in toto Occidente secretiora sua collegia habebant. Cujus generis nonnulla forte legerunt etiam alii, qui de vetustis Gallorum originibus egerunt, e quorum numero potissimum nominandi: Anton. Gosselinus, qui historiam veterum Gallorum Cadomi dedit 1636, 8. propter quam non minimam nominis famam adeptus est, confer Baelium in Dict. H. Tom. II. p. m. 1363. cui tamen uti ætate, ita eruditione nonnulli quidam præferunt Claudium Fauchetum, qui magna diligentia edidit Antiquités Gauloises, contenant les choses advenuës en Gaule, jusqu' a la venuë des François, Parisiis 1610, 4. (& sequenti anno Genevæ recusus) sed stylo injucundo adeo, ut etiam Rex Ludovicus XIII. hoc libro lecto, reliqua Faucheti nauseare cœperit. vide eumdem pag. 1123. plures antiquitatum scriptores laudantur in Catalogue des principaux Historiens, avec des Remarques Critiques, & cætera, revuë & augmenté par J. B. Mencke, à Leipzic, 1714. adjecto libro: Methode pour étudier l'histoire, & cætera. ibid. p. 183. Dedit etiam Boxhornius elogia virorum illustrium, & cætera.

14. Ad meliorem historiæ philosophicæ notitiam faciunt etiam auctores, qui judicia eruditorum de tota aliqua secta, vel illius conditore, aut præcipuis ejusdem doctoribus collegerunt. Ejusmodi *Judicia* viri docti per id ævi spatium in Academia Lovaniensi *de philosophia Cartesiana* in lucem edebant. Simile quid fere præstitit in Eponymologico suo Critico Tobias Magirus, qui eruditorum laudes vel elogia, censuras ac nævos congessit.

15. Tum vixit etiam Andr. Tacquetus, Antverpianus, Mathematicus non ignobilis, denatus anno CIↃ IↃCLX. qui historiæ philosophicæ & speciatim mathematicæ profuit *Historica Narratione sua de ortu & progressu Matheseos.*

16. Nec

editio Belgica curante A. W. & notis doctis instructa Amstelod. 1651, 8. Conf. de hoc libro præter Morhof. Conringium in Antiquit. Academic. supplem. V. p. 214. Convertit librum postea in sermonem Germanicum Christoph. Arnoldi, eloquentiæ & Græcæ linguæ professor & Norimbergensis Ecclesiastes, sub titulo: *Offene Thür zu dem verborgenen Heydenthum*, cui adjunxit parallelismum cæterarum gentium Orientalium in religione ac philosophia, cujus titulum fecit: *Asiatisches, Africanisches und Americanisches Heydenthum*, qui junctim prodiere Norimb. 1665, 8. In hoc omnia, quæ tum ad idololatriam, tum ad Indorum & ejusmodi gentium philosophiam spectant, uno velut intuitu elegantissime exposuit. De hodiernis Brachmanibus (dicunt eos etiam Brammes) extat quoque Jo. Mareschallii epistola in Memoriis Trevoltianis Tomo I. pag. 401.

10. Circa id floruit Georgius Hornius, professor primum Hardervicenus, postea Leidensis, qui juvenis adhuc periculum sui fecerat, atque specimen dederat *historia philosophica libris VII*, quod Lugd. Batav. prodiit 1655, 4. de qua vero auctor ipse in præfatione scribit: *Historiam philosophicam, quam nunc tibi exhibeo B. L. cum adhuc in rudimentis illis studia mea occuparentur, admodum juvenis, id est, viginti annorum composui. Quominus mirum videri debet; si neque argumenti ubertatem exhauserim, neque adcuratione, quam res ipsa requirit, cuncta pertractaverim*, & sic pluribus. Ut ita judicio ipsius auctoris curioso historiæ philosophicæ scrutatori non sufficiat. Id sentiunt etiam Jac. Thomasius in diss. de Doctor. Schol. §. 15. Thom. Crenius P. III. Animadv. Philol. & Hist. C. IV. p. 178. seq. item C. S. Schurtzfleischius in judiciis de noviss. civil. prudent. script. n. 12.

11. Et Marcus Warnevvicus, Gandavensis, *libros XXVIII. de philosophia popularibus* condidisse perhibetur, sed qui lucem publicam si fides habenda Labbeo B. B. non viderunt.

12. Eo tempore Daniel Listorpius specimina philosophiæ Cartesianæ Lugd. Bat. edebat anno 1653, 4. in quibus etiam *Cartesii vitam* descriptam tradidit.

Cartesii quoque *vitam* exarasse Chaunutum, Galliarum Regis apud Suecos legatum, testatur Morhofius Polyh. lib. I, c. 25. p. 316. quæ tamen forte adhuc in Manuscripto latet: nulli enim videre contigit.

13. Post

13. Post quos non debita sua laude fraudandus inter historicos Marcus Zuerius Boxhornius, magnus eruditione & fama vir, qui *Origenes Gallicas*, seu *Gallorum gentis origenes, mores, linguam, & Lexicon Britannico-Latinum* post mortem suam reliquit, Amstelodami impressum 1654, 4. cujus in libri fine nonnullas veterum quoque Druidum reliquias conservavit. Licet alias non adeo magna antiquitatis Gallicæ peritia ex eodem eluceat. Erant isti Druides, non solum Celtarum philosophi, sed eorum etiam Medici & sacerdotes, pari cum Chaldæis, Ægyptiis & Magis ætate, si non majores, ut Postellus monet lib. de Etrur. Origg. p. 233. qui in toto Occidente secretiora sua collegia habebant. Cujus generis nonnulla forte legerunt etiam alii, qui de vetustis Gallorum originibus egerunt, e quorum numero potissimum nominandi: Anton. Gossellinus, qui historiam veterum Gallorum Cadomi dedit 1636, 8. propter quam non minimam nominis famam adeptus est, confer Baelium in Dict. H. Tom. II. p. m. 1363. cui tamen uti ætate, ita eruditione nonnulli quidam præferunt Claudium Faucherum, qui magna diligentia edidit Antiquités Gauloises, contenant les choses advenuës en Gaule, jusqu' a la venuë des François, Parisiis 1610, 4. (& sequenti anno Genevæ recusus) sed stylo injucundo adeo, ut etiam Rex Ludovicus XIII. hoc libro lecto, reliqua Faucheti nauseare cœperit. vide eumdem pag. 1123. plures antiquitatum scriptores laudantur in Catalogue des principaux Historiens, avec des Remarques Critiques, & cætera, revuë & augmenté par J. B. Mencke, à Leipzic, 1714. adjecto libro: Methode pour étudier l'histoire, & cætera. ibid. p. 183. Dedit etiam Boxhornius elogia virorum inlustrium, & cætera.

14. Ad meliorem historiæ philosophicæ notitiam faciunt etiam auctores, qui judicia eruditorum de tota aliqua secta, vel illius conditore, aut præcipuis ejusdem doctoribus conlegerunt. Ejusmodi *Judicia* viri docti per id ævi spatium in Academia Lovaniensi *de philosophia Cartesiana* in lucem edebant. Simile quid fere præstitit in Eponymologico suo Critico Tobias Magirus, qui eruditorum laudes vel elogia, censuras ac nævos congessit.

15. Tum vixit etiam Andr. Tacquetus, Antvverpianus, Mathematicus non ignobilis, denatus anno CIↃ IↃCLX. qui historiæ philosophicæ & speciatim mathematicæ profuit *Historica Narratione sua de ortu & progressu Matheseos.*

16. Nec

16. Nec ornamento minori tum patriæ fuit suæ Joh. Jac. Chiffletius, eques & polyhistor doctissimus, & Philippi IV. Catholici Regis Archiatrus, qui libellum dedit, qui *Socrates* inscribitur, *Antwerpiæ 1662, 4.* in quo de gemmis potissimum & imagine cœlatis Socratis egit; cujus philosophi imaginem quoque Muretus in annulo gestavit, Lipsio teste in dialogo de pronunciatione linguæ Latinæ cap. 2.

17. Eodem Philippo IV, Rege, (ad quod fastigium pervenerat anno CIↃ IↃ C XXI.) Dominicus Franciscus Queuedus, poeta non exigui nominis inter Hispanos floruit, qui *Apologiam pro Epicuro* sermone patrio anno CIↃ IↃ C XXX. concinnasse celeberrimo Gundlingio memoratur in Programmate quodam anno CIↃ IↃ CCIV. publicato, quo collegium in Hobbii librum de cive aperuit. Confer Ackerum in Supplem. B. Philos. pag. 19. in eodem programmate laudantur adhuc duo, qui aut de secta Epicuri, aut pro Epicuro Apologiam scripserunt, quorum P. Gassendus meminit in lib. de vita & moribus Epicuri, pag. 136. Sunt hi: M. Ant. Bonciarius, Andr. Arnaudus, de his autem suis locis. Alius fuit Ant. de Queuedo, confer supra cit. Lex.

18. Ætatis ejusdem Philippi, ut & Caroli II. Regis (hunc enim Philippus successorem habuit anno CIↃ IↃ C LXV.) æqualis fuit etiam Dominicus Ferdinandus Navarreta, qui missionarii munere in China functus est, & *Itinerarium Chinense*, librum inventu difficillimum, variis tractatibus comprehensum edidit Hispanice 1676. *in folio*, cujus in *Parte III. dogmata Confutii*, philosophorum Chinensium principis & quasi Dei, ex ipsis Chinensium monimentis & libris, summa diligentia studioque persequutus est. Huic fuerunt etiam homonymi, confer Lexica.

19. Juxta Belgas atque Hispanos historiam nostram excoluerunt etiam Germani. Hos inter suo præteritus loco referatur adhuc de re publica litteraria optime circa initium seculi meritus Johannes Caselius, qui res historicas iuuit *litteris suis ad Arnisaeum* datis *de Medica arte præstantibus, studiis etiam sapientia claris, & aliis ingenii dotibus præditis seculi XVI. viris*, quæ prima vice impressæ fuerunt anno 1610. Has autem doctissimus Jac. Burckhardus schediasmati suo de Medicis humanioribus litteris claris inseruit. Prodiit hoc sub titulo: *Medicus humanitatis studiorum vindex*, Guelferbyti 1716, 8. plag. 12. Confer

Acta

Acta Erud. Germ. Part. XXXIX. p. 196. Scripsit etiam notas elegantissimas in Cebetis tabulas.

20. Per hæc autem tempora in pretio fuit Romæ (ubi Vaticanæ Bibliothecæ præfectus erat) Lucas Holstenius, Hamburgensis, vir elegantissime doctus, qui in Antiquitatem Græcam & speciatim Pythagoricam incubuit ita, ut etiam de historia nostra bene mereri voluerit editis variis monimentis. Edidit is *Porphyrium* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, *de abstinentia a necandis & comedendis animalibus*, quod scilicet prolixe defendit commendatque integris libris IV. (de quibus confer Fabricium B. Gr. lib. IV. c. 27. p. 184. & Ant. Guntheri disp. de abstinentia carnium Pythagorica) Libros item *de antro Nympharum* & *de Pythagoræ vita*, quæ apud Photium Cod. CCLX. exstat, quamque Latina donavit interpretatione notisque instruxit, quæ prodiit Romæ 1630, 8. & antea prima vice Altorfi, 1610, 8. cum notis Conr. Rittershusii. Quæ Holstenii editio denuo excusa fuit Cantabrigiæ 1655, 8. In hanc varia notatu digna ad vitam Pythagoræ conduxit. Quod argumentum eo exquisitius pertractare potuisset, si vita Jamblichi, teste Scheffero, in de natura & constit. philos. Italicæ libello, pag. 5. ad nos pervenisset, quam toties Holstenius in scriptis suis promisit. Ad hæc primus etiam philosophorum veterum Demophili, Democratis, & Secundi sententias morales Græce & Latine juxta exemplar Romæ impressum dedit Lugd. Bat. 1639, 12. ex officina Joh. Maire cum nonnullis animadversionibus, in quibus textus emendatur.

21. Aliquem forte locum inter nostros sibi vendicasset scriptis eo tempore meritisque in rem publicam litterariam insignis, Caspar Barthius, eques Marchicus, si ejus *de scriptoribus dubiis commentarius*, passim in opere adversariorum adlegatus, ad nos pervenisset: quippe in elegantiori veterum litteratura versatus adeo fuit, ut exinde historiam homonymorum scriptorum philosophorum & aliorum ethnicorum, pariter & ecclesiasticorum hoc opere mirum in modum inlustrare potuisset. Sed forte periit post ejus obitum, qui accidit anno CIↃ IↃ CLIX. cujus libri jacturam merito cum laudato Mollero dolemus, qui pluribus de hoc agit in Homonymoscopia sua, p. 107. seqq.

22. Tum quoque floruit Elias Schedius, origine Bohemus, qui de veterum philosophia nonnulla congessit in *Syntagma* suum, quod *Li-*

bris IV. de diis Germanis, seu de veterum Germanorum, Gallorum, Britannorum, & Vandalorum religione comprehensum dedit *Amstelodami 1648, 8.* est liber non ubivis obvius. De studiis veterum Germanorum speciatim tractavit in Dissertatione VI. Germaniæ Mediæ suæ Paul. Hachenbergius, professor quondam Heidelbergensis.

23. Hac ætate vixit in Silesia Abraham. Franckenbergerus, nobili ortus genere, qui inter alia, memoriam magistri sui, *Jacobi Bœhmii*, propagare studuit prodendo posteris ejus vitam, in qua non solum historiam vitæ hujus Theosophi, seu philosophi Teutonici, (uti ipse adpellari voluit) a primis ejus annis, verum quoque tempus & occasionem scriptorum diligenter enarravit, quæ postmodum volumini primo operum Bœhmii præfixa fuit. Hæc ultima vice Amstelodami 1682. variis voluminibus in 8 prodierunt sub hoc titulo universali: *Des Gottseligen Hocherleuchteten Jacob Bœhmens Schrifften, emendiret aus des Autoris eigenem Original,* & cætera. Sunt in varias etiam linguas traducta. Bœhmius enim multos condidit libros, sed tenebrosos & reconditos, ex Chymia, Cabbala, Astronomia & Theologia congestos. De quibus plura legi possunt apud Morhofium, Poiretum, Hornbeckium *in* Summa Controversiarum, Thomasium, Struvium in Introductione, qui ejus scripta legerunt, & inprimis apud Arnoldum in Historia Theologiæ Mysticæ & in H. Eccles. Etiam Franckenbergerus librum exaravit, cujus titulus: *Sapientia Veterum,* in quo fœderis antiqui doctrinam multis scripturæ dictis & exemplis non solum sapientum, in isto fœdere jam memoratorum, sed gentilium quoque philosophorum, puta Zoroastris, Hermetis, Pythagoræ, Platonis & aliorum testimoniis & admonitionibus optimis probat atque inlustrat. Gentilibus autem istis philosophis talia tantum affingit, nam ex eorum fontibus tam pura & sancta, quæ cum divina ista sapientia conveniunt, hauriri nequaquam potuissent. Est liber lectu non injucundus, & majori luce expositus, quam cæteri, quos Franckenbergerus edidit.

24. Huic sociandus alter Bœhmii admirator, Theodorus Tseschenius; (sive von Tseschen) qui *Apologiam pro magistro* suo edidit *contra Davidem Gilbertum*, qui primus omnium contra hunc Theosophum scripserat. Invenerat enim adversarios J. Bœhmius, eosque graves, contra quos ipse etiam pro dogmatibus suis varias Apologias facere coactus est, quæ in ejus scriptis continentur.

25. Ham-

25. Hamburgi florebat eo tempore Martinus Vogelius, philosophus & Medicus D. ob insignem linguarum peritiam *Phœnix* dictus *Hamburgensis*, qui in *historia vita mortisque Joachimi Jungii* describenda operam studiumque conlocavit, quæ prodiit Argentorati 1653, 4. Fuit hic celeberrimus apud Hamburgenses quondam Rector, Philosophus, Medicus, Physicus & Mathematicus, cujus in ejuscemodi studiis inventa varia laudantur. Idem in emendanda philosophia Aristotelis eo tempore laboravit. Natus erat anno CIƆ IƆ LII. & denatus CIƆ IƆ C XXX VII. Voglerus etiam libri *de Physicis Italicis* spem fecerat Morhofio, (confer Polyh. II, 2, 1. 13.) sed huic, uti & aliis scriptis utilissimis superesse non licuit.

CAPUT XXIX.

1. P. Gaudentius varios ad historiam philosophicam libros dedit utiles. 2. I. B. Silvester de Thoma Aquinate. 3. F. Licetus de pietate Aristotelis; contra quem 4. V. Magnus de atheismo Aristotelis, & Chr. Schottanus. 5. I. Chr. Magnenus de Democrito. 6. Th. Campanella de vita propria. 7. Andr. Chioccus de philosophis Veronensibus. 8. A. Kircherus subsidia ad historiam Ægypt. adtulit. item L. Pignorius & alii. 9. L. Allatius nonnullis in hoc studio libris clarus. 10. Neoph. Rhodinus de philosophis Cypriis. 11. Fr. Bernius de Pythagoræ placitis.

I.

Lustravimus eos, qui tempore Ferdinandi III. in Belgio, Hispania & Germania nati, historiæ philosophicæ profuerunt; nunc notabimus nonnullos etiam Italicorum celeberrimos philosophos & litteratos, qui eodem imperium moderante, res adauxerunt historicas.

Eodem tractu temporum nituit Paganinus Gaudentius, eloquentiæ primum, post historiarum & politices professor in Academia Pisana, Theologus idem & Jure Consultus celeberrimus, defunctus anno CIↃ IↃ C XLIX. qui philosophiæ & philosophorum historiam monimentis editis plurimis juvit. Sunt hæc ejus *Dogmatum Origenis cum philosophia Platonis comparatio*; ejus *de Pythagorica animarum transmigratione dissertatio*, quæ *Pisis* prodiit *1641, 4.* de qua potissimum confer Morhof. Polyh. II, 1. 2. 9. *De errore sectariorum & philosophicis veteris ecclesiæ patrum opinionibus*, ibid. *1644. f. de veterum contemptu Aristoteleo*; *de Juliani Imperatoris philosophia.* Inprimis autem commendandus ex operibus ejus *de philosophia apud Romanos origine ac progressu libellus* rarissimus, qui prodiit *Pisis 1643, 4.* cujus excerptum dedit Tomus III. observationum selectarum, qui Halæ impressus habetur anno 1703. In hoc auctor recensionis excerptum in partes divisit duas, quarum primam a pag. 235. usque ad 260. perducit, in eademque historiam philosophiæ a primis apud Romanos initiis usque ad tempora Antonini persequitur; in altera a pag. 296. usque ad 319. progressum philosophiæ sub Antonino & reliquis imperatoribus, usque ad irruptiones barbarorum pertexit; in in qua *multa*, laudatus inquit, *continentur, quæ ad contemplationem & considerationem rerum, dissidentes veterum sapientum scholas pertinent.* Tandem finit his verbis: *erudite profecto, perspicue ac solide rem susceptam ubivis exponit.* Quid autem de cæteris ejus scriptis Conringius judicaverit, de hoc non immerito conferendus Morhofius supra citato loco. Optat autem φιλοσοφικώτατ☉ Chr. Thomasius, ut scripta viri conjunctim ederentur, in Specimine Jurispr. Univers. p. 107. qua pagina ejus omnia tum Latina, tum Italica recenset.

2. Eodem anno, quo Gaudentius obiit, inter homines esse desiit Io. Bapt. Silvester, Academiæ Phantasticorum membrum, qui librum dedit *de sapientia Thomæ Aquinatis*, subtilissimi illius scholastici, qui seculo XIII. clarus, & propter eruditionem suam Doctor irrefragabilis, item Angelicus dictus fuit. Ejus vitam postea etiam descripsit Otto Vænius, Lugd. Batavus.

3. Celebre etiam per idem ævi spatium fuit nomen Fortunii Liceti, Genuensis, Medici & Philosophi in Patavino Lyceo ordinarii, qui inter alia multa (fuit enim polygraphus) librum *de pietate Aristotelis adversus Deum & hominem* edidit *Vtini 1645, 4.* in quo Aristoteli, cui ad super-

perstitionem usque deditus fuit, æternam adscripsit salutem; quam caussam quoque esse putat doctiss. Morhofius I, 1. 14, 51. cur Naudæus Licetum suis in epistolis cæteris ævi sui philosophis præferat, eumque laudibus pene in cœlum tollat. Alium quoque *de Allegoria Peripatetica* scriptum ediderat *Patavii 1630, 4.* in quo de imagine & sepulchro Aristotelis, quod Venetiis esse dicitur, agit, ænigma illud Elia Lelia Crispis, quod Aristotelicum adpellat, exponit. Librum de mundo Aristotelis genuinum esse rationibus, ut ipse sibi persuasit, non levibus probat. Sed licet ipse Innocentius X. librum istum non improbaret, alii tamen fuerunt, qui pro impio illum declararunt. qua in classe ponitur

4. Valerianus Magnus, Mediolanensis, qui anno 1647. peculiare scriptum *de Atheismo Aristotelis* in lucem edidit, sed ob id ni fallor, in carcerem conjectus fuit. Cui additur Christian. Schottanus, Doctor & Professor Theologus, & pastor Franequeranus, qui circa annum 1656. & postea, contra F. Licetum peculiarem quoque tractatum edidit, *de Ethnicismo Aristotelis*, qui prodiit *Franequ. 1664. 8.* quem librum Mollero notante, H. Wittenius T. I. B. B. ad annum 1644. litt. G. 5. 2. b. male Meinardo Schotano, Theologo itidem Franequerano initio, dein Vltrajectino tribuerat, qui decessit CIↃ IↃ CXLIV. Meminit & G. Paschius L. de inventis nov-antiquis, alius libelli superiori seculo ab anonymo quodam conscripti; in quo auctor octo argumenta pro æterna Aristotelis salute proposuit, quæ postea D. Mich. Waltherus in dissertatione de prætensa ethnicorum salute refutavit. Confer fasciculum rariorum ac curiosorum scriptorum Theologicorum de statu animarum post mortem, editum Francof. ad Mœn. anno 1692. Sed idem est ille liber anonymus de salute Aristotelis, cujus supra mentionem fecimus, cap. XIV, 4. vide citatam dissertationem in adlegato fasc. pag. 129. Cum his confer etiam T. VIII. Observat. Hallens. in quo itidem Observatio Xma. *de Aristotele atheo, & aperto religionis hoste* agit. Æternæ Aristotelis saluti desperat etiam M. Philagrius le Roi, scriptor Pontificius, in præfatione libri, qui ante aliquot annos lucem vidit sub titulo: Philosophiæ Radicalis Eclecticæ, de quo infra nonnihil; Platonem contra, Senecam & alios saniores ethnicos in numerum beate defunctorum recenset.

5. Laudatur etiam Joh. Chrysostomus Magnenus, Ticinensis Professor, qui *Democritum reviviscentem*, sive *de Democriti vita*

& *Philosophia* libellum scripsit, editum *Leidæ 1648*, & *Hagæ 1658*, 12.

6. Interim ex magna Græcia magnus ille philosophus, Thomas Campanella, Nolanus, exierat. Polygraphus is fuit, (quales præter veteres istos, quos supra Jonsius ex Laertio citavit lib. II, cap. 8. e recentioribus philosophis laudantur Albertus M., Raimundus Lullius, Paracelsus, Suaresius, Vasquez, Sanchez, Cardanus, Licetus,) quia tot libros composuit, ut de ipsis etiam historiæ philosophicæ cultoribus peculiarem libellum per Gabriel. Naudæum dederit, in quo non solum historiam librorum tum editorum, quam deperditorum, verum alia quoque notatu digna de vita fatisque suis enarravit. Libris constat quatuor: primus de libris propriis agit: alter de optimo genere philosophandi: tertius de recta ratione scribendi libros: ultimus varia de multis scriptoribus exhibet judicia. Edidit eumdem quoque primus Naudæus, sex tantum plagulis constantem, hoc sub titulo: *Thomæ Campanellæ de libris propriis & recta ratione studendi Syntagma ad Gabr. Naudæum, Parisiis 1642, 8.* cujus in dedicatione editor meminit, Campanellam sibi illum horis successivis in calamum dictitasse. Post dissertationibus variorum, quæ prodierunt Amstelodami 1645, 12. & tandem a Thoma Crenio, suo de Philologia Syntagmati insertus habetur Lugd. Bat. 1696, 4. Vide fasc. III. Act. litter. Struvii, confer de hoc etiam pluribus Acta Philos. Part. III. p. 545. Ad historiam nostram facit etiam Campanellæ *Apologia pro Galilæo*, in hoc scripto Naudæi omissa, quæ prodiit Francofurti 1622, 4.

7. Eodem cum Campanella tempore floruit Andreas Chioccus, vir in Græca litteratura versatus, Medicus idem, (contra quem Campanella Telesium, quem admirabatur, peculiari libro de venarum, nervorum & arteriarum origine & pulsatione defenderat,) qui nobis commendandus ob *vitas Doctorum Veronensis Collegii, qui in re medica & sapientiæ studiis excelluerunt, & vel scribendo, vel publice profitendo collegium, patriam, & bonas litteras inlustrarunt*, non ineleganter descriptas, qui liber jam prodiit *Veronæ 1623, 4.*

8. Nec ignoremus eadem ætate fuisse Athanasium Kircherum, celebrem suis operibus, quibus occultam istam & reconditam Ægyptiorum doctrinam præ cæteris, qui in eo studio hactenus versati fuerant, restituere conatus est. Edidit is *Oedypum Ægyptiacum Lib. IV.* quorum

I. Tem-

I. Templum Isiacum, II. Gymnasium Ægyptiacum, III. Classes variarum artium Ægyptiis usitatarum, IV. Theatrum Hieroglyphicum continet, qui omnes *Tomis III.* prodierunt *Romæ 1652. 1653. 1654. f.* Sed quantum in explicandis istis ruderibus suo indulserit ingenio, cuilibet apparet statim ex eo, quod Tomo II. Parte I. Class. I. Adamum tanquam omnium scientiarum oceanum depinxerit; cum tamen facile constet, plerisque scientiis & artibus, quæ vigent hodie, nec Adamo, nec aliis patriarchis opus fuisse. Ægyptiorum quidem philosophia priscis temporibus decantata fuit sic, ut optima Græcorum ingenia ad illam perdiscendam in Ægyptum frequentiora itinera susceperint, de quo Vossium consule L. de sectis, C. 11. (Exinde namque Thales Milesius, Laertio teste L. I, 43. & Pythagoras, Plutarcho notante, L. de placit. Philos. I. 3. susceptis in Ægyptum & Phœniciam itineribus, rerum naturalium scientias, Geometriam, Astrologiam & μαθήματα ad Græcos adtulerunt, uti Jamblichus in vita Pythagoræ, qui forte Thaletis discipulus fuit, L. I, c. 2. p. 9. edit. Kuster. scribit: Καὶ δὴ καὶ ὁ Θαλῆς ἀσμένως αὐτὸν προσήκατο, κ. λ. Sed mox μεταδοὺς, pergit, ὅσων ἠδύνατο μαθημάτων, τὸ γῆρας τε τὸ ἑαυτοῦ αἰτιασάμενος καὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν προετρέψατο εἰς Αἴγυπτον διαπλεῦσαι καὶ τοῖς ἐν Μέμφει καὶ Διοσπόλει μάλιστα συμβαλεῖν ἱερεῦσι, κ. λ. quod præter Pythagoram postea quoque Platonem fecisse notat Lactantius L. de sapientia vera cap. 2.) Sed uti semper obscura fuit atque ad solos restricta sacerdotes; ita ex paucis istis quæ supersunt reliquiis, nihil certi doceri potest; imo ipsis ceu Musis occultis, merito nullus amplius respectus habetur. Ante Kircherum de litteratura Ægyptiorum ac sapientia symbolica scripserat Nicol. Caussinus, sed nihil peculiare habet. Simile quid tractat ejusdem Polyhistor symbolicus Libris constans XII. Legi in eodem argumento potest etiam Laur. Pignorius, Patavinus, vir in ejusmodi antiquitatibus versatus ut nullus, qui dedit explicationem Mensæ Isiacæ, quæ hodie Augustæ Turinorum, in aula Sabaudiæ Ducis, (confer Wagenseilium in descriptione urbis Norimbergæ Cap. XI, p. 84.) custoditur, hic liber postea curante Andr. Frisio Amstel. prodiit 1670, 4. Huic adde etiam Joh. Georg. Hervvartum ad Tabulam Belbinam sive Isiacam, quæ postea Monachii conlegit, in quibus forte erunt, quæ ad mythicam istam doctrinam spectant. Multa quoque Ægyptiorum mysteria docet Jamblichus, confer Vossium in L. de sectis. Eusebius item in L. de præparatione Evangel. passim nonnulla

la hujus doctrinæ specimina conservavit; confer & Herodotum II. Hist. cap. 36. Ex Diodoro Sic. profert etiam specimen legationis Ægyptiacæ celeberrimus Boeclerus. Inprimis legi merentur hac de re contraria scripta Conringii & Ol. Borrichii de Medicina & sapientia Hermetis, de quibus suo loco. Nonnulla quoque ni fallor, quæ ad Brachmanum litteraturam & studia faciunt, Kircherus in China sua inlustrata tradidit. Prodiit illa sub titulo: *A. K. China monumentis sacris & profanis, nec non naturæ & artis spectaculis inlustrata, Amstel. 1667. f.* prostat etiam Gallice.

9. Præterea nomen suum in Italia tum perpetuæ commendabat memoriæ Leo Allatius, Chius, doctissimus hac ætate Græcorum. Hic *de patria Homeri* egit peculiari libro, edito *Lugduni 1640, 8.* ubi Procli aliorumque quorundam historiam de vita Homeri antea ἀνέκδοτον vulgavit; quem libellum postmodum Tomo X. Thesauri Antiquitatum Græc. celeberrimus Gronovius inseruit. Item *Dialogum de scriptis Socratis* dedit, in quo non pauca iterum ad historiam philosophicam adfert. Sic quæstionem ibi movet; utrum Socrates Aristotelis præceptor esse possit nec ne? Verum hæc quæstio, in qua jam operose multi desudarunt, commodissime mea quidem sententia, ita deciditur, si dicas, duos tum vixisse Socrates, quorum ille, Platonis præceptor, ante Aristotelem natum mortuus; hic vero Platonis condiscipulus atque familiaris, Aristotelis præceptor sine ulla contradictione esse potuerit. Duos autem hosce Socrates in Platonis Politico observamus. Prodiit ille Dialogus Allatii *Parisiis 1637, 4.* Bibliothecam quoque de scriptoribus Græcis profanis, & commentarium in Aristotelis Hymnum Hermiæ, Historiam item Astrologicam se editurum promisit in catalogo librorum a se editorum & edendorum, quem ipse vulgavit; e quibus non parum emolumenti historia philosophica cepisset.

10. Romæ claruit etiam circa annum CIↃ IↃ CLVII. Neophytus Rhodinus, Cyprius, qui nobiliores nonnullos *Philosophos*, qui in Cypro insula floruerunt, memorat in suo *de viris inlustribus Cypriis* L. quem Græce conscriptum *Romæ* dedit *1659, 12.*

11. Et Ferraræ floruit inlustris ille comes, Franciscus Bernius, Ferrariensis, inter nostros laudandus propter librum, cujus titulus est: *Arcana moralitatis ex Pythagoræ symbolis conlecta*, in quo eruditione non

non vulgari Pythagoreorum in philosophia morali symbola & placita exposita tradidit *Ferraræ 1669*, 4. quæ postmodum notis & conjecturis a Paulo Patre adaucta prodierunt Francof. ad Moen. 1687, 8.

CAPUT XXX.

1. Merita in rem litterariam P. Lambecii, 2. H. Conringii, 3. G. D. Morhofii. 4. Chr. Kortholtus quid profuit? 5. Th. Spizelius. 6. Ad. Tribecchovius de doctoribus scholasticis, & alii. 7. J. H. Majus vitam Reuchlini consignavit. Reuchlinus litterator & philosophus. 8. J. Tepelius de vita & philosophia Cartesii. 9. J. H. Ursinus de Zoroastre, Hermete, & aliis ejuscemodi sapientibus. 10. Es. Pufendorfius Druidum historiam scripsit. 11. Jac. Thomasius historiæ philosophicæ profuit maxime. 12. J. G. Rabenerius de Pythagora proselyto. 13. I. Siberus de salute gentilium philos. 14. G. L. Hambergerus de symbolis Pythagoræ. Rudingerus Socratis apologiam edidit. 15. I. M. Schvvimmerus. 16. I. Proschius, & 17. Ae. Strauchius. 18. Melch. Zeidlerus. 19. Ioach. Kühnius. 20. Leon. Cozzandus.

1.

SEquitur ætas Leopoldi I. Augusti, qui post mortuum Ferdinandum III. anno CIↃ IↃ CLVIII. unanimo electorum consensu electus fuit Imperator. Hic litterarum & litteratorum mæcenas laudatur tantus, quantus Imperatorum nemo. Inde, quia longævum & felix habuit imperium, non pauci sunt inventi, qui sub eo res philosophicas consignarunt.

In ipsa A. Cæsaris sede tum fovebatur Petrus Lambecius, Hamburgensis historiarum primo professor Gymnasii ejusdemque rector, postea

vero Leopoldi Imperatoris Consiliarius, Historiographus, nec non Bibliothecæ Cæsareo-Vindobonensis supremus præfectus, vir inferior diligentia nemini. Hic inter eruditos alios libros, quibus res adjuvit historicas, *Prodromum* nobis *Historiæ Litterariæ* dedit, in quo primus hoc argumentum amplissimum pro dignitate pertractare decreverat. Sed, quia solus huic oneri ferundo non par erat, ipsi nequidem tempora Mosis in eo adtingere contigit. Interim tamen varia & non contemnenda de vita & sapientia primorum mortalium protulit, eorumque enarravit libros, quos ipsi scripsisse dicuntur; hos vero pro suppostitiis habuit. Quod argumentum etiam alii, ut Jo. Joach. Maderus in L. de Bibliothecis ante-diluvianis, item Jac. Boulduccius in L. de ecclesia ante legem, non minori studio tractarunt, qui omnia contra pro genuinis venditarunt. Cum quibus confer etiam Bened. Pererii dissertationem, in qua de amplitudine & excellentia sapientiæ, quæ in Adamo refulsit, & qua ratione omnibus post se hominibus fuit sapientior, egit. Lucem vidit hic prodromus *anno 1659. in f.* Hunc iterum *cum elegantissima præfatione*, subjectisque in fine nonnullis aliis, ut sunt *P. Lambecii libellus, quem Diarium S. Itineris Cellensis* inscripsit; *Alexandri Ficheti arcana studiorum methodus; Catalogus* item *Codd. MSS. Bibliotheca Medicea per Wilhelm. Langium*, edidit celeberrimus Joh. Alb. Fabricius, *Lipsiæ & Francof. 1710.* in forma eandem. Obiit Lambecius anno CIↃ IↃ CLXXX.

2. Et anno sequenti vitam cum morte commutavit incomparabilis ille Polyhistor, ac Helmostadiensis Professor, Hermannus Conringius, qui, uti variam in omni studiorum genere suam probavit eruditionem, ita & historiæ doctæ aliqua ratione prodesse voluit commentariolo suo chronologico de eruditionis propagine, in quo libro II. de scriptoribus philosophicis pertractavit, Morhof. notante, Polyh. I, 1. 16. 3. Hunc librum deinceps Gottl. Krantzius, Vratislaviensis Gymnasii Professor, cum prolegomenis & additionibus auctorum vulgavit Vratisl. anno 1703, 4. sub hoc titulo: *H. Conringii de scriptoribus XVI. post. Chr. nat. seculorum commentarius, cum prolegomenis antiquiorem eruditionis historiam sistentibus, & additionibus, quibus scriptorum series usque ad finem seculi XVII. continentur*, confer Struvii Introd. p. 11. 12. Inprimis omnis ævi statum litterarum perlustravit in doctissimis suis *Dissertationibus de Antiquitatibus Academicis*, quæ *cum supplementis* lucem adspexerunt *Helmstadii 1674, 4.* Etiam *de Medicina Hermetica Libros* exaravit

vit II. quos ibidem dedit *anno 1648.* in quibus autem de Chymicorum doctrina contemtim scribit, Ægyptiorumque Medicos & Philosophos simul in summam contemtionem adducit. Contra hos libros scripsit postea Ol. Borrichius. Huic vero in iterata librorum istorum editione peculiari Apologetico libello respondit, quæ editio prodiit ibid. 1669. 4. auctior & emendatior, confer ea, quæ infra dicturi sumus, Cap. XXXII.

3. Eadem ætate fulgebat in Academia Kiloniensi egregius ille Polyhistor, Daniel Georg. Morhofius, qui integros annos XXX. libro impendit, quem sub titulo *Polyhistoris* edidit, in quem ad imitationem Gesneri (qui fundamentum ipsi in Pandectis jecerat) omnium scientiarum rerumque auctorum notitiam congessit. Divisit hunc Polyhistora in Tomos III. Primum Litterarium, alterum Philosophicum, tertium Practicum dixit. Primum dedit ipse Lubecæ 1695. 4. posteriores duos, iterumque cum priori conjunctim cum doctissimis hypomnematibus cum orbe cultiori communicavit Joh. Mollerus, Flensburgensis Rector, ibid. 1708, iterumque 1715. in forma eadem. Inprimis autem historiæ nostræ prodest Tomus alter, hoc est, Philosophicus; sive philosophorum libros, sive ipsius philosophiæ spectes historiam.

4. In eadem Kiloniensi, qua Morhofius floruit, e vivis migravit anno CIƆ IƆ C XC IV. Christianus Kortholtus, Theologiæ Professor celeberrimus. Hic varia scripsit. In his peculiaris libellus est *de origine, progressu & antiquitate philosophiæ Barbaricæ; hoc est, Chaldaicæ, Ægyptiacæ, Persicæ, Italicæ, Gallicæ, deque istorum philosophorum dogmatibus & moribus*, qui jam lucem adspexit *Jenæ 1651, 4.* sed forte juvenilis labor est. Nihil enim continet, nisi quod ante eum jam Heurnius consignavit litteris. Ad hæc quoque *de Philippi Arabis, Alexandri Mammææ, Plinii Junioris & Senecæ Christianismo disputationem* dedit ibidem *1666, 4.*

5. Hanc ætatem attigit etiam Theophilus Spizelius, qui notandus propter librum, quem *de re litteraria Chinensium* dedit *Lugd. Bat. 1660, 12.* vide Morhof. II. 2. 5. 2.

6. Gissæ cum viveret adhuc Adamus Tribecchovius, peculiare *schediasma de scholasticis doctoribus, & corrupta per eos divinarum*

humanarumque rerum scientia dedit *ibidem 1668, 4.* in quo scholasticorum, quos vulgo Latinos Aristotelis interpretes dicunt, studia, res gestas & libros doctissime exposuit. In hoc argumento illud etiam commendavit celeberr. Thomasius. Scripsit etiam *de Moyse Ægyptiorum Osiride* libellum,& alia. Cum isto libro conjungendi Gisbertus Voetius in Tomo dissertationum suarum, & inprimis D. Joh. Wilhelm. Ziroldus, qui Cap. V. Historiæ suæ Ecclesiasticæ cum historia philosophica conjungendæ a §. 8. usque ad finem, eandem scholasticorum historiam non male illustrat. Eodem loco vixit etiam Jo. Weisius, Moralium Professor, denatus 1683. qui *de Theologia Platonis* disputavit.

7. Post hos commemorandus Joh. Henric. Majus, Phorcensis, Durlacensis Gymnasii Professor, & hujus loci templi primarii pastor, qui optime meritus est *de vita & memoria Johan. Reuchlini, sive Capnionis, Phorcensis*, primi in Germania Hebraicarum, Græcarum aliarumque bonarum litterarum seculi quinti decimi, instauratoris. Hanc brevi sed erudita oratione complexus est, & elegantissimis adnotationibus edidit *Francof. & Spiræ 1687, 8.* Inprimis etiam laudem meretur in eo, quod historiam litterariam seculi quinti decimi cura non minore simul inlustraverit. Fuit autem Reuchlinus non litterator solum, sed philosophus etiam, qui Aristotelis primo philosophiam Basileæ docuit; sed eam postea deseruit, & philosophiam Pythagoream cum Cabbala Judæorum mixtam restaurare cœpit *Libris III.* quos etiam *de Arte Cabbalistica* inscriptos Leoni X. nuncupavit. Plura de eo docet etiam Vossius L. de Hist. Lat. III.

8. Johannes Tepelius, Historiam Cartesianam juvare voluit libello non spernendo, quem *de vita & philosophia Cartesii* concinnavit edictque *Noribergæ 1674, 12.* In hoc primo historiam R. Cartesii persequitur, & qua potissimum occasione amplexus sit philosophiam; dein de scriptis agit; tum de principiis philosophiæ; postea adseclas, oppugnatores & propugnatores illius, nec non varia super hac secta summorum virorum judicia conlegit, quibus tandem suam etiam ἐπικρισιν addidit. Plenius tamen hoc argumentum postea pertractarunt alii, de quibus infra suis locis.

9. Quo tempore apud Ratisbonenses Joh. Henricus Vrsinus *Exercitationes* suas *de Zoroastre Bactriano, Hermete Trismegisto, & Sanchoniatone Phœnice Norібergæ* edidit *anno 1661, 8.* in quibus philosophorum

phorum istorum, qui veterum Chaldæorum & Ægyptiorum doctrinam docuisse creduntur, historiam tradidit. Sed omnia pene in dubium vocavit; in quibus tamen caute agendum Morhofius judicat in Polyh. II. 1. 1. 12. Alius fuit Benjamin Ursinus, alius Fulvius Ursinus, patria Romanus, vir utriusque linguæ doctissimus, qui aliquot Anton. Augustini lucubrationes publicavit, Thuano teste ad annum CIↃ IↃ C.

10. Ratisbonæ ad alteram vitam vocabatur eodem Leopoldo Augusto anno CIↃ IↃ CLXXXIX. Legatus ad conventum imperii eo missus a Danorum R. Christiano V. Esaias Pufendorffius, Sam. frater, qui, cum Magister adhuc Lipsiensis esset, se commendavit habita anno 1650. *dissertatione de Druidis*, in qua Druidum istorum historiam & doctrinam explicavit, quam cum aliis ejus opusculis excellentissimus Ludovicus Halensis recudi fecit Halæ 1700, 8.

11. Tum florebat etiam Jacobus Thomasius, Lipsiensis, ejusdemque Academiæ eloquentiæ & philosophiæ Professor, Rectorque scholæ ad Thomam, vir eruditissimus, historiæque philosophicæ deditus maxime, in qua egregia ingenii monimenta dedit. Stoicam doctrinam inlustravit *Dissertationibus* suis *Stoicis*, habitis *Lipsiæ 1676, 4.* Doctores Scholasticos Latinos exposuit *Dissertatione* perbrevi peculiari, ibidem atque eodem anno impressa *in 8.* In hac primas doctrinæ Scholasticorum origines optime omnium pertractavit. His adduntur ejusdem *Orationes XII. de secta Nominalium, & XV. de Syncretismo Peripatetico.* Quomodo autem philosophati sint ex principiis variis gentiles, & ad variam vel ipsius Dei, vel aliarum rerum nobilissimarum cognitionem pervenerint, idem exposuit in *Schediasmate Historico*, aliisque *Dissertationibus* suis, quas *Halæ* conjunctim filius multo doctissimus edidit; confer Lipsienses ad annum 1693. m. sept. p. 428.

12. Justus Gothofredus Rabenerius, scholæ Misnensis Rector, apud Lipsienses edebat anno 1695, 8. *Amœnitates* suas *Historico-Philologicas*, in quibus pag. 117. dissertatio continetur: *an Pythagoras fuerit proselytus?* contra quem duas dissertationes editas videmus *Rostochii 1700.* ab Hermanno Christoph. Engelckenio sub titulo: *an Pythagoras proselytus factus, & consequenter salvatus sit?*

13. Et Dresdæ Justus Siberus, Theologus & Philologus, *Considerationes de salute Philosophorum Gentilium, Platonis, Aristotelis, Ciceronis & Senecæ* inprimis, inprimi curabat 1659, 12. Cui libro addendus

ejus *Seneca divinis oraculis quodammodo consonans*, editus ibidem 1675, in forma eadem.

14. Etiam apud Wittebergenses Georg. Ludov. Hambergerus *Exercitationes de vita & symbolis Pythagoræ* edebat anno 1678, C. Ibidem etiam anno 1691. Joh. Bapt. Röschelius, Phys. Professor, *de Philosophia Conciliatrice* disputationem habuit, in qua Aristotelem & Platonem in doctrina Physica conciliare studuit. Ibidem vixit etiam Erasmus sive Esromus Rudingerus, Philos. & Græc. L. quondam Professor, qui *Platonicam Socratis Apologiam cum versione Latina scholiisque* edidit.

15. Nec forte minora in historia nostra præstare potuit Johan. Michael Schvvimmerus, libro, cui titulus: *Academia Prisca Græcia, seu status litterarius Græciæ Platonicorum, Peripateticorum, Stoicorum* & plurium, qui *Witteb.* prodiit 1673, 4.

16. Item Joh. Proschius *Apologiam pro Aristotele & Euclide contra* acerrimum Aristotelis hostem, *Petrum Ramum* aliosque conscripserat, *Dantisci* 1653, 4.

17. Apud Gedanos obiit etiam anno cIɔ Iɔ C LXXXII. celeberrimus ille Theologus & Historicus, Ægidius Strauchius, qui præter alia erudita monimenta, laudem meruit propter *Dissertationem*, quam *de Christianismo Senecæ* habuit. Qua cum jungendus liber editus Ratisbonæ 1651, 4. *L. Annæus Seneca ab Arnando Fabio atheus proclamatus, & a Iac. Petro Huntero defensus.*

18. Apud Regiomontanos Melchior Zeidlerus, Logices primo, post Theologiæ Professor, *Prodromum Introductionis in Lectionem Aristotelis* edidit, in cujus pag. 48. seqq. inter alia eleganter deduxit commoda, quæ sedulo Aristotelis lectori historia philosophica promittit. Eo etiam nemo melius in genuina veterum philosophandi methodo secundum Stagiritæ mentem & principia præcepit in *Libro de genuino veterum docendi modo exoterico & acroamatico*, hoc est, *dialectico & analytico*, qui liber itidem Regiomontani editus prostat.

19. Anno cIɔ Iɔ C XCVIII. vita defunctus est Joachim. Kühnius, Orientalis litteraturæ apud Argentoratenses Professor, qui *Observationes in Laertii vitas Philosophorum* edidit, quas habemus in elegantissima editione Amstelodamensi 1692, 4.

20. Nec tacendus Leonardus Cozzandus, Brixianus, cujus *de magisterio antiquorum philosophorum Libri VI. Genevæ* prodierunt *anno 1684, 12.* Confer Nouvelles de la Republique de lettres, quæ libri hujus excerptum dederunt. Præferendus videtur Hornio in historia philosophica.

CAPUT XXXI.

1. A. Arnaudus, item 2. M. A. Bonciarius Apologiam pro Epicuro fecerunt. 3. I. C. Frey de philosophia Druidum, & 4. Meziriacus de vita Esopi egerunt. 5. R. Cartesius vitam propriam delineavit. 6. P. Gassendus contra Aristotelicos Exercitationes scripsit, quarum Liber primus editus, cæteri suppressi fuerunt, & cur? Vitam Epicuri, Mathematicorum & Peirescii descripsit. 7. Sorbierius Gassendi vitam perscripsit; quid in ea deficit, indicatur. 8. G. Naudæus Apologias pro Eruditis fecit. 9. P. Borellius variis libris in historia philosophica clarus est. 10. Balsacus, num vitam Socratis ediderit? 11. Ph. Labbeus commendatur ob subsidia, quæ ad historiam litterariam adtulit. 12. Jo. Launoius de varia fortuna Aristotelis egit, sed Aristoteli nimis infestus est. 13. Confucius, Sinarum philosophus, mandato Christianissimi R. editur. Confucius quando natus. 14. R. Rapinus comparationem Aristotelis & Platonis scripsit, in qua Aristotelem aliis præfert. 15. Mottanus Vayerus. 16. Aeg. Menagius historiam philosophicam auxit notis in D. Laertium, & libello de philosophis mulieribus. 17. Commendatur etiam Dherbelotius ob Bibliothecam Orient. 18. Guil. Boilous vitam Epicteti descripsit.

psit. 19. Cl. Fleurius dissertationem de Platone & alia edidit.

I.

VEnimus ad Gallos, qui rebus nostris dederunt operam, ex ordine instituto. Ludovico XIII. regnante vixit Andreas Arnaudus, Forcalqueriensis, in eadem provincia Prosenescallus, qui teste P. Gassendo L. de vita & moribus Epicuri, p. 136. librum edidit Auenioni, cui titulus est: *Joci*, (quo, si forte detectus aliquando fuerit auctor, ipse fateri posset, se talem librum tantum jocandi caussa emisisse in lucem) in quo *Apologiam pro Epicuro* adornavit, & probavit, Epicurum innocentissime ab obtrectatoribus suis lacessitum & laniatum fuisse.

2. M. Antonius Bonciarius, Parisiensis Professor, in catalogo operum suorum teste eodem Gassendo citato l. librum scripsit, cui nomen: *Epicurus, sive Dialogus de antiqua Philosophia*, in quo probavit, Epicurum antiquiorum philosophorum omnium exstitisse principem: neminem item ex antiquioribus philosophis propius ad veritatem accessisse, quam Epicurum: contra, nullos ab ea longius recessisse & absuisse, quam Stoicos. Sed liber hic lucem non vidit, quia auctor illum edere non ausus est.

3. Janus Cæcilius Frey, archiatrus Catharinæ Mediceæ, matris Ludovici XIII. *cribrum philosophicum* scripsit, item *Philosophiam Druidum*, quæ prodiit *Parisiis 1646, 8.*

4. Claudius Caspar Bachetus de Meziriac, Academiæ R. membrum, gloriam sibi peperit editione *Librorum VI. Arithmeticorum Diophanti Alexandrini*, in cujus præfatione varia lectu digna de hujus philosophi vita rebusque gestis tradidit. Prodiit hoc opus Paris. 1621. & postea recusum 1670. curante Fermetio, in qua vero dicta præfatio deest. Ad hæc *vitam Esopi*, Philosophi, perexiguo sed erudito libello complexus est. Hic adeo rarus fuit, ut ipsum etiam Bælium in prima Lexici sui editione confiteri oportuerit, se illum nondum vidisse; nunc insertus ille legitur *Tomo I. Articulo VII, p. 87. des Memoires de Litterature*, quæ *Hagæ Comitum* imprimuntur *chés Henri du Sauzet, 1715.* (in quibus non tam recentiores, quam antiquiores & rariores libri recenseri solent.) In isto autem libello varia notatu digna de Esopi vita & morte consignavit; in-

inprimis autem variis argumentis eorum confutat sententiam, qui statuerunt, Esopum hominem fuisse deformem, hæsitantem item & balbutientem, & cætera.

5. Ludovico XIII. successit anno CIↃ IↃ C LI. Ludovicus M. sive XIV. doctorum mecænas summus. Sub ejus imperio vixit Renatus Cartesius, ex nobili apud Turones familia oriundus, qui propter mathesin & philosophiam excelluit. Sectam condidit, quæ tot oppugnatores & propugnatores invenit, quot olim vix Platonica & Aristotelica numeravit. Historiam vitæ & philosophiæ suæ nobiscum aliquo modo communicavit in Epistolis suis, quæ volumini VI. & VII. ejus operum continentur. Hæc prodierunt anno 1668. VII.vol. 4. Vita excessit Holmiæ Sveonum Calend. Febr. anno CIↃ IↃ C L. ætatis LXIII.

6. Cum Cartesio in eadem admiratione fuit Petrus Gassendus, philosophus insignis, Mathematicus egregius, qui industria sua varia dedit monimenta. Anno CIↃ IↃ C XXIV. lucem publicam videbant ejus *Exercitationum Paradoxicarum adversus Aristoteleos Libri VII.* in quibus omnes hujus philosophi errores deteguntur, præcipua totius doctrinæ Peripateticæ fundamenta excutiuntur, opiniones vero novæ, aut e vetustioribus obsoletæ, stabiliuntur; qui libri iterum excusi fuerunt *Amstelod. anno 1649. apud Elzevirium in 8.* & *Hagæ Comitum anno 1656. in 8.* & Tomo III. Operum inserti. Erat autem hic Liber primus istorum septem, quos ea de materia conscripserat, & continet Exercitationes octo; quarum unius cujusque tale est argumentum:

1. *Quod homines Aristotelici ex Germana philosophia Sophisticen effecerint.*
2. *Quod immerito Aristotelei libertatem sibi philosophandi ademerint.*
3. *Quod rationes nullæ sint, quibus secta Aristotelis videri potest praferenda.*
4. *Quod maxima sit incertitudo librorum doctrinaque Aristotelica.*
5. *Quod apud Aristotelem innumera deficiant.*
6. *Quod apud Aristotelem innumera superfluant.*
7. *Quod apud Aristotelem innumera fallant.*
8. *Quod apud Aristotelem innumera contradicant.*

In his Epicuræum se graphice admodum ostendit, & acerrimum Aristotelis calumniatorem, quanquam nihil minus se facturum in præfatio-

ne pollicitus est. Sed reliquos libros sex eruditi non viderunt; num editi fuerint, Launojus significare non potuit. In istis autem quid tractaverit, ejus in librum primum præfatio docet.

Liber, inquit, *secundus opponitur Dialecticæ Aristotelicæ, ubi nulla ipsius Dialectices necessitas utilitasve declaratur*, & reliqua.

Liber tertius destinatur in Acroasin Physicam, & cætera.

Liber quartus adoritur libros de corpore simplici, ubi primum & stellis & soli comparatur quies, & cætera.

Liber quintus aggreditur vulgares tractatus, quos de mixtis instituit, & cætera.

Liber sextus adversus Metaphysicam instituitur.

Liber denique septimus est in Moralem Philosophiam. Confer Launojum in de varia Aristotel. fort. L. p. m. 216.

Sed Gassendus ab edendis contra Aristotelem libris abstinuit, & totum postea se philosophiæ Epicureæ restaurandæ dedit. Itaque peculiare opusculum *de vita, moribus & doctrina Epicuri Libris VIII.* concinnavit, qui primum *Lugd. Gall.* prodiit *1647*. postea recusus Hagæ Comit. 1656, 4. In hoc Epicuri & vitæ & scholæ historiam exposuit ita, ut nemini fortasse alteras curas hac in parte reliquerit. Liber primus ac secundus non nisi nude vitam, mores & scholam Epicuri persequitur; ita tamen, ut ejus etiam recenseat Libros, amicos, & successores. Inprimis Capite V, Lib. I. docet, quando, & qua occasione Epicurus philosophiæ se dederit, sectamque condiderit. Quartus liber occasionem quæsitæ Epicuro infamiæ detexit; quintus objectam malignitatem depepulit; sextus objectum gulæ vitium; septimus objectam venerem; ultimus odium objectum artium liberalium. Etiam primus e recentioribus edidit *Animadversiones in Diogen. Laertii Lib. IX.* qui *de vita, moribus placitisque Epicuri* agit, *III. Voluminibus in folio.* His denique *Philosophiæ Epicuri Syntagma* addidit, in quo philosophiæ Epicureæ principia exposuit. In omnibus autem Epicuri acrem vindicem egit, sic, ut non modo virtutes ejus, sed etiam vitia & errores exposuerit, & sæpe contra ipsum disputaverit. Ita quando de prouidentia agit, quam omnino in dubium vocavit, partes ejus & caussam plane deserit. Doctrinam de atomis ita amplectitur, ut ne locum det atheismo. Idem vitas summa fama Mathematicorum, Tychonis Brahei, Nicol. Copernici, quibus

bus accesserunt Georgii Peurbacchi & Johann. Regiomontani vitæ, multa cum industriæ laude descripsit, Hagæ Com. 1655, 4. In his multa notatu digna, quæ ad Mathesin atque ad Astronomiam faciunt, observavit. Iterum vitam Peirescii descriptam dedit, dignam, quæ ab omnibus politissimis ingeniis legatur, quod velut speculum est omnis elegantioris doctrinæ. Fuit Nicolaus Claudius Fabricius Peirescius, Aquisensiensis Parlamenti Consiliarius, vir omnibus optimis litteris doctrinisque egregie excultus, & clarus ob instructissimam omni optimorum librorum copia Bibliothecam. Inde, quia summa in Gassendum erat liberalitate, hic non solum vitæ, sed bibliothecæ quoque ejus historiam optime omnium describere potuit. In hanc quoque omnia congessit, quæ memoriæ digna sunt, hoc est, quæ pertinent ad rem litterariam, ad antiquitates, ad Philologica, Mathematica, Physica, & moralem scientiam. Prodiit ea vita primo Parisiis 1641, 4. dein Hagæ Comit. 1655, 4. extat etiam in 12mo. Sed quum hæc editio nimis rara facta fuerit, prodiit ea denuo recusa Quedlinburgi, 1706, 8. Ad Gassendum epistolam scripserat etiam Gabr. Naudæus, quæ impressa fuit Romæ typis Vaticanis anno 1638, 4. Hæc omnia seorsim a Gassendo edita sunt. Integra vero ejus opera prodierunt tandem Lugduni 1658. VI. voluminibus in folio. Vitam cum morte commutavit anno CIƆ IƆCLV. IX. Calend. Novembr. ætatis anno LXIII. A Gassendo peculiaris secta, Gassendiana dicta deducitur, quæ alias etiam secta corpusculorum, item atomistarum dicitur, quia Gassendus in physicis suis ex atomis tanquam principiis, omnia corpora constare docuerat, in quibus multi eum sequuti sunt.

7. Cum Gassendo multis annis versatus est Samuel Sorberius, Christianissimo Regi ab historica re, qui vitam ejus descripsit, cujus libelli titulus est: *Dissertatio de vita & moribus Philosophi ac Mathematici celeberrimi, Petri Gassendi, ad virum inlustrem, Henricum Lud. H. Mommorium, libellorum supplicum magistrum integerrimum perscripta.* Inseruit eam M. A. Wittenius septimæ Decadæ Memor. Philosophorum, cui etiam catalogum Gassendi scriptorum adjunctam videmus. Sed recte in ista descriptione vitæ continuator Vossii taxat, quod tacuerit de caussis & ansis, propter quas Gassendus Epicurum potissimum defenderit, ejusque philosophiam amplexus fuerit. Nos id tribuimus frequenti lectioni Senecæ, cui deditissimus fuit; dein ejus continentiæ vitæ, quæ opti-

me cum vita Epicuri convenire videbatur. Henricus Sorberius, Sam. filius unicus, notus est propter Sorberiana.

8. In clarissima luce tum versatus est etiam πολυμαθέστατος Gabriel Naudæus, qui edidit *Apologie pour les grands hommes, soupçonnés de Magie*, hoc est, *Apologia pro viris doctis*, *Magia suspectis*, quo libro scilicet eruditos istos & philosophos, quos singularis quædam ingenii elegantia apud indoctos homines in magiæ suspicionem adduxerat, magna dexteritate defendit. Qui liber recusus prodiit Amstelod. 1712. cum nonnullis animadversionibus, quæ Naudæum partim emendant, partim confirmant ea, quæ scripsit. Confer de hoc libro plura in Celeberrimi Clerici Bibliotheque Choisie Parte II. Tomi XXIV. p. 454. Peculiarem de philosophis, qui falso atheismi accusati fuerunt, dissertationem actis philos. inserere promisit doctissimus Heumannus, P. III. p. 437. in not.

9. Petrus Borellius, Castrensis, Galliarum Regis archiater, & philosophus non exigui nominis, eodem tempore vixit, atque laudem libris nonnullis eruditis adeptus est. Sunt isti: ejus *Bibliotheca Chimica*, sive *Catalogus librorum Philosophorum Hermeticorum*, in quo de quatuor millibus circiter auctorum eruditos instruit, sed nullo ordine, Labbeo notante, B. B. Ejus *auctuarium ad Nicolai Peirescii vitam*, quam modo laudatus Petrus Gassendus scriptam dedit: *Renati Cartesii vita*, seu *Compendium vitæ Cartesianæ*, *ejusque Operum omnium Catalogus*, quem concinnavit atque luci publicæ exposuit Parisiis 1666, 8. De *Democriti* quoque *vita & philosophia* volumen meditatus est, uti ipse testatur in præfatione ad lectorem, præmissa secundæ Centuriæ Observationum in 12. Castris 1653.

10. Etiam Johannes Ludovicus Balsacus patria, alias Guesius, sive Guez dictus, librum *de vita Socratis* Gallice conscripsisse Morhoffio dicitur II, 1. 3. 2. Parisiis 1650, 8. Idem Gallice *Socratem Christianum* concinnavit; quo libro videlicet Socraticæ philosophiæ convenientiam cum Christiana doctrina explicavit, Arnhemiæ 1675, 12.

11. His adnumerandus Philippus Labbeus, Bituricensis, vir doctus & diligens. Edidit *Aristotelis & Platonis Græcorum Interpretum typis hactenus editorum Synopsin*, *Parisiis 1657*. cui annectit primo quadruplicem appendicem, de Aristotelis & Platonis, præcipuis omnium operum editionibus; deinde syllabum librorum Aristotelis & Platonis, in

in quos exstant veterum Græcorum commentaria aut paraphrases; tertio indicem virorum eruditorum, quorum opera Græci Aristotelis & Platonis interpretes & philosophi in lucem prodierunt, aut latinitate donati fuerunt; quarto catalogum cognominum ad nomina seu prænomina revocatorum. Promisit etiam *Athenæum Philosophicum, seu Bibliothecam Aristotelis & Platonis interpretum, omniumque cujuscunque sectæ philosophorum*, qui Græce aliquid scripsisse noscuntur, sive prælo excusi, sive in Manuscriptis Codicibus ad hunc usque diem reconditi fuerint. Nec prætermittenda ejus Bibliotheca Bibliothecarum, multos virorum & catalogorum scriptores enarrans, quam aliquoties postea recusam cum augmentis, ut anno 1664. & 1672. postea ab Antonio Teisserio vulgatam habemus. Titulus est: *Catalogus auctorum, qui librorum catalogos, indices, bibliothecas, virorum eruditorum vitas aut orationes funebres scriptis consignarunt, Genevæ 1686, 4.* Accessit auctarium ejus ibidem anno 1705. confer Struvium in Introductione pag. 312. Edidit etiam Bibliothecam Novam Manuscriptorum librorum, summo judicio conlectam, quæ historiæ mediæ, Gallicæ tamen potius, adcuratius perdiscendæ inservit. Atque alia. Fuerunt etiam homonymi nostro.

11. Clarus etiam per idem temporis spatium fuit Johannes Launojus, Constantiensis, Parisiensis e regio Navarræ collegio Theologus, vir diligens & πολύγραφος; libros enim LXX. conscripsit. Breve sed elegans scriptum *de varia Aristotelis fortuna in Academia præsertim Parisiensi ad virum clarissimum, Henricum Ludovicum Hubertum Mommorium, libellorum supplicum magistrum* dedit, cujus editio prima prodiit Parisiis 1653, 8. & recusa Hagæ Comitum eodem anno, 8. iterumque anno 1656, in 4. in cujus fronte exstat: *editio auctior & correctior.* & tertia vice Lutetiæ Paris. 1662. & quarta vice nunc inprimitur Jenæ. In hoc libello præcipua fata & mutationes philosophiæ Aristotelico-Scholasticæ in Parisina exposuit, quas orsas ab anno 1209. usque ad annum 1624. perduxit, inque octo divisit periodos, genuinis omnia diplomatibus & decretis, a Regibus Galliæ & Pontificibus Romanis, partim pro philosophia Aristotelica, partim contra eam factis, declarans. Subnectit passim etiam judicia sua, sed id monendum, quod præter culpam quandoque reprehenderit Aristotelem. Recensionem hujus libelli dederunt præter Fabricium, auctor Actor. Philos. Parte IV. a p. 690 – 718.

ır. die Summarische Nachricht aus der Thomasischen Bibliothec, a pag. 894 -- 211. Laudatur ejus etiam *Academia Parisiensis inlustrata, Parisiis edita 1682. 4.* ex qua non pauca ad historiam litterariam hujus urbis adtulit. In eo Lib. III. CXXXIV. percenset auctores, interque eos nonnullos philosophos, quorum vitam & mores describit. Decessit Launojus Parisiis die X. Martii CIↃ IↃ CLXXVIII. Alius fuit Matthæus de Launoi, sive Launæus, Theologus, ætate superior nostro, cujus mentionem faciunt Thuanus ad annum CIↃ IↃ LXXXVII. & Maimbourg Histoire de la Ligue.

13. Jussu ipsius Ludovici Magni e Bibliotheca Regia producebatur anno CIↃ IↃ CLXXXVII. *Confucius, Sinarum Philosophus*, sive, ut integer operis est titulus: *Scientia Sinica, Latine exposita, studio & opera Prosperi Intorcetta, Christiani Herdtrich, Francisci Rougemont, Philippi Coupplet, Patrum Societatis Jesu, Parisiis anno eodem in folio.* Cui Philosophorum Sinensium declaratio procemialis præmittitur, quam ipsius Confucii vita descripta sequitur. Confucius enim primus & princeps philosophorum apud Sinenses habetur atque adhuc colitur. Natus dicitur anno IↃ LI. ante natum Chr. in loco, cui nomen Lu, hodie Xantun. Plura docebunt Acta Lipsiensia, quæ operis hujus excerpta nobiscum communicarunt anno 1687. Magna hujus libri jam exspectatio fuit, ac si recondita quædam lectores suos docere potuisset, sed spem non implevit. Locupletiorem tamen editionem promisit Aymonius, confer Acta. La Morale de Confucius, Philosophe de la Chine, prodiit Amstelodami 1688, 8. Promissus etiam fuit a Confucii editoribus Mencius, Sinensium philosophus alter, qui post Confucium eodem seculo floruit, sed quantum ego quidem scio, nondum comparuit.

14. Eo anno, quo Confucius editus fuit, vita Parisiis excessit Renatus Rapinus, celebris e societate Jesu frater, natus Turonii anno CIↃ IↃ CXXI. teste Bælio, voce *Rapin*. Hic *Comparationes magnorum virorum* Gallice edidit, deque *Comparatione Platonis & Aristotelis* tractavit. Sed Platoni Aristotelem præfert, adeo, ut cum ipso nemo conferendus videatur. Ejus *Reflexions sur la Philosophie de Platon*, multa notatu digna, nec ubivis obvia continent, sed paullo confuse scribit. Plura de hoc docet Bælius citato loco. hic passim etiam nævos haud paucos Rapino exprobravit in Dictionario suo.

15. Vi-

15. Videndum quoque, an Franciscus de la Mothe le Vayer, Regi Christianissimo a Consiliis Status, & Academiæ R. membrum, aliquid adtulerit ad historiam nostram operibus suis eruditione multa refertis. Ea conjunctim II. volum. in folio Parisiis, iterumque 16. volum. in 12. prodierunt.

16. Ægidius Menagius circa idem tempus laudem famamque adeptus est egregia *Diog. Laertii editione*, quam *cum perpetuis suis & aliorum commentariis* primo *Londini* dedit *1666. in f.* Hæc cura celeberrimi Marci Meibomii auctior nitidiorque prodiit Amstelodami 1692. duobus voluminibus in 4. de cujus operis recensione & historia plura qui cupit, Acta Eruditorum Lips. evolvat M. Jul. ann. 1692. a pag. 315—319. ut cætera ejusdem anni litteraria & ephemerides, Belgicas & Gallicas taceam. Huic etiam editioni *Syntagma* ejus *de mulieribus philosophis* accessit, quod alias seorsim excusum prostat sub titulo: *Historia mulierum philosopharum, cui accessit ejusdem commentarius Italicus in VII. Sonettum Francisci Petrarcha a re non alienus, Lugduni 1690. 12.* Dedicavit hunc libellum doctissimæ fœminæ Annæ Daceriæ, ad exemplum D. Laertii, qui fœminæ pariter vitas suas philosophorum consecraverat. In hoc sexaginta quinque mulieres dedit philosophas, ex antiquis lacunis conlectas, quas vel in incertas, vel in certas divisit sectas, hoc est, in Platonicam, Dialecticam, Cyrenaicam, Megaricam, Cynicam, Peripateticam, Epicuræam, Stoicam, & quarum maximum adduxit numerum, Pythagoream.

17. Inprimis videndum, quid ad Orientalium gentium litterarum historiam congessit in Lexicon Orientale suum Bartholomæus Dherbelotius, L. Syriacæ in Academia Parisiensi Professor R. & inlustris d'Auvergnii in eodem munere successor, qui a Colberto eum in finem ex aula Magni Hetruriæ Ducis, in Galliam revocatus fuit, ut auctus stipendio Regio, opus illud ad finem perduceret, quod tandem post auctoris mortem prodiit. Titulus est: *Bibliotheque Orientale, ou Dictionaire Universel*, & cætera. *continens, quicquid spectat ad cognitionem populorum Orientis, Historias & traditiones illorum, tum veras, tum fabulosas, religiones illorum & sectas, publicam formam rerum publicarum, leges, consuetudines, mores, bella & imperiorum revolutiones, scientias illorum atque artes, Theologiam scilicet, Mythologiam, Magiam, Physicam, Ethicam, Medicinam, Mathesin, Historiam, naturalem historiam, Chronologiam, Geographiam, Observationes Astronomicas, Grammaticam & Rhetoricam: Item vitas &*

res

res gestas omnium penes ipsos sanctorum, doctorum & philosophorum, historicorum, poetarum, Impp. Interseruntur judicia critica, compendia librorum, versionum, commentariorum, & plura, *Parisiis 1697. f.*

18. Post hos commendari meretur Guilielmus Boilous, sive Gilles Boileau, Guilielmi filius, Jure Consultus doctissimus & Academiæ R. membrum, natus anno CIƆIƆCXXXI. teste Mr. des Maizeaux in vita du Mr. Boileau despreaux p. 6. Hic vitam Epicteti edidit anno 1655. cujus titulus: *La vie d' Epictete & l' Enchiridion, où Abregè de sa Philosophie, avec le Tableau de Cebes, traduits du Grec en François.* de qua vita doctissimi Bælii judicium subnectit Maizeaux, quod *fit la plus ample, & la plus exacte qu' il ait vuë, & quod l' erudition & la critique y sont repanduës habitement*, cit. l. Quam laudem non denegat etiam Manuali Epicteti, ejusque tabulis, quæ ubivis cum plausu fuerunt exceptæ, teste eodem. Confer Reponse aux quæstion d' un provial, Tom. I. p. 130. Vitam istam Monsieur l'Abbé de Bellegarde Epicteti characteribus præmisit, editis a Trevoux anno 1702, 12.

19. Dignus etiam Claudius Fleurius, cujus inter historiæ doctæ auctores mentio fiat. Fuit is Principum Conteorum præceptor, Presbyter & Abbas. Edidit *Traité du Choix & de la Methode des études, Bruxellis 1687, 12.* In eo eruditionis historiam Græcorum, Romanorum, Christianorum & Arabum concise docteque exhibuit. Item de origine scholarum, de quatuor dictis ita facultatibus in Academiis, & de *παλιγγενεσία* litterarum non inepte disseruit. Præfixit huic etiam libello *dissertationem de Platone*, in qua primo compendium vitæ Platonis dedit; dein doctrinam philosophi exposuit; tum de stylo ejusdem, ultimo de utilitate egit, quæ ex lectione librorum Platonis ad litterarum & philosophiæ cupidos redundare possit. Prostant hujus libelli variæ editiones, & inter eas nonnullæ in Germania impressæ, sed præstant eæ, quæ in Belgia & Gallia prodierunt.

CAPVT

CAPUT XXXII.

1. Rob. Fluddus pro fraternitate Roseæ crucis scripsit atque alia. 2. Th. Stanlejus opus historiæ Philos. condidit; cujus operis editiones memorantur. 3. H. Moore vitam propriam signavit. 4. Ed. Bissæus monimenta nonnulla philosophiæ antiquæ conlegit. 5. Th. Hobbesius, novæ sectæ conditor, vitam propriam descripsit. 6. Ed. Dickinsonius, de Druidis. 7. A. Wood antiquitates Academiæ Oxoniensis congessit, & alia. Acta societatis Regiæ Anglicanæ historiæ Philos. prosunt. 8. Jo. Marshamus de doctrina veterum Ægyptiorum egit. 9. Th. Gale laudatur ob merita in Historiam Philosophicam.

§. I.

Redimus ad Anglos. His temporibus, quibus imperio Germanorum præfuerunt Ferdinandi, Secundus & Tertius, in Magna Britannia regnarunt Caroli. Carolus primus, patri, Jacobo successit anno CIↃ IↃ CXXV. cui decollato (confer Ant. Wood. History of Oxford-Writers, p. 522.) post multas revolutiones successor datus est anno CIↃ IↃ CLXI. Carolus II. Hic regnavit usque ad annum CIↃ IↃ CLXXXV. quo successit iterum Wilhelmus, hujus nominis III.

Caroli I. Regis armiger & Medicus fuit Rob. Fludus, sive Fluddus, alias de Fluctibus, Philosophiæ, Chimiæ & Medicinæ laude ornatus, qui natus CIↃ IↃ CVI. post editos multos in iis studiis libros, Londini mortalitatem exuit anno CIↃ IↃ CXXXVIII. Hujus opera omnia conjunctim tum Francofurti tum Gudæ publici juris facta sunt, & nonnulla continent, quæ historiam nostram juvare possunt. Vigebat tunc in Anglia fratrum Roseæ crucis ordo, qui omnia lumini interno adscribebat,

cujus patrocinium suscipiebat edens *pro fraternitate Roseæ crucis Apologiam*, quæ seorsim quoque Leydæ prodiit. Varia item veterum Ebræorum placita naturalia & physica nobis exposuit in Philosopia sua Mosaica naturali, & passim in suis operibus. In his simul de vita propria varia jucunda & lectu digna consignavit. Opiniones Fluddi memorantur etiam im Ausführlichen Bericht von neuen Büchern pag. 165. & de libris, qui ex ingenio potius quam genuinis principiis laudandi, consule Mersennum in Comment. ad Genes. pag. 716. Cum Philosophia Mosaica Fluddi conjungi potest I. Bœhmii liber, Mysterium magnum dictum, item Paul. Riecius in Agricultura cœlesti, Franc. Georg. Venetus in Harmonia Mundi, & alii ejusdem argumenti scriptores, quos Pistorius conlegit.

2. Sequutum deinde est Caroli II. imperium. Sub eo floruit Thomas Stanlejus, nobilissimus suæ gentis poeta, natus circa annum CIↃ IↃ CXXVIII. ut Acta quidem Eruditorum Lipsiens. ad annum CIↃ IↃ CC II. p. 46. ex ejus vita ἀνωνύμως edita, conjicere possunt. Hic condidit opus, quod historiæ nostræ utilissimum, imo maxime necessarium est. Edidit illud idiomate patrio Londini anno 1655. f. sub titulo: *Of the History of Philosophy*, & cætera, hoc est, *Historia Philosophica*, quæ vitas, placita, actiones atque discursus philosophorum, uniuscujusque sectæ sistit, & reliqua. Confer Actor. laudatorum supplem. Tomum II. p. 396. qui librum recenset. Hanc editionem sequuta est altera, ibidem edita 1687. in forma eadem. Tertia prodiit cum vita Stanleji, tunc primum edita ab anonymo, confer Acta ad ann. 1702. pag. 45. quo anno etiam quarta prodiit in Belgicum idioma a Sam. Borrio translata. Post has quinta comparuit, integra Latine ex Anglico idiomate in Latium traducta, una cum elegantissimis notis, & insertis nonnullis quæ spectant huc, dissertationibus B. Gottfr. Olearii locupletata, & cum eadem vita auctoris anonymi Lipsiæ apud Thom. Fritschium anno 1711. 4. Hic liber divisus est in partes XV. in quarum prima septem Græciæ sapientes inlustrantur: in secunda Jonicæ sectæ philosophi: in tertia Socratici. Quarta pars Platonicos, quinta Peripateticos, Cynicos sexta, septima Stoicos, octava sectam tradit Italicam. Ex Italica secta exortæ sunt: Heraclitea, quam pars nona: Eleatica, quam decima: Pyrrhonica, quam undecima: Epicuræa, quam duodecima absolvit. Reliquæ partes tres Orientalis philosophiæ continent historiam: Chaldæorum

rum

rum scilicet Persarum & Sabæorum, quam primum Latio donavit anno 1690. celeberrimus Jo. Clericus, quo de suo loco. Inprimis autem Stanlejus in Socratis, Platonis, Aristotelis, Stoicorum & Epicuri occupatus fuit historia, quam præ cæteris tractat. Cujuslibet autem sectæ philosophorum patriam, parentes, magistros, vitam resque gestas, discipulos item & placita, omni qua potuit diligentia exposuit. Et quia hic claudit historiam suam Stanlejus, Olearius eodem ordine Eclecticos adhuc addidit. Brevi post editum hoc opus decessit Stanlejus, comparatus ab anonymo in vita, cum Mirandulano principe, I. Pico, quod ille totidem fere cum Pico ætatis annos habuerit, totque libros scripserit elegantes, quot Picus hic, numerum ætatis annorum longe superantes. Habet etiam Stanlejus homonymos. Horum plurium opera catalogus bibliothecæ Bodlejanæ memorat.

3. Post hunc Henricus Morus, sive Moore, Cantabrigiensis Theologus & Philosophus celeberrimus, præcipuam vitæ suæ partem delineavit in operum suorum Tomo I. quorum Anglicana editio Londini lucem vidit anno 1662. f. Latina 1679. duobus volum. in forma eadem. Alius fuit Thom. Morus, celeberrimus Angliæ Cancellarius ille, Lynacri discipulus & Erasmi amicus, qui sub Henrico VIII. R. capite plexus, & a J. Cæs. Scaligero Socrates Anglicus dictus fuit, cujus opera itidem conjunctim prodierunt Londini 1566. Moros plures scriptis claros laudat Bibl. Bodl. Catal.

4. Nec tacendus Eduard. Byssæus, eques auratus, vir diligens in colligendis reconditæ philosophiæ monimentis. Is nonnullos tractatus Historiæ non inutiles uno volumine collectos dedit Londini 1665. 4. In his *Palladii* cujusdam, scriptoris antiqui, liber singularis *de gentibus Indiæ & Brachmanibus*, propter philosophiam Indorum & studia Brachmanum, legendus; quem librum jam antea politissimus Camerarius in libello Gnomologico suo, inscio fortasse Bissæo, Græce & Latine ediderat. Inprimis alia loca, quæ de Brachmanibus agunt, huic libro præmisit. Palladius autem quisnam sit, de hoc inquirunt eruditi. Nec tamen cum eo confundendus Andr. Palladius, Italica translatione operum J. Cæsaris clarus. Huic Bissæus *G. Ambrosii, Præsulis Mediolanensis tractatum de locis, doctrina, ac moribus Brachmanum* addidit, quem tamen ceu tali viro indignum, Monachi Congr. S. Mauri Benedictini, novissimæ

aa 2

mæ A. operum editioni suæ non inseruerunt. Hos sequitur cujusdam *anonymi libellus, seu descriptio de Brachmanis* antea ἀνέκδοτ☉.

5. Etiam Carolorum tempore nituit Thomas Hobbesius, sive Hobbius, Malmesburiensis, qui natus anno CIↃ IↃ LXXXVIII. & Latinis Græcisque litteris eruditus (quas etiam Thucididis editione ex Græco in Anglicum translata anno 1678. inlustravit,) animum totum ad philosophiam adplicuit, in qua ita profecit, ut sectam condiderit. Multa invenit, nonnulla tamen etiam pervertit. Hæc & ratio est, cur tantum in se concitaverit odium, ut pene omnes in unum Hobbium tunc temporis arma sua converterent. Fuerunt in his Robertus Scharrokius, Richard. Cumberlandus, Francisc. Jul. Chopius, Sethus Wardus, Sam. Strimesius, & alii, qui volumina contra ipsum ediderunt in lucem. Pugnarunt quidem pro Hobbesio magni nominis viri: in Gallia Sam. Sorberius, Marinus Mersennus, Petr. Gassendus, quibuscum in celeberrima Parisiensi Academia familiariter olim vixerat, teste Bælio, voce *Hobbes.* in Belgio porro, Lambertus Velthusius; in Germania, Jo. Christ. Beckmannus; sed ipsos multa quoque propter Hobbesium perferre oportuit. Hobbius tandem post editos multos libros acutissimos *in cœlibatu, tanquam philosophiæ studiis maxime commodo*, ut Hugenius loquitur in memoriis philosophorum, p. 115. sequ. obiit anno CIↃ IↃ CLXXIV. teste eodem. Is autem ipse tanı elumbi quodam carmine quam relatu prosaico vitam variis fortunæ casibus jactatam complexus est. Eadem cum vita Hobbesii ἀνωνυμῶς primum edita, Tomo IV. operum Hobbii continetur. hæc autem conjunctim luci exposita sunt Amstelodami anno 1668. IV. volum. in 4. Ανώνυμ☉ ista vita seorsim Careopoli anno 1681. 8. & eodem anno Hamburgi recusa prodiit forma minore, cujus præfationi subjectæ sunt litteræ R. B. nomen auctoris, scilicet *Radulphi Bathurstii* indicantes, teste Vincentio Placcio L. de Anonym. & Pseudonym. pag. 311. Partibus autem absolvitur duabus. Prima octo foliis breviter Hobbii vitam continet: altera *vitæ Hobbesianæ Auctuarium inscribitur*. In his ejus non solum fata, animi characteres & mores, verum & lites, & inimici, quos expertus est, & libri, quibus inclaruit, breviter eleganterque exponuntur. Partis auctor prioris in præfatione ad lectorem indicatur litteris J. A. quem libri hujus pagina 91. significat esse *Johann. Alberi-rum,* veluti Heumannus in de Anonym. & Pseudonym. schediasmate p. 102. seq. docet; sed istis litteris R. B. auctor auctuarii vitæ Hobbianæ

sub

sub finem præloqui ad lectorem significatur, qui laudatus *Rad. Bathurstius* est, S. Theolog. Doctor & Bathoniensis Decanus, confer eumdem citata pagina.

6. Circa ea tempora, quibus Hobbius obiit, in honore habitus est Edmundus Dickinsonius, Oxoniensis Collegii Mertonensis primo socius, post Medicus Doctor, philosophus & philologus præstantissimus. Is non prætereundus hoc loco ob *Diatribam de Noa in Italiam adventu*, quæ *Delphis Phœnicizantibus* ejus adpensa habetur, editam *Francof. 1670, 12.* in qua paucis quidem, sed erudite, de Druidum origine & nomine egit. In ea ducit originem a Samothe, qui primus omnium Celtas litteras & leges docuit, & a quo Celtarum quoque Philosophi, Medici & Theologi, antea Σαμόθεοι dicti, postea Druidæ vocati fuerunt. Ad Druidum autem nomen quod adtinet, adsentitur iis, qui derivant illud a Celtica voce *Deru*, hoc est, *quercus*, a quo vocabulo derivatur etiam vox Græca δρῦς, quercum denotans; quia olim Celtæ, moti exemplo Abrahami, qui sub quercu Mamre domicilium suum fixerat, & altare struxerat, sub ista arbore sacra sua procurabant; religiones interpretabantur, de omnibus fere controversiis, publicis ac privatis constituebant, proemia pœnasque decernebant, ut Jul. Cæs. in Comment. L. VI. scribit. Unde Druidum nomen & secta decantatissima exorta est; ad cujus opiniones, ritus atque disciplinas adcuratius cognoscendas, nobis adlegat J. Cæsaris Comm. L. VI. Plinii Hist. Nat. L. VI. cap. 44. Strab. Geogr. Lib. IV. Diod. Sic. Lib. V. Cluveri L. IV. cap. 24. de antiqua Germania.

7. Antonius Wood, qui eadem ætate claruit, laudem consequutus est elegantissimo libro, *Antiquitatum Oxoniensis Universitatis* edito *Oxonii 1674. in fol.* in quo natales hujus academiæ non solum, sed etiam viros in ea celebres descripsit, confer de hoc Struvium, in Introduct. p. 347. Edidit etiam *Athenas Oxonienses*, sive *The History of Oxford Writers, printed at London 1691. & 1692. 2. volum. in fol.* qui liber autem non ab omnibus æque laudatur. Ad historiam doctam Anglorum facit etiam *Homologia Anglicana*, qui Amstelod. jam 1620. prodiit in f. *auctore H. A.* de quo idem Struvius conferendus, cit. loco. Inprimis huc spectant ii, qui in historia & actis Societatis Regiæ consignandis operam conlocarunt, quales sunt Thomas Spratius, Henr. Ol-

denburgius, Hockius, Grevv, Plotius, Musgravius, Hallejus, Wallerus, Sloaneus, de quorum operibus nos instruit idem celeberrimus Struvius in Introd. p. 160. & seq.

8. Horum ingenio atque ætati successit Johann. Marshamus, eques auratus, chronologus ille celeberrimus, denatus anno CIƆ IƆ C LXXXV. Eruditissimum opus sub titulo: *Chronici Canonis Ægyptiaci, Hebraici & Græci* edidit *Londini 1672. in fol.* in quo etiam de studiis istarum gentium, inprimis autem de Ægyptiorum doctrina breviter, sed optime præcepit. Prodiit hoc opus etiam Franequeræ, sed minus adcurate, itemque Lipsiæ, sed Londinensis editio est rarior præstantiorque cæteris.

9. Ætate Caroli II. Regis, uti & Wilhelmi III. in honore vixit Thomas Galæus, Doctor Theologus, scholæque Paulinæ Londinensis Rector, vir in recondita veterum eruditione versatus ut nemo, quod variis monimentis editis comprobavit. Celebratam Ægyptiorum philosophiam inlustravit edito *Jamblichii de Ægyptiorum mysteriis* libro, quem *Græce & Latine cum notis Oxoniæ* dedit *anno 1678, in f.* quo inter alia Platonis doctrina, quam ab Ægyptiis primum plurima ex parte hausit, exponitur. Post hunc, opusculum *de Ægyptiorum ingeniis* edidit, quod ultimo forte ex ejus manibus exiit. Hujus in præfatione monet ipse, quod nonnullis Christianis possit esse magister. Eruditionem Græcorum Mythologicam, hoc est, fabulosam philosophiam, (quæ Ægyptiorum doctrinæ cognata erat, & a doctissimo Caselio in de ludo litterario libello, & a Boeclero in principio L. de Historicis Græcis & Latinis, ex Homeri carminibus & Orphei inprimis poematibus deducitur, quorum nonnulla fragmenta Stephanus in Poesi sua Poetica conlegit, confer Vossium de sectis C. III. §. 4. seq.) editis scriptoribus suis mythologicis ornavit, quos uno volumine conjunctos Græce & Latine cum notis edidit *Parisiis 1675, 8.* Titulus est: *Historia Poetica scriptores antiqui.* Sunt isti Apollodorus Atheniensis, Conon Grammaticus, Ptolemæus Hephæstionis F. Parthenius Nicaensis, Antonius Liberalis. His elegantissimam de scriptoribus mythologicis dissertationem præmisit, cujus in primo capite de Mythologia, ejusque specie, & de iis agit, qui fabularum apud Græcos condiderunt historiam. Fuerunt hi Agatharcides, Antiochus Mythicus, Apollonius Alexandrinus, Alexon Myn-

Myndius, Aristodenus, Chamælion, Herodoti duo, Herodorus, Evanther, Sicenus Chius, Didymus: & præter poetas Euphorion, Rianus, Leschen, Onomacritus, Archinus, Parthenius, alii. Horum omnium hodieque exstantium antiquissimum & principem facit Apollodorum, cujus etiam fragmentis nemo carere potest, qui veteres istos poetas legere cum fructu cupit. Ejus libros cum Varrone in temporum intervalla dividit tria: τῦ ἀδήλυ, μυθικῦ & τῦ ἱςορικῦ; quorum primo, τῷ ἀδήλῳ adtribuit librum περὶ Θεῶν, cujus crebra apud antiquos mentio fit, in quo, ut fragmentum docet, omnes veterum ethnicorum sententiæ de Diis, eorundem generatione & potestate explicantur; intervallo secundo, seu μυθικῷ adscribit Apollodori βιβλιοθήκην, quod non epitomen est, ut nonnulli arbitrantur, vastioris operis istius περὶ Θεῶν, sed bibliotheca eorum scriptorum, qui Græcanicas antiquitates intervalli mythici descripserunt. Discrimini temporis tertio ejus Chronicon sive Σύνταξιν χρονικὴν, tribuit, quam ab initio excidii urbis Trojanæ ad sua usque tempora deduxisse videtur; cujus liber III. Laertio, I. III. & IV. Stephano, VIII. forte Syncello adlegantur, uti supra vidimus. Inter alia, quæ Apollodoro tribuuntur, sunt ejus libri ἐτιμολογιῶν, περὶ παροιμιῶν, περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἑταιρίδων, *de meretriculis Athenienfibus*; Geographia, quam primo Vossius, sed frustra se reperisse putabat. (Sunt hi Mythologi Græci, Latinos postea edidit Thom. Munckerus, Amstelod. 1613, 8.) Galei Historiæ Poeticæ scriptoribus addenda sunt ejus opuscula Mythologica, Physica, Ethnica, apud Cantabrigienses primo, 1671. post apud Amstelodamenses edita 1688, 8. quorum series post præfationem exhibetur: inter hos sunt Palæphatus de incredibilibus, Eratosthenes in catasterismis, Phornutus, de Deorum natura, Saluslius Philosophus, de Diis & mundo, Heraclides Ponticus in allegoriis Homeri. Sextus Pythagoreus quidam, cujus sententias ex Græco in Latinum vertit Ruffinus. Hi fontes fuerunt, e quibus sua hauserunt Verulamius, in de sapientia veterum libello, Natalis Comes, in Mythologiarum libris, Boccatius in Genealogia sua Deorum, aliique generis hujus auctores. Post Orphicam istam laudatur Pythagorica, quæ uti Mythica διὰ συμβόλων, per symbola; ita Pythagorica διὰ εἰκόνων, per figuras & certa signa, docuit homines, ut Proclus in Theologia Platonis loquitur L. I, C. 4. confer Voss. de Sect. supra citato loco. Hujus mysteria ex aureis Pythagoreorum carminibus, inprimis autem ex vita Pythagoræ a Malcho

Malcho sive Porphyrio, & ejus discipulo, Jamblicho petuntur, ut monuimus aliquoties. Hæc noster uberius illustrare volebat limatiori editione, cum versione notisque vitæ Jamblichi, quem laborem merito dolemus, quando per mortem forte absolvi non potuerit. Idem sibi proposuerat *de origine & progressu philosophiæ* libellum condere, num ad usum publicum prodierit, liquido statuere nequeo, obiit enim anno CIƆ IƆ CXCVII. A Thoma Galeo distinguendus Theophilus Galeus, Theologus & Philosophus eodem tempore clarus, qui præter alia dedit Philosophiam Generalem, in qua de ortu & progressu philosophiæ egit, quam ex sacris litteris deduxit. Idem scripsit *The Court of Gentils*, hoc est, *Aulam Gentilium*, quam partibus complexus est IV. Prima de philologia agit; altera de philosophia in genere; tertia de philosophia gentili; quarta de philosophia reformata. Evolve etiam Morhof. II. 1. 8.

CAPUT XXXIII.

1. Jo. Claubergius Apologiam pro R. Cartesio & ejus philosophia scripsit. 2. H. Chr. Henninius vitam Claubergii memoriæ prodidit. 3. Joh. ab Amerpoel Cartesii placita cum Mosaicis contulit. 4. Ant. le Grand Apologiam pro R. Cartesio fecit. 5. Iac. Rondellus de Chœnice Pythagorica disseruit, idem vitam & mores Epicuri descripsit. 6. Gerh. d'Vries Cartesii vitam litteris mandavit. 7. Io. Gravius. 8. Vl. Meurerius. 9. V. Coronelli.

§. I.

EX Anglia venimus in Belgium. In eo tum Cartesii philosophia obtinuit. Hæc magnos etiam ibi motus excitavit, confer Benthems Hollændischen Kirchen-und Schulen-Staat Parte II. cap. 2. pag. 55. & seq. Inter eos, qui eam philosophiam propagare studuerunt, fuit etiam Johan.

Johan. Claubergius, primus Duisburgensis Professor, Philosophus & Theologus non exigui nominis. Hanc variis libellis inlustravit. Inter alia etiam *Defensionem* patroni sui *adversus Veniam & Cyriacum Lentulum* in se suscepit, quæ prodiit Amstel. 1652, 12.

2. Huic non immerito addendus Henricus Christianus Henninius, historiæ, eloquentiæ ac L. Græcæ in eadem Professor, qui *vitam collegæ* sui *Joh. Claubergii*, denati anno CIↃ IↃ CLXV. in litteras retulit. Hanc opera Claubergii, quæ conjunctim, emendatiora & auctiora prodierunt cura Joh. Theodori Schalbruchii, Amstelod. 1691, 4. præ se ferunt. Confer Acta Lips. ad annum 1665.

3. Johannes ab Amerpoel *Cartesium Mosaizantem* edebat Leovvardiæ 1669, 12. in quo Cartesium cum Moyse, hoc est, Cartesii placita cum Mosaicis conciliavit. Quod argumentum quoque peculiari libello quempiam Gallorum des Fourneilles pertractasse, Morhofius monet in Polyh. II. I. 15. 11. Id tentavit etiam Lud. Baufort in Κοσμοποιΐα divina. Cum Mosaica sapientia Phœnicum doctrinam confert H. Grotius in elegantissimo libro de verit. relig. Christ. II. §. 16. in notis, cum quo lege Bochartum in Geogr. Sacra L. II. C. 2. & 17.

4. Antonius le Grand, Professor quondam nisi fallor, in Academia Duacensi, laudem sibi comparabat *Apologia*, quam *pro Renato des Cartes contra Samuelem Parkerum* concinnavit, quæ *Londini* edita est 1679, 8.

5. Jacobus Rondellus, celebris Græcæ Linguæ Trajecti ad Mosam Professor, Philosophus acutissimus, *epistolicam Dissertationem sur le Chenix de Pythagore, de Chœnice Pythagorica* dedit, quam P. Bælio, celeberrimo Philosophiæ ac Historiarum Professori Roderodamensi inscripsit, editam Amstel. 1690, 12. in hac obscurum illud Pythagoræ præceptum *Chœnici ne insideas*, exponit. Erat Chœnix certum mensuræ genus, tres frumenti contylas continens, sive tantum, quantum homini ad victum quotidianum satis. Confer Caspar. Waserum de Hebræorum mensuris lib. II. C. 3. Sed vide Acta Lipsiensium ad annum 1691, p. 76. Idem postea per compendium *vitam & mores* Epicuri peculiari libello descripsit, in forma minore, edito anno 1693. in quo omnia, quæ apud Laertium, Gassendum, & alios, de hoc philosopho reperire potuit, breviter docte-

 que

que persequutus est. Copiosior tamen fuit in exponendis placitis hujus philosophi, quam in ejus vita describenda, in quibus tamen nimium favet Epicuro. Persuadet enim lectores, ipsum nunquam in dubium vocasse creationem mundi & omnem providentiam; quod tamen ille vi principii sui, quo materiam ab æterno deducit, aliter facere non potuit, confer Bælium in Dictionario suo, Tomo II. a pag. 1138. usque ad 1141. Vide Epicurum creationis & providentiæ divinæ assertorem; confer & Lohensteinium in Arminii sui Parte I. p. 617. item celeberrimi Stollii Heidnische Moral, p. 195.

6. Eodem tempore Gerhardus d'Vries, Philosophus Vltrajectinus, *Renati Cartesii vitam* exposuit, atque *Dissertationem Historico-Philosophicam de Meditationibus Cartesii a Gassendo impugnatis* edidit. Hæc Apologia pro Philosophia Cartesiana est, in qua præter alia quoque pluribus ostendit, Renati philosophiam nullas in Theologiam novitates invehere. Cum his omnibus conferatur Benthemii laudati Holländ. Kirch. und Schul-St. toto cap. 2.

7. Vel paucis memorandus Abrahamus Gravius propter *Historiam philosophicam*, quam edidit Franeckeræ 1674, 8.

8. Tandem conferre quoque potuisset ad notitiam librorum omnis ævi philosophorum Vlricus Meurerius, in *Pandectis philosophicis, sive Commentariis* suis *de scriptoribus antiquæ & novæ philosophiæ*, qui promissi fuerunt in Nouvelles de la Republique anno 1699. mensis Augusti, p. 225.

9. Neque non præstare aliquid poterit Vincentius Coronelli in Bibliotheca illa Vniversali sacro-profana, qua de videndus mensis Novembris derer Monatlichen Auszüge, p. 81.

CAPVT

CAPUT XXXIV.

1. Ol. Magnus de septentrionalium disciplinis. 2. Jo. Rudbeckius de veterum philosophorum privilegiis. 3. Collegii Antiquarii Upsaliensis institutio. Io. Loccenius de studiis hyperboreorum. 4. Io. Schefferus historiæ Pythagoricæ vindex. 5. Ge. Stiernihelm de philosophia & litteratura Gothorum veterum. 6. Pet. Lagerlöfius de Druidis. 7. Ol. Rudbeckius historiam doctam suis in Atlanticis iuuit. 8. Ernest. Benzelius vitas patriarcharum tradidit. 9. Io. Wittenius de viris philosophorum.

1.

HOc etiam ævo septentrionum filii suam in optimis litteris diligentiam probarunt. Inprimis Sveci antiquitatibus patriæ dederunt operam. Hæc & ratio est, cur ipsis peculiare caput adsignare placuerit.

Priori seculo fuit Olaus Magnus, Gothus, qui res nostras aliqua ratione iuvit *Historia* sua, quam *de gentibus septentrionalibus, earumque moribus, ritibus, superstitionibus, disciplinis, exercitiis, bellis, rebusque mirabilibus* impressam dedit *Romæ* 1555. *f.* postea que *Basileæ* 1567. in eadem forma; sed id dolendum, quod nimis credulus interdum fuerit. Traducta tamen fuit hæc historia in linguam Germanicam, Belgicam & Anglicanam.

2. Imperante Gustavo Adolpho M. memoratur Joh. Rudbeckius, Mathematum primo, dein Orientalis litteraturæ, tum Theologiæ Professor Upsaliensis, post Arosiæ Episcopus. Variis scriptis nomen sibi peperit. Inter ea libellus est *de privilegiis sacerdotum, Chaldaeorum, Magorum, Gymnosophistarum, Philosophorum & Druidum.*

est egregiis suis conatibus anno CIↃ IↃ CLXX X. præter prodromum, istum videre nihil amplius eruditis contigit. Ejus tamen operis magnam superesse partem, ex litteris a viro quodam docto ad se scriptis, Morhofius monuit in Polyh. II. 1, 2, 1. Hujus laboris etiam præcipuam partem constituit, sed qui itidem manum ultimam desiderat, ejus *Pythagoras, seu de vita Pythagoræ liber*, quem p. 175. L. de natura & constit. Philos. Ital. promisit; cui adjungi debuerunt ejus *de claris Pythagoricis* libellus, quem p. 170. promiserat; & ejus *Libri III. de Philosophia Pythagorica*, in ejus Svecia litterata p. 300. memorati. Præterea non defuit res Suecicas inlustrare. His prosunt ejus *Upsalia antiqua*, præclarum antiquitatis specimen, Upsaliæ 1666, 8. *Memorabilia Suecica gentis exempla: Laponia* inprimis, qua gentis istius res complexus est; quod eruditissimum scriptum prodiit Francof. 1674, 4. & postea in Gallicam linguam traductum par le P. Lubin, Parisiis 1678. in forma eadem, sub titulo: *Histoire de la Laponie par Jean Scheffer traduite en François*, & cætera: ejusdemque *Suecia Litterata*, quo libro celeberrimus Mollerus cum doctissimis hypomnematibus orbem cultiorem donavit 1698, 8.

5. Quantum intelligi potest, circa id temporis obiit nobilis ille Svecus Georgius Stiernhielmus, qui Systema aliquod philosophiæ & litteraturæ sub titulo: *Runa Suecica*, edere sibi proposuerat, cujus argumenti Synopsin etiam dedit. Sed merito dolendum, quod iste labor haud absolutus fuerit. Integram hanc Synopsin inseruit Morhofius tractatui suo Germanico de lingua & poesi Germanica P. I. C. 1. a pag. 11 -- 18. Prodiit tamen ejus *Antiveverianus, seu gentis Gothicæ origo & antiquissima in Scandia sedes, cum dissertatione de Hyperboreis, Holmiæ 1685, 8.*

6. Eodem loco innotuit *Diatriba* sua *de Druidis* Peter Lagerlöfius, eloquentiæ professor & Historiographus Regius, denatus anno CIↃ IↃ CXCIX. cujus liber prodiit ibid. 1689, 4.

7. Cum his quos modo vidimus, in honore fuit Olaus Rudbeckius, Medicus Professor celeberrimus, denatus Upsaliæ anno CIↃ IↃ CCIII. qui non solum rem Medicam, sed antiquitates etiam patrias scriptis inlustravit. Fuit enim is, qui *Atlantica* edidit. In iis omnium in Europa gentium moratiorum origines e Svecis deduxit. Recte an secus,

secus, nos sub examen non revocamus, id tantum monentes, eum nobis profuisse, quod in iis antiquissimorum Scytharum, Celtarum & Gothorum studia & philosophiam nonnihil exposuerit. Integer operis titulus est: *Atlantica, sive Manheim, vera Japheti posterorum sedes ac patria, Upsalia in folio*, cujus *Tomus I.* editus fuit *1675. 1679. 1684. Secundus* ibidem *1689. Tertius* ibidem *1698.* Prodiit hoc opus primo idiomate Svecico; postea vero latina veste donavit illud ejus collega, Olaus Verelius, doctissimus septentrionalium linguarum, Runicæ & antiquæ Gothicæ in eadem Professor. Hic liber cæteris in hoc argumento præfertur, nec inventu adeo facilis est. Idem dedit eruditissimum libellum, & apud nos rarum sub titulo: *Nova Samolad, sive Lapoina Inlustrata*, ibid. *1701, 8.*

In eodem Athenæo lucem vidit etiam *Historia linguæ & eruditionis Arabum 1694, 4.* auctore Gust. Peringero. Item Jo. Esbergius de mulieribus philosophantibus tractatum edidit ibidem 1699, 8. qui jungi potest cum Syntagmate Menagii de philosophis mulieribus; recusus ille postea prodiit Wittebergæ 1701, 4. Nec inutilis quoque labor foret, si quis illud Menagii syntagma continuaret.

8. Sub finem seculi atque initium sequentis usque ad annum CIↃ IↃ CC VII. Ericus Benzelius, Professor & Archiepiscopus Upsaliensis floruit, atque doctrinam primorum parentum peculiari libro *de vitiis Patriarcharum* exposuit.

9. In Livonia fuit eodem tempore Henninges Wittenius, celeberrimus Athenæi patrii Rigensis professor, qui de historia philosophica præterlapsi seculi meritus est. Hic *Diarium Biographicum*, sive *Memorias Philosophorum* condidit, quarum Tomus primus Gedani prodiit 1686, 4. Secundus Rigæ, 1691, 4. Est continuatio operis, quod supra vidimus, Melch. Adami. Confer de hoc Struvium in Introd.

CAPUT

CAPUT XXXV.

1. Io. Meursius Antiquitatum Atticarum vindex, propter subsidia ad historiam nostram commendatur. 2. H. Ernstius. 3. Ol. Wormius de litteratura Runica. 4. Mich. Meierus nonnulla dedit, quæ eruditam antiquitatem inlustrant. 5. Ol. Borrichius Medicos & Philosophos Ægyptios contra Conringium defendit. 6. Petr. Resenius quid præstitit, indicatur.

1.

E Svecia venimus in Daniam. Et hæc sub Regibus Christiano IV. & ejus filio, Friderico III. viros aluit ingenio & doctrina præstantes editisque in nostro studio libris claros.

Regnante Christiano IV. excesserat anno CIↃIↃCXXXIX. in nobili Sorana Johannes Meursius, senior, Belga, Historiarum & Græcæ linguæ in Academia primo Lugduno-Batava, dein in laudata Sorana apud Danos Professor, ætatis suæ lumen, Antiquitatis Græcæ, Atticæ tamen inprimis vindex; cui & ipsæ Athenæ, & antiquitatum studiosi omnes plurimum debent. Hic varie partem hujus eruditionis attigit atque adauxit. Ornavit eam primo libro, cui titulus: *Solon*, in quo de Solonis vita, legibus scriptisque eruditissime egit, qui prodiit Hafniæ 1632, 4. cui addendus ejus *Theophrastus*, sive liber de Theophrasto & ejus scriptis, quæ injuria temporis interciderunt; cui *lectionum* accessit *Theophrastearum libellus*, editus ibidem 1640. in 12. Elenchum deinde omnium scriptorum Porphyrii, Philosophi Platonici, Græce cum notis dedit. Tum opus singulare scripsit, cui titulum *Bibliotheca Attica* fecit, in qua auctores Athenis oriundos in quatuor libros ordine alphabetico dispositos explicavit; & alterum opusculum, quod *Bibliothecam Græcam* inscripsit, ubi eadem alphabeti serie omnium Græciæ provinciarum scriptores digestos persequitur, & eorum scripta etiam deperdita recenset labore nobis utilissimo.

lissimo. Utramque Bibliothecam, quæ Holmiæ diu in Regia Svecorum Bibliotheca conservata fuit, teste Morhofio, I. 4. 6. 17. una cum aliis Meursianis, incomparabilis Gronovius Thesauro suo Antiqu. Græcarum, de quibus infra, inseruit. Ad hæc *dissertationem* de *Philostratis*, cum Philostrati Lemnii Sophistæ epistolis nonnullis edidit. Inprimis autem vir eruditissimus Historiam Philosophicam Pythagoricam adauxit libro, qui inscribitur: *Denarius Pythagoricus*, & qui Lugduni prodiit 1631, 4. In hoc e Græcis Philosophis magno studio atque diligentia Pythagoricam numerorum formalium doctrinam, hoc est, numerorum usque ad denarium qualitatem eruit, variasque Pythagoreorum numerorum adpellationes recenset. Affine argumentum de numeris Pythagoricis inter recentiores tractavit etiam Burnetius in Archæol. Philos. L. I. c. XI. & de arithmetica symbolica Pythagoricorum confer Fabricium in Biblioth. Gr. L. IV. C. 22. §. 7. Idem *Athenas Batavas* jam Lugd. Bat. 1625. ediderat 4. in quibus inlustris Academiæ Lugdunensis Batavæ viros enarrat, & dignis eos elogiis ornat, ita, ut palmam cæteris in eo scribendi genere eripiat, juxta Schurtzfleischium. Distinguendus autem a Joh. Meursio, junior, sive filius. Confundit eosdem Phil. Labbeus in Mantissa supellectilis antiquariæ Bibliothecæ B. insertæ, p. 612. 613. Seniori nempe Arboretum sacrum, sive Libros III. de arborum fruticum & herbarum consecratione, &c. adtribuens, quos junior, filius ejus, composuit edidítque Lugd. Bat. 1642, 8.

2. In eadem Sorana fuit Henricus Ernstius, Germanus origine. Scripsit *de vera philosophia ejusque vocis abusu* libellum, in quo veterum philosophorum nonnulla placita exposuit. Prodiit *Hamburgi 1665, 8.* & præferri videtur Scheibleri libro *de vera philosophia & vita philosophica*, in quo argumentum simile pertractatum vidimus.

3. Nobilem Hafniensem ornavit eodem & Friderico III. Rege Olaus Wormius, Medicus Professor celeberrimus. Scripsit *de litteratura Runica* tractatum, cum addita *dissertatione de prisca Danorum poesi*, in quo de septentrionalium gentium litteris & doctrina disseruit. Item *contra fratres Roseæ crucis Lauream Philosophicam* contexuit, Hafniæ in 4. Pro quibus postea

4. Michael Meierus, doctissimus Holsatus, *Librum* condidit *Apologeticum*, in quo fratrum istorum originem, historiam & secretiora potissimum collegia exposuit. Plures, qui pro Roseæ crucis fratribus scripse-

ſcripſerunt, Lippenius in Bibl. Philoſ. p. 1338. enumerat. Edidit etiam Meyerus *Arcana Arcanorum, id eſt, Hieroglyphica Ægyptio-Græca Libris VI. in 4.* ſine loco & anno. Scripſit item librum *de Theoſophia Ægyptiorum*, cujus Manuſcriptum αὐτόγραφον Bibliotheca Paulina Lipſienſis adſervat, vide Mollerum in Hypomn. ad T. II. L. II. c. 4. II. Polyhiſt. Morh. p. 527. & alia plura.

5. In laudata Hafnienſi floruit etiam magni nominis Chymicus & Philologus, Olaus Borrichius, qui juſſu Friderici III. Regis contra Herm. Conringii Libros II. de Medicina Hermetica, *Diſſertationem de ortu & progreſſu Chymiæ* ſcripſit, in quo Chymiam cum Ægyptiorum Medicina & ſapientia contra iniquam Conringii cenſuram defendit, Hafniæ 1668, 4. Huic poſt quinquennium addidit *Hermetis Ægyptiorum & Chemicorum ſapientiam ab Herm. Conringii Animadverſionibus vindicatam Libris duobus*, ibid. 1674, 4. in quibus ad H. Conringii Apologeticum reſpondit, quod editioni ſecundæ operis ſupra memorati adjecerat, Helmſtadii 1699, 4. Confer ea, quæ ſupra cap. XXX. diximus.

6. Inprimis apud Danos in honoribus fuit circa finem ſeculi, Petrus Reſenius, Joh. Reſenii, Theologi, filius, Danorum Regi a conſiliis, Profeſſor idem Juris & Moralium Hafnienſis. Veterum Islandorum Danorumque philoſophiæ potiſſimum inluſtrandæ dedit operam. Hanc variis etiam ſcriptis ornavit. Sunt in iis Edda Snorronis Sturleſonii de triplici lingua. Fuit Snorro Sturla, ſive etiam Sturleſonius, νομοφύλαξ, hoc eſt, legum cuſtos & Præſes Islandiæ, ſeculo XIII. clarus, hiſtoriæque & antiquitatibus patriis deditus, qui anno 1215. veterum ſeptentrionalium fabulas ex antiquitate in unum corpus conlegit ſub titulo: *Edda Islandorum*, hoc eſt, *Philoſophia Islandorum*, confer in hanc rem Morhof. II. 2. 1. 13. In his porro ſunt *Edda Sæmundiana pars, dicta Havamaal. complexa etiam Ethicam Odini; Edda Semunda voluſpa, continens philoſophiam Danorum Norvegorumque antiquorum*, & alia. Idem *Prælectiones Academicas de origine & propagatione ethices ad noſtra usque tempora* compoſuit, quæ vero adhuc in MSto latent. Obiit P. Reſenius anno CIƆ IƆ CLXXXVIII. Plura de eo qui cupit, legat Bartolinum L. de ſcriptis Danorum, it. Vindingium in Academia Hafnienſi.

Caput XXXVI.

1. Chr. Thomasius philosophiæ cultioris vindex, ob merita sua laudatur. 2. N. H. Gundlingius moralem condidit historiam, & alia. 3. Joh. Fr. Ludovici idem præstitit. 4. Chr. Wolfius de Libris Mathematicorum, item de incremento Matheseos. 5. Io. Fr. Buddei libri commendantur. 6. B. G. Struvius historiæ litterariæ promotor, Bibliothecam Philosophicam edidit. Hanc auxit Ackerus. 7. I. Iac. Mullerus de virtutibus & vitiis philosophorum Orientalium. 8. I. Iac. Syrbius Physicam Pythagoream promisit, & de Pythagora dissertationem habuit. 9. Richardus, & 10. Zeumerus vitas professorum Jenensium ediderunt. 11. De legibus cibariis Pythagoræ, de originibus Matheseos. 12. I. Gottl. Olearius de P. Pomponatio, item de I. C. Vanino. 13. De eodem Schrammius, 14. & pro Vanino Apologiam dedit Anonymus. 15. Gottl. Stollius historiam philosophiæ moral. gentilium condidit; alia promisit. 16. Treunerus de Theologia nonnullorum gentilium. 17. V. Velthemius de laudibus scholasticorum. 18. Gottfr. Olearii documenta historiæ philosophicæ commendantur. 19. Ioh. Cyprianus fata philosophiæ Rameæ descripsit. 20. I. B. Menckenius. 21. G. Fr. Ienichenius de Spinoza. 22. I. I. Fellerus de Cynicis. 23. C. S. Schurtzfleischius de Druidis scripsit. 24. M. D. Omeisius vitam Platonis & alia perscripsit. 25. Io. Chr. Sturmius nonnullis dissertationibus clarus. 26. Moyses tanquam oceanus descriptus omnium artium. 27. Kœlerus

lerus de ratione docendi Pythagoræ. 28. V. Placcius historiam philoſophiæ moralis delineavit. 29. E. S. Cyprianus de vita & philoſophia Thom. Campanellæ. 30. Io. Andr. Schmidius. 31. Kochius. 32. Ge. Paſchius. 33. Hochſteterus. 34. Obrechtus. 35. Schilterus. 36. Vincent. Paravicini. 37. I. A. Fabricius commendatur ob Bibliothecam Græcam, in ea Ionſium emendavit, adauxit. Scripſit etiam alia. 38. I. Chr. Wolfius Origenis φιλοσοφύμενα edidit. De auctore φιλοσοφυμένων, diſquiritur, verus auctor ignoratur. 39. Io. Fr. Mayerus. 40. Guil. G. Leibnitzius. 41. Arnoldus pro philoſophis apologias fecit. 42. S. G. Starckius. 43. Vita Sam. Puſendorffii. 44. Rollius, & 45. Hagenius memorias philoſophorum dederunt. 46. G. A. Heumannus Acta philoſophica edidit.

I.

COmplectar nunc eos Hiſtoricos, qui ſeculum præſens attigerunt, hoc eſt, qui ab initio ſeculi decimi octavi, ad hoc usque temporis momentum ſub Leopoldo & Joſepho floruerunt, & qui adhuc florent ſub Carolo, hujus nominis VI. quod erit intervallum annorum XVI. Germanos ergo primum videbimus.

Inter eos principem locum obtinet ille, qui libertatis philoſophicæ vindex audit, Chriſtianus Thomaſius, vir undiquaque doctiſſimus, Juriumque conſultiſſimus. Hic primus in Academia Regia Fridericiana auditores ſuos privatim & publice, ad iſtud ſtudii genus manuduxit, quo homines ad ſaniorem philoſophiam, atque ad omnem optimarum rerum cognitionem pervenire ſoleant. Docet id ejus *Programma*, in quo ſignificaverat, ſe promiſcuas obſervationes publicaturum, ad hiſtoriam eccleſiaſticam & philoſophicam, nec non ad alias incognitas adhuc veritates & errores adhuc detegendos ſpectantes, quod vide in hiſtoria ſapientiæ & ſtultitiæ, quæ in conlectione ſcriptorum Germanici idiomatis invenitur, Halæ, 1701, 8. Idem doctiſſimi patris ſui, Jacobi Thomaſii, ſupra adlegatas

gatas *Dissertationes varii argumenti, magnam partem ad historiam ecclesiasticam & philosophicam pertinentes*, recudi fecit ibid. 1693, 8. Item illud Historicum Schediasma, hoc est, *Origines historiæ philosophicæ & ecclesiasticæ*, edidit *auctas indice in B. auctoris Meditationes MSC. varii generis*, ibid. 1699, 8. Ipse præterea tot libros composuit elegantissimos, ut eorum etiam integer catalogus confici potuerit, qui septima vice nunc Halæ repetitus invenitur anno 1714. 3. plag. Hic optime de libris ejus huc spectantibus instruere poterit. Hi autem digni sunt, quos omnes teneant. Id unicum saltem optandum esset, ut ab eodem viro φιλοσοφικωτάτῳ perfectam philosophiæ moralis historiam conscriptam haberemus. Cui tamen rei aliqua ratione subvenire voluit aurea ista *Præfatione*, quam Libris III. Hugonis Grotii, a Schutzio in Germanicam linguam anno 1707. traductis præfixit, in qua uno velut intuitu fata totius moralis doctrinæ exhibuit egregie.

2. In eadem Fridericiana floret Excellentissimus Nicolaus Hieronymus Gundlingius, qui *Primam Partem Historiæ Philosophicæ moralis* cum erudito orbe communicavit; cujus partem reliquam merito exoptant omnes, qui ejus in hoc studiorum genere eruditionem norunt. Dedit etiam lectu dignam *de statu naturali Hobbesii* dissertationem, in qua Hobbesium explicat optime. Idem Gundlingiana edit, e quibus varia ad eruditionem, historiam, philosophiam, litteraturam & Jurisprudentiam adferre solet.

3. Dignus etiam Excellentissimus Jacobus Fridericus Ludovici, qui commendetur ob *Delineationem historiæ juris divini, naturalis & p sitivi universalis, Halæ 1701, 4.* In hac juris utriusque natales, fata, nec non dissentientes doctorum veterum & recentiorum opiniones eleganter exposuit.

4. Ibi vivit etiam Christianus Wolfius, Mathematum Professor celeberrimus, societatum Regiæ Anglicanæ & Berolinensis membrum. Is notitia librorum Mathematicorum nos instruxit in Parte ultima librorum, quibus ad omnigenam Mathesin introducit. Hi prodierunt Halæ 1710. variis voluminibus 8. Et *de incrementis Matheseos inter unius seculi ambitum* peculiari *programmate* egit.

5. Proximus his est Johannes Franciscus Buddeus, celeberrimus primum Moralium & Politices in eadem Fridericiana Professor, post Theologus Doctor & Professor longe meritissimus in inclustri Salana,

na, Præceptor noster venerandus. Tot egregios libros dedit, quibus historiam philosophicam adauxit, ut iis carere nemo possit, cui solidiora sapientiæ studia curæ cordique sunt. Ejus *Introductio ad historiam Philosophiæ Hebræorum Halæ* edita 1702, 8. historiam atque scriptores philosophiæ Hebræorum, Mosaicæ videlicet, Cabbalisticæ & Rabbinicæ omnium optime tradidit. Sic & ejus *Historia Philosophica succincta delineatio*, quam Elementorum philosophiæ eclecticæ Tomo I. præmisit, fata philosophiæ & philosophorum placita breviter quidem, sed eruditissime delineavit; ita, ut nihil magis optemus, quam ut ejus *Commentationes de singulis philosophorum sectis*, quarum spem fecit, ad communem utilitatem pervenire potuissent. *Fata studii Logici* exposita stant in fronte editionis novæ libri Artis Cogitandi, qui Halæ recusus prodiit. His addimus *Historicam de peregrinationibus Pythagoræ Dissertationem*, habitam quondam *Jenæ 1692.* quam postea Analectis Historiæ Philosophicæ, Halæ editis anno 1706, 8. præfixit. In hac non tantum itinera philosophi hujus in Phœniciam, Ægyptum & Babyloniam suscepta, sed ejus etiam patriam, præceptores, & alia memorabilia exposuit; eaque occasione multa contra Marshamum, Vossium & Huetium disputavit. Dialogus ejus *de moribus philosophorum* multa eruditione refertus, prodiit ibidem 1695, 12. Præterea moralis philosophiæ inprimis inlustravit historiam. Horsum faciunt ejus *de præcipuis Stoicorum in philosophia morali erroribus Dissertationes Academicæ quatuor*, annis habitæ 1695 & 1696. quæ junctim deinde sub eodem titulo prodierunt ibidem 1696, 8. Moralem Græciæ sapientum historiam Dissertationes tradunt eæ, quæ complectuntur Ethicam Thaletis Milesii, Ethicam Pittaci Mitelenæi, Ethicam Biantis, Priemei, Ethicam Solonis Salaminii, Legum Solonis & Mosaicarum collationem, Ethicam Cleobuli, Lindii, Ethicam Periandri Corinthii, Ethicam Chilonis Lacedæmonii. Harum junctim uno volumine editarum titulus est: *Sapientia Veterum, hoc est, dicta inlustriora septem Græciæ sapientum dissertationibus aliquot academicis explicata, una cum programmate de vero & genuino philosophiæ moralis apud Christianos usu*, qui liber lucem adspexit anno 1699, 8. Ejus *Historia Juris Naturæ* una cum *Synopsi Juris Naturæ & Gentium juxta disciplinam Ebræorum* continetur in Phil. Reinhardi Vitriarii Institutionibus J. N. & G. Halæ recusis 1694, 8. Nec prætermittendæ observationes selectæ Halenses, ad rem litterariam spectantes, (confer de his In-

lustrem Struvium in Introduct. pag. 275.) quas una cum viris longe celeberrimis, Christiano Thomasio, Georg. Ernesto Stahlio, aliisque tum in Academia Fridericiana, tum alibi degentibus, inchoaverat anno CIↃ IↃ CC. His varia itidem inseruit, quibus nos adjuvit. In his inter alia Observatio exhibet Xma *Apologiam pro Pythagora contra Episcopum Worcestriensem*, (qui Londini anno superiori Chronologicam Recensionem vitæ Pythagoræ, virorumque inlustrium, qui eadem, qua Samius senex ætate claruerunt, Anglice edidit,) in qua Pythagoram ab omni injuria contra Præsulem defendit. In ea non solum multis evincit argumentis sapientissimum eum fuisse philosophum, sed probat etiam, ejus dogma de μετεμψυχώσει animorum, (quod ipsi præsertim exprobat Anglus) nec indignum esse viro philosopho. Confer de eodem Richard. Bentlejum in dissertat. de epistolis Phalaridis p. 50. 87. & quas supra laudavimus, Hambergeri Exercitationes de vita & symbolis Pythagoræ, & quas præterea adlegat præstantissimus Fabricius p. 450. & seq. in B. Gr. Hæc præcipua viri scripta, quæ ad scopum nostrum pertinent. Plura recenset integer ejus scriptorum catalogus, jam secunda vice publicatus Jenæ 1714, 8.

6. Hac etiam ætate maxima rei publicæ litterariæ incrementa dedit Inlustris ille Polyhistor, D. Burckhard Gotthelff Struvius, Saxonum Ducibus a Consiliis & historicis rebus, Juris & Historiarum Professor longe celeberrimus, Præceptor noster olim colendissimus. Quamplurima enim scripsit, quibus omnis elegantior eruditio adjuta fuit. Nostram etiam eruditionis partem adornavit inprimis elegantissima *Bibliotheca Philosophica, in suas classes distributa*, edita *Jenæ 1704. 8.* iterumque *1707, 8.* in qua nos potissimum de recentioris ævi Philosophorum libris cum additis de quibuslibet judiciis instruxit egregie. Hanc postea, quia nimis manca per tot annos facta est, ad augendam obtulit clarissimo viro, Joh. Henrico Ackero, qui supplementa in eam dedit anno 1714, 8. in quibus vel omissa, vel quæ noviter post hæc edita fuerunt, non minori diligentia quam judicio supplevit.

7. Buddeum & Struvium sequuti sunt alii in eadem Academia. Johannes Jacobus Mullerus, D. & Moralium Professor, *de virtutibus ac vitiis philosophorum Orientalium* dissertatione profuit, habita *Jenæ 1709, 4.*

Johan.

8. Johann. Jacobus Syrbius, celeberrimus & doctissimus Philosophiæ Professor, Introductionis Historicæ loco, quam præmittere voluit Physicæ suæ Pythagoreæ, elegantissimam dissertationem pro Loco Jenæ habuit, cui titulus: *Pythagoras intra Syndonem noscendus*, *1702, 8.* In ea non modo philosophi hujus ætatem, sed quæ cum Ebræis ipsi quoque consvetudo intercessit, summa diligentia exposuit. Habuit etiam Dissertationem *de sabbatho gentili* ibidem *1699.* Idem in dissertatione de Metaphysica in pristinum honorem restituenda, spem nobis fecit, singulas philosophiæ partes uno volumine edendi.

9. His addetur Bartholomæus Christianus Richardus, Academiæ Bibliothecarius, vir doctissimus, qui elegantissima *de vita scriptisque professorum hodie in eadem academia publice docentium Commentatione*, laudem promeritus est. Prodiit ea *Jenæ 1710, 8.*

10. In hoc argumento operam quoque posuit M. Johann. Casparus Zeumerus, Pastor Adjunctus Burgelensis, qui *vitas Professorum Jenensium, una cum scriptis a quolibet editis*, edidit *Jenæ 1711, 8.* qui liber in classes quatuor divisus, in prima vitas professorum Theologorum, in altera Jure Consultorum, in tertia Medicorum, & in ultima vitas quoque Philosophorum exposuit, qui ab Academiæ fundatione ad hæc usque tempora in eadem floruerunt, atque adhuc florent, confer Acta Erud. Lips. ad istum annum.

11. In eadem Jenensi Joh. Ludov. Boye, *de legibus cibariis & vestiariis Pythagoræ, earumque caussis* disputationem habuit, *1709, 4.* Item ibidem M. Joh. August. Krebsius dissertationem habuit *de originibus & antiquitatibus Mathematicis.* Est autem antiquissima pars scientiarum Mathesis, quæ, si Josepho credendum, statim post diluvium per Abrahamum a Chaldæis ad Ægyptios pervenit. Ex Ægypto eam primi ad Græcos transtulerunt Thales & Pythagoras, testibus Laertio I. 43. & Plutarcho L. de placitis Philos. I. 3. Hæc etiam caussa est, cur multis in locis corruperit philosophiam, quæ ætate inferior est ea.

12. Eodem loco M. Joh. Gottlieb Olearius, Joh. Gottfr. Olearii, Arnstadiensis, filius, dissertationibus nonnullis profuit. Is *de Petri Pomponatii vita* dissertationem habuit 1710, 4. Huic elegantissimum præfixit nummum, in Pomponatii honorem cusum; cujus pars altera Pomponatii effigiem cum his verbis refert: *P. Pomponatius. Mant. Philosophus Illus.* pars altera præsentat ovem, qui super se habet aquilam, in un-

unguibus lauream gestantem, cum verbis: *Gloria duplex.* Sub ove legendum: μελι. Hæc omnia in dicta dissertatione explicantur. Nummum ipsum cum ejusdem Ol. explicatione exhibet etiam Bücher-Saals Fünffte Oeffnung, pag. 411. seq. Confer etiam Acta Philos. Parte IV, p. 681. seq. Pomponatium præterea a culpa atheismi immunem facit, eumque argumentis ex ipsis ejus verbis & scriptis petitis non contemnendis defendit. Inter ejus discipulos præter Theophilum Folengum, Herculem Gonzagam, Paulum Jovium, Helidæum Forojuliensem, Casp. Contarenum, Simon. Portium, refert etiam subtilissimum illum Philosophum & Medicum, Julium Casparum Sebastianum, sive Vaninum, (quale nomen inlustre sibi adsumserat,) de cujus historia binas quoque dissertationes dedit, in quarum altera *de vita & fatis Vanini*, in altera de scriptis & opinionibus ejusdem disseruit, ibidem *1709, 4.* Promisit etiam has dissertationes auctiores & prolixiores.

13. Plura interim hujus argumenti conduxit Johannes Mauritius Schrammius, qui integrum libellum *de vita Iulii Cæsaris Vanini* condidit, editum *Custrini anno 1709, 4.* iterumque *Lipsiæ 1715.* In hoc genus, mores, studia & libros cum ipsa morte horrenda Vanini persequitur. Hic enim combustus fuit ob impia dogmata sua Tolosæ anno cIↃ IↃ C XIX.

14. Anonymus tamen auctor inventus est, qui *pro Iulio Cæsare Vanino, Neapolitano, Apologiam* edere conatus est, *Cosmopoli 1712, 8.* Confer Acta Erud. Lips. ad annum cIↃ IↃ CC XIII. p. 173.

15. In eadem Academia floruit M. Gottlieb Stollius, doctissimus Philosophicæ Facultatis Jenensis Adjunctus, nunc Gymnasii Ernestini Hilperhusani Director, vir in historia philosophica versatus ita, ut excellat. Hic profuit opere maxime commendabili doctissimoque, quod sub titulo: *Historiæ Philosophiæ moralis gentilium* idiomate Germanico tersissime scriptum dedit Jenæ 1714, 4. in qua historiam moralem primo Barbararum gentium, puta: Chaldæorum, Persarum, Phœnicum, Arabum, Chinensium, Indarum, Æthiopum, Ægyptiorum, Thracum, Scytharum & antiquorum Germanorum; dein Græcorum, tum Romanorum tradidit, nec tam vitam istorum Philosophorum, quam potius eorum placita & instituta exposuit, ita, ut nihil magis optemus, quam ut ejus Historie der Heydnischen Lehre von denen Geistern, item ejus Historie der Judischen und Christlichen Morale, quarum sub finem præ-

præfaminis hujus operis spem fecit, propediem lucem publicam videant. Dedit & dissertationem lectu dignam Jenæ 1712. *an Homerus fuerit Philosophus moralis?* atque alia. Idem historiam litterariam mox in lucem editurus est.

16. Sub præsidio D. Joh. Philippi Treuneri, Logices quondam Jenensis Professoris, nonnullæ quoque dissertationes *de Theologia Platonis & Aristotelis, Luciani & Ciceronis* habitæ fuerunt.

17. In eadem fuit quondam etiam Valentinus Velthemius, celeberrimus Jenensis Theologus D. & Professor, anno denatus CIↃIↃ CC. Is Scholasticos coluit adeo, ut peculiarem *Orationem de eorum laudibus* habuerit, qua eos diligentissime contra istorum hostem, clarissimum Pufendorffium defendit. In hac Theologos ita adloquitur: *Vos Venerandi Praceptores, Theologi! Vos, inquam, rogo! Vos obtestor! eloquamini per Deum, eloquamini, an Moralistarum Princeps, Thomas, Metaphysicorum Papa, Suaretz, Molina, Vasquez, Valentia, Conimbricenses, Sanchetz & D. Stahlius noster, scriptores aeternitate dignissimi, nugas duntaxat venditaverint?*

18. E Jenensi Academia ad celeberrimam Lipsiensem devenimus. Ea nunc proh dolor! decus & ornamentum amisit suum, Gottfrid. Olearium, D. Theologum & Professorem longe celeberrimum, Præceptorem nostrum Venerandum, qui historiam philosophicam documentis ornavit egregiis. Inter ea sunt: ejus *de Philosophis exosis Dissertatio*, habita *Lipsiæ 1692.* Ejus *Exercitatio*, quam *ad viri clarissimi, Leonis Allatii, Dialogum de scriptis Socratis* habuit, ibidem 1696. in qua vulgaris L. Allatii (confer ejus dissertationem, quam epistolis Socratis & Socraticorum 1637. præmisit) & aliorum, qui Socratem libros scripsisse adserunt, opinio refutatur: Ejus *de Dæmonio Socratis Dissertatio*, quam habuit anno 1702. in qua varias doctorum opiniones evolvit, atque probavit, a veritate non esse alienum, peculiare dæmonium adfuisse Socrati. Quibus addendæ binæ illæ, in quarum altera habita 1697. *Heracliti philosophiam naturalem*: in altera Γένεσιν ejus rerum naturalium exposuit anno 1701. De dissertationibus omnibus memoriæ Trevoltianæ mense May 1703. p. 377. non immerito memorant, quod *la plus part de ces Dissertations sont pleines d'une belle erudition, accompagnée d'une grande netteté*, & cætera. Post, rerum nostrarum cultoribus maxime profuit doctissimis emendationibus & notis, quibus una cum laudatis disser-

tationibus suis, (quibus addimus adhuc eam, quam *de philosophia eclectica* habuit) excepta prima illa, de philosophis exosis, elegantissimum Stanleji opus ex Anglico idiomate in Latinum translatum exornavit, quodque ante paucos annos apud nos lucem vidit. Confer Cap. XXX. Vide Clerici Bibliotheque Choisie Tome XXIII. p. 212. & 230. & Acta Philos. p. 523. seq. quæ hoc opus prolixius percensent. His adnumerari debet nitidissima *Philostrati operum* editio, qua nec limatius quicquam, nec adcuratius vidimus, ipso excellentissimo Fabricio judicante in B. Gr. L. IV. p. 53.

19. Venerandus Johann. Cyprianus, Doctor Theologus & Professor longe celeberrimus, Patronus noster colendissimus, locum inter scriptores nostros meretur ob illud *Programma*, (quo anno cIↃ IↃ CXC. d. 30. Jan. ad solemnem magistrorum renunciationem invitavit) in quo fata Philosophiæ Rameæ in Academia Lipsiensi breviter quidem, sed elegantissime delineavit. Hoc Programma videbis in supplemento Bibl. Struvianæ supra laudati Ackeri p. 25. seq.

20. Litterariam rem publicam juvat etiam quibuscunque rebus potest, Inlustris Polyhistor noster, Johannes Burckhardus Menckenius, Poloniarum Regi a Consiliis & historicis rebus, & cætera. Superiori anno libellum dedit *de Charlataneria Eruditorum*, qui a cultioribus omnibus cum plausu excipitur. Vide de hoc plura in Actis eruditorum Germ. P. XXXI. p. 650. & seq. Prodiit ille libellus bonæ frugi Lipsiæ 1715, 8. & ex Latio in Germanicum idioma traductus ibidem, iterumque Latine in Belgio cum notis variorum.

21. Gottlibius Fridericus Jenichenius, doctissimus Moralium Professor, in Parte I. Historiæ suæ Spinozismi Lehnhofiani Spinozæ vitam, doctrinam & scripta nobis delineavit.

De ortu philosophorum apud Græcos Lipsiæ anno 1695. habuit quoque dissertationem Johan. Frickius, & de Cynicis dissertatio prostat ibid. 1701. auctore R. chtero. de Pythagora disputavit Christophorus Schraderus 1708. Et *de fastu philosophico virtutis colore infucato in imagine Diogenis Cynici* elegantem dissertationem habuit ibidem 1712. doctissimus Frid. Mentzius, Facult. Philos. Adsessor.

22. Hanc Academiam decoravit quondam etiam Johan. Joach. Fellerus, vir doctissimus & poeta optimus, qui suo tempore publicas

cas *de Cynicis Praelectiones* instituerat, dignas, quæ lucem publicam videssent.

23. In celeberrima Wittebergensi Academia summus ille Polyhistor, Conradus Samuel Schurtzfleischius, die VII. Julii anno cIↄ Iↄ CC VIII. denatus, elegantissimam dissertationem sive *Diatribam de Druidis* dedit Wittebergæ 1697, 4. In hac de Druidum philosophia, moribus & institutis egit egregie. Habetur ea p. 822. Oper. Histor. Politic. Hoc argumentum de Druidis præter cæteros etiam pertractavit Joh. Fridericus Schopfius. Wittebergæ habita quoque fuit anno cIↄ Iↄ CC. Dissertatio *de Philosophia Homeri*, in qua Homerus ob philosophiam suam divinis laudibus ornatur.

24. Apud Altorfinos floruit Magnus Daniel Omeisius, qui finem laboribus suis dedit anno cIↄ Iↄ CC VIII. Is non minori plausu quam doctrina Ethicam Platonicam vulgavit 1696, 8. in qua Platonis etiam vitam descriptam exhibuit. Ethicam Pythagoricam idem tradidit ibidem 1693, 8. in qua a pag. 90---122. in aurea Pythagoræ carmina commentarium ethicum scripsit, simulque pag. 91. plures hujus carminis commentatores adlegavit. Et a pag. 123---128. explicationem decem symbolorum Pythagoricorum dedit, ubi passim ostendit, multas superstitiones hodiernas ex symbolis illis perperam intellectis suam traxisse originem. Huc etiam spectant ejus dissertationes: prima, quæ Stoicorum philosophiam moralem sobriam, eorumque placita cum Christianismo convenientia ostendit, Altorfi 1690, 4. Altera *de symbolis Pythagoricis*, habita 1702, 4. item alia, qua Ausonii Idyllium, quod *de viro bono* Πυθαγορικὴ ἀπόφασις inscribitur, & de examine morum & vitæ quotidiano agit, philologicis & philosophicis observationibus illustravit, ibid. 1706.

25. Ibi etiam excellentissimus ille Mathematicus, Johannes Christophorus Sturmius, denatus anno cIↄ Iↄ CC. brevi dissertatione *de Cartesianis & Cartesianismo* placita philosophiæ Cartesii explicavit atque defendit. Idem *de philosophia sectaria & eclectiva* peculiari dissertatione egit.

26. Eo loco habita quoque fuit sub præsidio Molleri *Dissertatio de Moyse, Philosopho*, in qua omni doctrina Ægyptiorum eruditus Moyses, & verbis ac operibus potens, Act. VII. 22. ut summus Grammaticus, Poeta, Historicus, Genealogus, Geographus, Logicus, Metaphysicus,

ficus, Mathematicus, Phyficus, Chymicus, moralis & civilis doctor laudatur. Vida del Profeta Moyfen, feu vitam Prophetæ Mofes defcripfit etiam Antonius de Fuertes, celebris Jure Confultus Hifpanus, feculi ni fallor XVI.

27. Joh. David Kœlerus, Logices & Politices Profeffor, nec non Bibliothecæ Univerfitatis præfectus, in hiftoria philofophica, Pythagorica præfertim verfatus, peculiari *Differtatione de Padantifmo didactico Pythagora ratione filentii*, non minus docte qnam utiliter egit, ibidem 1714. Confer Acta Philof. p. 725.

28. Item Profeffor Schvvartzius in auditorum fuorum gratiam *Lelii Peregrini Librum de nofcendis & emendandis animi affectionibus* cum doctiffima præfatione exornatum, recudi fecit Lipfiæ 1714, 8. In eo Vincentii Placcii *Hiftoria fuccincta ftudii ethici* comprehenfam videmus, confer Acta Erud. Germ. P. XVIII. p. 694.

29. In Academia Julia quondam Excellentiffimus Erneftus Salomon Cyprianus, vir undiquaque doctiffimus, cum ad philofophiæ munus eo vocareretur, programma aufpicale de philofophia Thomæ Campanellæ concinnaverat. Id poftmodum auctius anno cIↃ IↃ CC V. apud Amftelodamenfes recudi fecit fub titulo libelli: *de vita & philofophia Thomæ Campanellæ*, 8. quod elegans opufculum in capita quinque divifit; in primo de philofophi vita, ftudiis & fatis egit: in altero variorum eruditorum judicia de Campanella collegit: in tertio de Theologia & Magia, in quarto de ejus philofophia, in quinto de libris Campanellæ tractat, quos amici ejus cum erudito orbe communicarunt. Ipfe enim doctiffimo Cypriano referente p. 27. pauca edidit. Et quanquam Arnoldus in Hiftoria fua ecclefiæ & hæreticorum P. II. C. 8. §. 43. f. 84. ejus opera, quæ fparfim antea, & fingulatim edita fuerunt, conjunctim emiffa memorat; major tamen fides habenda Cypriano, qui pag. 63. monet, Campanellam quidem Parifiis anno cIↃ IↃ C XXXV. opera fua conligere cœpiffe, quæ redigere in Tomos voluerit X. fed eorum tantum primum prodiiffe cIↃ IↃ C XXXVIII. apud Joh. du Bray fub titulo: *Thomæ Campanellæ Styli Ordinis Prædic. Philofophiæ rationalis Partes V. videlicet Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Poetica, Hiftoriographia, juxta propria principia fuorum operum Tomus I.* (quem unicum Tomum Cyprianus celeberrimus ipfemet poffidet) An cæteri lucem viderint, adfirmare non audet.

30. Vt

30. Vt cæteri integris libris, ita nonnullis dissertationibus magnam laudem inter nostros retulit, qui eandem Juliam ornat adhuc, D. Johan. Andr. Schmidius, Mariavellensis Abbas. Ejus *de Anaxagora & ejus Physiologia* Dissertatio, habita ni fallor, anno 1668. Philosophi istius & vitam & dogmata, quæ Laertius nimis confuse tradidit, justo exposuit ordine. Cui jungenda illa, quam *de Anaximenis vita & physiologia* inscripsit, in qua pariter hujus philosophi placita conlegit, atque ostendit, nec inter minimos moralium doctores Anaximenem esse referendum. Neque non huc referri potest ejus *de Seneca ejusque Theologia* Dissertatio, habita adhuc *Jenæ 1668*. Item illa, quam *de Theologia Hippocratis* dedit, qua probavit, Hippocratem, Medicorum Græcorum principem, naturalis Theologiæ fuisse intelligentissimum, & necessariis ad eam quoque doctrinis, puta: Logica, Metaphysica, Physica, & Mathesi fuisse instructissimum.

In eadem Academia quoque D. Joh. Georgius Niemeierus *de Aristotele ejusque philosophia* dissertationem habuit *anno 1703, 4.*

31. Forte nobis profuit etiam Cornelius Dietericus Kochius, Logices in eadem Julia Professor, dissertatione illa, quam *de Poetarum moribus* inscripsit.

32. His, qui ex instituto res philosophicas mandarunt litteris, addidimus etiam eos, qui data tantum occasione id egerunt. In his fuit in celeberrima, quæ Kilonii floret Academia, Georgius Paschius, denatus anno CIↃ IↃ CCVII. d. XXX. Sept. qui librum maxime commendabilem *de variis modis tractandi moralia* dedit Kilonii 1707, 4. In hoc introductio est in rem litterariam moralem veterum sapientiæ antistitum, in qua multa lectu digna & jucunda tradit, primo de Socrate, Platone & Academicis; dein de Aristotele & Peripateticis; tum de Zenone & Stoicis, Cynicis & Cyrenaicis Philosophis; quarto de Pythagora & ejus sectatoribus, quinto de Epicuro ejusque adseclis; postremo de Pyrrhone & Scepticis. Idem elegantem libellum de inventis novis condidit, ad historiam doctam utilissimum.

33. In Academia Tubingensi floret celeberrimus Andr. Adamus Hochstetterus, cui nec sua laus deneganda propter brevem *Historiam* illam *Philosophiæ Practicæ*, quam collegio suo Pufendorffio inseruit. Simile quid sibi proposuit Barbeyracus in præfatione operis Pufendorffii, quod ex Latio in Gallicum traduxit idioma. In hac etiam

brevem historiam Philosophiæ Practicæ dedit, in qua potissimum moralium doctorum vitia notavit. Breve Compendium historiæ moralis dedit & Henr. Julius Scheurlius, in quo fata morum doctrinæ a Pythagora usque ad ætatem Baethii deduxit, eaque occasione multorum doctorum moralium, & ethnicorum & Christianorum mentionem fecit. Illud exhibet ejus Bibliographia Moralis, Helmostadii ex editione iterata 1686, 8. in qua libri ethici enumerantur præcipui: veluti ante ipsum politici in libello simili recensentur a Gabr. Naudæo. Cum his etiam jungi potest D. Reichii succincta Introductio ad Partem primam Philosophiæ Moralis Jo. Fr. Buddei, qua universa Ethices Historia a mundi incunabulis per omnes Philosophorum sectas & ætates, usque ad nostra tempora exhibetur.

34. In Regia Argentoratensi obiit anno cIↃIↃCCI. Inlustris Vlricus Obrechtus, Prætor Regius, qui elegantissimam *de Philosophia Celtica Exercitationem* edidit, Argentorati, 1676. in 4. Hæc postmodum in volumine dissertationum ejus locum XIII. occupavit. Quod volumen cum præfatione celeberrimi Argentinensis Oratoris prodiit, 1704, 4. Idem meliorem Jamblichi de vita Pythagoræ versionem adornavit, quam paullo ante obitum prælo subjecit anno 1708. Nec minus lectu digna est ejus de vera philosophiæ origine Dissertatio, habita ibidem 1670.

35. Huic in feliciori vita successit anno cIↃIↃCCV. Johannes Schilterus, Coryphæus ille Jure Consultorum Germanorum, qui quondam elegantem *de Disciplina Pythagorica Diatribam* conscriptam, dedit ad Gellii Noct. Attic. L. I. C. IX. in qua breviter quidem, sed erudite argumentum de secta & dogmatibus hujus Philosophiæ persequutus est. Hæc postea sub finem Manuductionis ejus Philosophiæ Moralis ad Jurisprudentiam juncta est, recusæ Jenæ anno 1676, 8. In hoc tamen argumento longe præfertur ipsi supra commendatus Schefferus. In citatum Gellii Caput exstant quoque Philippi Caroli Animadversiones, in quibus de silentio Pythagorico diversæ eruditorum conjecturæ proferuntur.

36. Commemorandus etiam Vincentius Paravicinus, Gymnasii Basileensis Conrector, cujus exstant *Singularia de viris eruditione claris, Basileæ 1713, 8.* In his varia notatu digna de iis inprimis, qui Medicinæ, Philo-

Philoſophiæ & humaniorum litterarum laude claruerunt. Sunt centuriæ tres, quas ſpeciminis loco aliis ſubſequuturis præmiſit.

37. Inprimis apud Hamburgenſes eminet his temporibus Johannes Albertus Fabricius, Lipſienſis patria, Doctor Theologus ibidem & Profeſſor, Polyhiſtor egregius. Hic, quum apud Lipſienſes adhuc degeret, inter alia *de Platoniſmo Philonis, Judæi*, (de quo Jonſ. videndus cap. III.) brevi ſed pereleganti *Exercitatione* egit, quam Jonſio noſtro oppoſuit anno *1693, 4*. Idem *Marini* Librum *de vita Procli*, altera parte, *de virtutibus Procli Theoreticis & Theurgicis*, cum verſione nova, notiſque brevibus, & elencho ſcriptorum a Proclo editorum edidit locupletiorem Hamburgi 1700, 4. Mirum autem in modum vir excellentiſſimus omnem hiſtoriam litterariam inluſtrat in egregio iſto (non libro ſed) Theſauro, qui *Bibliotheca Græca* inſcribitur, & voluminibus jam continetur VI. quorum ultimum prodiit 1714. In hac præter alia etiam antiquiorum philoſophorum Græcorum res & ſcripta tanta expoſuit eruditione, dexteritate tanta, ut nihil ſupra. Ea inde occaſione Jonſium pluribus in locis emendavit atque adauxit. Continetur in ea etiam modo dicta Exercitatio. Ad hæc Brachmanum hiſtoriam in elegantiſſima *de Brachmanibus*, Indorum philoſophis, *Diſſertatione* tradidit, anno 1708. Inprimis optandum, ut illud Syntagma ſingulare, quod de vita, philoſophia & ſcriptis Empedoclis Philoſophi, L. II. B. Gr. Cap. XII. §. 8. ſeq. & nuper promiſit, propediem cum orbe cultiori communicetur. Taceo cætera viri eruditiſſimi ſcripta, quia ab omnibus politiſſimis ingeniis leguntur.

38. Celeberrimo Fabricio addendus doctiſſimus Johan. Chriſtophorus Wolfius, Lingu. O. O. ejuſdem Gymnaſii Profeſſor, qui laudem conſequutus eſt *Hiſtoria Philoſophica antiquæ Compendio*, quod dedit Hamburgi 1706, 8. Continet illud autem *Philoſophumena*, ſub *Originis* nomine circumlata, edita primum ex Codice Bibliothecæ Mediceæ a viro clariſſimo, Jacobo Gronovio, in *Theſauro Antiquitatum Græcarum*, Tomo X. His autem non male titulum adtribuit Hiſtoriæ Philoſophicæ, quia pars prima, (duæ autem conſtituuntur) potiorum ſectarum placita percenſet; altera errores exinde hæreticorum derivatos perſequitur. Utramque eruditiſſimis notis exornavit, quæ vel textum Græcum dilucidant, vel placita philoſophorum exponunt. Cui prolixam diſſertationem præfixit, in qua contra Huetium, Galæum, & Gronovium de

de auctore libelli disputat, eumque cum eruditissimo Menagio, in variis ad Laertium notatum, & celeberrimo Dupino in Responsione Tomo VI. Bibliothecæ novæ subjuncta, dubios inter atque incertos auctores ponit. Didymo adtribuit illa Philosophumena doctissimus Chr. Aug. Heumannus, confer Acta Lips. ad annum 1710. p. 165.

39. Apud Hamburgenses dedit etiam celeberrimus Johannes Fridericus Mayerus, *Dissertationem; an Pythagoras Iudæus fuerit Monachusve Carmelita?* Hamb. 1700, 4. Confer Acta Erudit. Lipsiens. ad annum 1696. p. 502, confer & celeberrimum Joh. Clericum in Bibliotheque Choisie Tome X. p. 163. & seq. ubi negat aliquas a Judæis doctrinas accepisse Pythagoram. Pro Carmelita eum habuerunt hujus ordinis monachi, sed vide eruditissimi Papebrochii Responsionem contra P. Sebastianum a S. Paulo in Actis laudatis ad dictum annum, citato loco.

40. Nec præteriri fas est is, qui thesaurus omnis eruditionis adpellari meruit, Inlustris Guil. Gottfr. Leibnutzius. Hic enim notata quædam ad vitam & doctrinam Cartesii edidit, quæ excellentissimus Christ. Thomasius Tomo II. Historiæ suæ sapientiæ & stultitiæ inseruit, a p. 113. usque ad 112.

41. Minime silendus hoc loco doctissimus Gottofredus Arnoldus, qui in Historia Ecclesiæ & Hæreticorum (in Parte II. præsertim) potiorum recentioris ætatis Philosophorum vitas exposuit, & pro iisdem nec improbandas sæpe apologias confecit. Prodiit hoc opus satis superque notum jam Lipsiæ 1700. f. Pars prima Historiam orditur ab initio novi fœderis usque ad annum CIↃ IↃ. pars altera a dicto anno usque ad annum CIↃ IↃ C LXXXVIII. Contra hoc opus scripserunt Veilius, D. Theologus Vlmensis, Ern. Salomon Cyprianus, & alii.

42. Inter historicos nostros referendus etiam Sebastianus Gottfr. Starckius, Misnensis, qui *Specimen* dedit *Sapientiæ Indorum veterum Græco-Latinum*, hoc est, Librum ethico-politicum pervetustum, (cui nomen alias Kelile Wadimne) nunc primum ex MSto Codice Holsteniano Græco, cum versione nova Latina, Berolini 1697, 8. Qui liber plenus est prudentiæ & doctrinæ politicæ & moralis. Prodiit etiam Germanice, ut editor in præfatione monet. Auctor autem hujus Manuscripti dicitur fuisse Rex Indorum Vtus Isamus; sed Tentzelius illud pro fragmento habuit sancti operis Indiani, quod Veda vocant.

43. Nunc

43. Nunc dicendus etiam auctor, qui vitam viri summi, Samuelis Pufendorffii, delineavit. Est is Petronius Hartevvig Adlemansthal, qui eam dedit libello Germanico, adjecto L. Severini de Monzambano, e Latio in Germanicum traducto, Lipsiæ 1710. Inscribitur: *Vita, fama, & fata litteraria Pufendorffiana, oder denckwürdige Lebens-Memoire des weltberuffenen Herrn Autoris, worinne dessen seltzame Fata, und considerable Handel, welche er mit denen Gelehrten gehabt, &c. vorgestellet werden.* Pleniorem descriptionem reservavit in aliud tempus.

44. In historia philosophica non nuda solum principia historica, sed inprimis etiam philosophica quærimus, ut, sicuti juxta illa veritatem rerum gestarum, ita secundum hæc earum caussas dijudicare possimus. Huic in instituto egregie inserviunt *Acta Philosophorum, oder Gründliche Nachrichten aus der Historia Philosophica, nebst beygefügten Urtheilen, dahin gehœrigen alten und neuen Büchern*, quæ eum in finem vir longe doctissimus C. A. Heumannus anno superiori edere cœpit. In his autem sibi non proposuit integram & suo numero absolutam historiam condere, sed eam tantum per partes, modo ex veteri, modo ex recentiore historia, cum additis etiam scriptoribus ad historiam philosophiæ & philosophorum facientibus perlustrare, ut aliquando perfectius aliquod historiæ philosophicæ opus ex iisdem confici possit. Idem vir doctissimus de philosophorum, maxime Stoicorum αὐτοχειρία dissertationem habuit Jenæ 1703, in 4. & 8. item, *de vita & philosophia Epicteti*, ibid. 1703.

45. Reinhard. Henr. Rollius, Westphalus, *Philosophorum, Oratorum, Poetarum, Historicorum, & Philologorum memorias a Lutheri Reformatione ad nostra usque tempora Rostochii* edidit 1710, 8. Simile quid dedit

46. Frideric. Casp. Hagenius. Hic eodem anno *Memorias Philosophorum, Oratorum, Poetarum, Historicorum & Philologicorum* nostræ ætatis clariss. edidit in forma eadem. De utroque vide die XI. Oeffnung des Bücher-Saals, p. 828.

CAPUT XXXVII.

1. Joh. H. Beckerus de rebus gestis patris sui. 2. H. L. Benthem historiam doctam Belgii delineavit. 3. P. Bælius Lexicon Vniversale dedit. 4. Adr. Bailletus vitam Cartesii & magno volumine, & compendio complexus est, hujus libri fata. 5. Iac. Gronovius. 6. Io. Clericus. 7. Fr. Halma vitam Spinozæ impressam dedit, de eadem 8. Ioh. Colerus. 9. Mons. de Larrey dedit l'histoire de sept sages. 10. Meuschenius de Cynicis. 11. M. Rossal de Epicteto.

1.

IN Belgio circa finem seculi post Cartesium motus nonnullos excitaverat Balthasar Beckerus, denatus anno cIɔIɔCXCVIII. Hoc defuncto filius, Joh. Henricus Beckerus, librum Belgico idiomate edebat: *Das Sterbe-Bett von D. Balthasar Beckern, oder kurtzer Bericht, wie er sich in seiner Kranckheit aufgeführet*, impressum *1694*. in quo non solum patris obitum, sed vitam quoque & historiam cum variis rebus notatu dignis descripsit. Fuit autem Balthasar Beckerus vir Theologiæ & cultioris philosophiæ laude clarus. Is libro innotuit edito Leovvardiæ 1691 in 4. sub titulo: *De Betoverde Wereld of Ondersoek van 't gemeen gevoelen, aengaende de Geesten*, (confer Benthemii laudati Holländischen Kirch- und Schulen-Staat, p. 110. seq.) in quo id potissimum egit, ut virtutes istas, quas vulgus hominum dæmonibus adtribuere solet, nullas esse ostenderit. Igitur, quum liber iste multum Beckero facesseret molestiæ, & fama tandem exiret, ac si Beckerus paullo ante extremum vitæ halitum sententiam suam mutasset; filius eum supra laudato libro defendit, atque aperte profitetur, sententiam suam nunquam mutasse patrem, sed candem abhinc annis XXV. usque ad finem mortis constantissime retinuisse, cujus in testimonium ipsa quaque verba adducit, quæ in ultima mor-

mortis hora ad circumstantes fecerit. Editæ postea fuerunt *Nœthige Anmerckungen über solches Sterbe-Bett, Haga Comitum 1698, 4.* Item litteræ ad auctorem harum observationum; iterumque *das vertheidigte Sterbe-Bett*, scriptum duabus comprehensum epistolis, Amstelodami 1699, 4. Hæc omnia autem idiomate Belgico prodierunt. Plura, quæ contra B. Beckerum edita fuerunt, adducuntur in Benthems H. Kirch- und Schulen-Staat, p. 110. it. p. 739. seq. Quibus addimus illud, quod ab anonymo in forma minore prodiit 1699. sub titulo: *Idée generale du systeme du Mr. Becker, touchant les demons, &c.* Quo de libro autem quid sentiendum, colligitur ex eo, quod inter alia ethnicorum oracula a dæmonibus deduxerit; quæ tamen sententia nimis obsoleta & absurda est.

2. Augebit & numerum modo laudatus Henr. Lud. Benthemius, ob librum elegantissimum *den Holländischen Kirchen- und Schulen-Staat*, qui *Francofurti* & *Lipsiæ* prodiit *1698, 8.* in quo præter alia, Parte II, cap. II. fata philosophiæ Cartesianæ in Academiis Belgicis descripsit. Simile quid præstitit im Englischen Kirchen- und Schulen-Staat, *Luneburgi 1694, 8.*

3. Annus postea CIↃ IↃ CC VI. morte virorum optimorum Bælii & Bailleti funestus fuit.

Petrus Bælius, fuit origine Gallus, confessione reformatus, fortuna exul, studiis Philologus & Philosophus. Hic orbem cultiorem donavit elegantissimo isto *Dictionaire Historique & Critique*, quod Roterodami 1696. & longe auctius ibidem prodiit *1702. III. volum. in folio.* In eo secundum alphabeti ordinem præter alios viros doctos atque inlustres, philosophos inprimis etiam exposuit ita, ut multa sæpe singularia de ipsorum doctrina, sectis, dogmatibus & vitæ ratione tradiderit. Plura de hoc Struvius docet in Introductione. Vita Bælii in Anglia prodiit anno 1710. Pleniorem vero descriptionem in Belgio curabit nunc Monsieur des Mezeaux, quo eum multa jam communicavit Bruovierius, qui litteras a Bælio relictas hæreditate accepit.

4. Adrianus Bailletus, Belga, Criticus insignis, præ cæteris de vita Cartesii meritus est. Hanc suppresso nomine edidit Gallice, *Parisiis 1691, 4.* Sed auctorem facile detexerunt Lipsienses in Actis Erud. ad annum 1692. p. 289. Vastum volumen ille liber constituit: eo enim plenissimam vitæ Cartesianæ descriptionem concinnare voluit. Ipse enim

enim in præfatione monet, ea omnia, quæ de Cartesii vita hactenus alii tradidissent, imperfecta, & nuda tantum fuisse fragmenta. Is autem non modo ex aliorum libris, verum & ex ipsius Cartesii scriptis, epistolis inprimis, tam impressis quam manuscriptis, immo ex ipsorum hostium Cartesii operibus omnia congessit ita, ut cum virtutibus simul nævos Philosophi exposuerit, adlegatis simul ad marginem auctoribus, quos in historia sua scribenda sequutus est. Inprimis operam dedit, ut ab omni atheismi culpa Cartesium exemerit. Hinc ipsum pro orthodoxo, Christiano & Catholico habet. Laudandum etiam, quod aliorum philosophorum & eruditorum, qui Cartesii æquales fuere, mentionem fecerit, eorumque vitas, fata, & obitus simul enarraverit. Plura videbis in Actis Erud. Lipsf. c. l. Volumen istud utili postea consilio compendio complexus est hoc sub titulo: *La vie de Mr. des Cartes reduite en abregé, sive vita Cartesii in compendium redacta*, ibidem 1693, 12. in quo eundem & librorum & capitum tenuit ordinem. Hoc ex idiomate Gallico in Belgicum traduxit Broukhusſenius. Titulus est: *T' Leven van den Hr. Descartes, behelsende de Historie van syne Wiisbegeerte en syne andere Werken: geliik ook 't geen hem 't aanmerkelykst, geduurende den loop van syn Leven, is wedervaren. Vit het Fransch in 't Nederduitsch gebragt, Amstelodami, 1700, 8.* Enimvero uti nullus forte recentiorum scriptorum deteriorem in edendis libris expertus est fortunam, quam Bailletus; ita & hic liber non modo prohibitus, verum & ab inimicis ejus vehementer impugnatus fuit. Anno 1692 contra ipsum edebantur *Haga Comitum Reflexions d' un Academicien sur la vie de Mr. Descartes, envoyée à un de ses amys en Hollande*, quæ impressæ fuerunt in forma minore. In his Bailletus mirum in modum perstringitur. Inter alia objicitur ipsi, quod inutilia multa, & sæpe res nullius momenti de Cartesio consignaverit. Anno sequenti contra eumdem publicabantur Vltrajecti in forma eadem: *Nouveaux Memoires pour servir à l' histoire du Cartesianisme*, hoc est, *Memoria ad historiam Cartesianismi spectantes, par M. G. de l' A. St.* Plura ni fallor de his docet Melange Critique de litterat. du Monf. Ancillon.

5. Nec sua deneganda laus præstantissimo Jacobo Gronovio, qui in incomparabili Thesauro Antiquitatum Græcarum Historiæ Philosophicæ nonnulla conservavit monimenta. In his Tomo X. *Origenis Philosophumenῶν fragmentum*, quod primus ductu Lucæ Holstenii ex Co-

Codice Bibliothecæ Medicео-Laurentianæ restituit: *Guilielmi Morelli Tabula Compendiosa* supra a nobis laudata, *quibus Davidis Chytræi Tabula Philosophica, sive series Philosophorum & secta eorum præcipua a Thalete & Socrate inprimis, usque ad Ciceronem deducta accesserunt.* Quo volumine etiam continentur *Johan. Meursii Bibliotheca Græca Lib. III. p. 1181.* ejusdemque *Bibliotheca Attica, sive de antiquis scriptoribus Atticis, & eorum operibus Libri IX.* p. 1193. Leon. Allatii de patria Homeri Liber p. 1553. ejusdemque: Homeri Natales Græce, cum interpretatione Latina Andreæ Bajani, pag. 1853. qui volumen claudit. de reliquis tacemus.

6. Nec silendus Franciscus Halma, Bibliopola, qui *Benedicti Spinozæ vitam*, e P. Bælio (qui eam omnium optime in Dictionario suo delineavit) in idioma Belgicum versam atque separatim impressam dedit. Confer Bibliothecam nov. librorum, conlectam a Neocoro & Sikio Tomo III. anno 1698. p. 536. in qua etiam ejus confutatio dogmatum Spinozæ, velut in compendio legitur. Cum his tamen lege Nouvelles de la Republique des lettres, mens. Jun. anno 1684. p. 358. Benedictus autem Spinoza sporcissimus iste homo fuit, doctrinæ & philosophiæ Christianæ hostis, qui natus Amstelodami anno CIↃ IↃ CXXXII. ex Judæo Christianus (nomine potius quam fide) factus est, & libros condidit, in quibus non nisi virulenta semina atheismi sparsit. Hujus generis sunt ejus tractatus Theologico-Politicus, sive de libertate philosophandi in Theologicis scriptum, inprimis ejus ethicus liber, (de quo præsertim Bælius evolvendus) cum quibus junge litteras ejus, præ cæteris 2. 3. 4. Contra ipsum tamen scripserunt Joh. Conr. Durrius, Jac. Thomasius, item Joh. Musæus, Henr. Morus, Wittichius, Velthusenius, Petr. Bælius, alii. Ipse Spinoza etiam Apologiam pro Apostasia sua a Judaismo fecit Hispanice, sed impressa nunquam fuisse dicitur. obiit CIↃ IↃ CLXXVII.

7. Eruditorum Belgarum princeps est Johannes Clericus, Philosophiæ & S. linguæ apud Remonstrantes Amstelodami Professor, natus Genevæ anno CIↃ IↃ CLVII. die XIX. Martii. Historiæ Philosophicæ profuit *Historia Philosophia Orientalis*, quam primus ex Anglicana editione Stanleji in Latinum versam notis & elegantissimis observationibus instructam *Amstelodami* dedit *1690, 8.* huic adduntur Zoroastris oracula, doctissimis itidem notulis ornata, cum indice philologico, qui textum Stanleji inlustrat egregie. Cunctam deinde Historiam Orientalis

lis Philosophiæ una cum notis operum philosoph. suorum Tomo II. inseruit, ut cætera viri scripta taceamus. Descriptionem vitæ Clerici editioni Lipsiensi operum Cler. præmisit Gottl. Fr. Jenichenius.

8. Cui vero jungendus ille Anonymus, ipsi Clerico familiaris a puero, qui locupletiorem vitæ Clerici Historiam conciso sed eleganti libello dedit. In hoc ejus non modo vitam litterariam, hoc est, studia, fata, discrimina, & lites cum aliis hujus ævi doctis descripsit, sed ejus etiam scriptorum, quibus orbem donavit, historiam usque ad annum cIↃ IↃ CC XI. perduxit. Hæc eodem anno Amstelodami lucem adspexit in 12. Alius est Daniel Clericus, Medicinæ Doctor, & rei publicæ Genevensis senator, cujus prostat historia Medicinæ Gallice conscripta, & ad Galenum usque deducta, quæ Amstelodami edita est.

9. Locum inter Belgas adsignamus etiam viro inlustri de Larrey, qui præter alia multa cum industriæ laude stylo suo depinxit *L' histoire des sept sages, Roterodami 1713, 8.* In hac ad Plutarchi exemplum septem sapientum istorum convivium, apud Periandrum Corinthi, descripsit. Inprimis eorum sapientum characteres, vitæ regulas & doctrinas, quibus barbaros olim instruxerunt, exposuit. Confer pluribus Acta Erud. Germ. P. XV. p. 273. & seq.

10. Hagæ Comitum floret Joh. Gerhardus Meuschenius, Professor olim Philosophiæ Kilonii, qui Kilonii adhuc *Dissertationem de Cynicis* dedit, 1703, 4.

11. Michael Rossal *Disquisitionem de Epicteto, Philosopho Stoico, Groningæ* dedit *1708, 8.* In hac contra nonnullos probavit, Epictetum non fuisse Christianum. Licet enim fatendum, varias in ejus enchiridio sententias christiano homine dignas reperiri; negari tamen nequit, etiam passim inveniri nonnulla, quæ christianum hominem minime deceant. Recensionem hujus libri continet Act. Erud. Lips. supplem. T. IV. p. 309. Nonnulla in hanc rem communicat etiam Abraham. Berckelius, in præfatione ad lectorem, Epicteti Enchiridio & Cebetis Tabulæ præmissa, cujus editio prodiit Delphis Batav. 1683, 8. Post dictam præfationem reperitur etiam vita Epicteti, breviter quidem sed eleganter descripta, una cum aliis de hoc philosopho judiciis.

Caput

CAPUT XXXVIII.

1. Thomas Burnetus. 2. Lloydius vitam Pythagoræ descripsit, sed confutatur a Buddeo. 3. B. Whitelockius, defensor Pythagoræ. 4. Th. Hydeus dedit historiam religionis Persarum veterum, & alia. 5. Prince. 6. R. Bentlejus. 7. H. Doduvellus, sive Luduvellus. 8. Petr. Needham. 9. Batesius & 10. Th. Smith. 11. Anonymus de vitis Philosophorum in Anglia.

1.

THomas Burnetus, Theologus & Philosophus, innotuit *Theoria telluris sacra, originem & mutationes generales orbis nostri, quas aut jam subiit, aut subiturus est, complectente, &c. Londini 1681, 4.* Sacram inscripsit hanc Theoriam, quia secundum Scripturæ ductum adornavit eam. Ita enim monet in præfatione ad L. hanc Theoriam sacram appello: cum telluris physiologiam communem non respiciat, sed majores mundi nostri vicissitudines, quarum Sacra S. meminit, & cætera. Ita tamen omnia explicavit, ut etiam rationem consuluerit. Auctior postmodum prodiit hic liber, addita *Archæologia Philosophica, seu doctrina antiqua de rerum originibus*, *Amstelodami 1699.* in forma eadem. Vterque liber eleganti stylo, summoque ingenio scriptus est, & historiam ultimæ reconditæque philosophiæ, naturalis tamen potius, inlustrare potest egregie. Optandum modo esset, ut simile quid in morali veterum doctrina tentavisset. Expertus quidem est adversarios suos, quia multa de creatione scripturæ sacræ adversa proposuisse visus est, sed eum paucissimi solide confutarunt.

2. Cl. Lloydius, Asaphensis Episcopus, *vitam Pythagoræ* exaravit, editam *Londini anno 1699.* in qua Pythagoram propter doctrinam de Metempsychosi vehementer traduxit. Sed confutatus fuit a venerando Buddeo in Tomo II. Observationum Hallensium, Observatione X. Confer ea, quæ supra diximus.

Huic

3. Huic comes jungitur Bulstrodius Whitelockius, qui *Pythagoram defendendi*, quantum ad idem illud dogma de metempsychosi, *tentamen* edidit, Anglice *Londini 1692, 8.* vide Acta Erud. Lipf. ad annum 1693, p. 5.

4. Thomas Hyde nos edito *Bibliotheca Bodlejana Catalogo* juvit. Huic, velut ipse in præfatione fatetur, novem impendit annos. Scribit enim: *Sic tandem absolutum est novennale opus.* Oxoniæ prodiit anno 1674. in f. Hujus catalogi emendatiorem & auctiorem editionem promisit celeberrimus Joh. Hudsonius. Post, res philosophicas ornavit elegantissimo opere, quod dedit ibidem *1700.* sub titulo: *Historia Religionis Persarum, eorumque Magorum*, in quarto. Religionis inscripsit historiam, quia veteres sapientiam in religione versari suspicabantur. Ita enim Christianorum Tullius, Lactantius, L. de vera sapientia, Cap. 2. Hoc autem libro antiquam & reconditam istam eruditionem exposuit egregie. Primum religionis Persarum auctorem & conditorem Cap. III. facit Abrahamum. Capite XXIV. vitam exposuit Zoroastris. Vti autem obscura est historia de Zoroastribus, incertaque non minus vocis origo & ratio, variorum auctorum super hoc argumento sententias adducit; quibus tandem explosis ejectisque, rem in dubium vocat. Is ergo unicum Zoroastrem descripsit; num autem talis sit, qualis ab eo depingitur, videant eruditi. Forte non aberrabunt, qui dignitatis alicujus nomen id fuisse putant: memorantur enim variarum gentium Zoroastres: Chaldæorum, Bactrianiorum, Medorum, Pamphilorum, Proconnesiorum, conf. Stanlej.

5. Johannes Prince edidit *The Worthies of Devon*, hoc est, *Damonios Orientales inlustres, Exonii 1701. in f.* in quo juxta alphabeti ordinem, præter vitas Theologorum, Politicorum, militum, & Medicorum, Philosophorum quoque nonnullorum in Devonia genitorum vitas & fata descripsit, Confer, si placet, Acta Eruditorum Lipf. ad annum 1702, p. 281.

6. Richardus Bentlejus, vir longe celeberrimus, Eunapii Sardiani, de vita Philosophorum & Sophistarum Librum, (qui Græce & Latine primum e Bibliotheca Sambucci, Antvverpiæ 1568, 8 & apud Commelianum 1596, 8. & postmodum cura Andr. Schotti, Antvverpiæ 1616, 8. lucem vidit,) nova editione Græco-Latina e plurimis Manuscriptis promisit, quem Philostratorum operibus adjuncturus est. Hujus editionis

nis spem fecit etiam excellentissimus Fabricius. Cum Richardo Bentlejo noli confundere Robert. Bentlejum.

7. Anno cIↄ Iↄ CC XI. vitam finivit Henricus Dodvvellus, Dublinensis, vir perelegantis ingenii & doctrinæ. Variis eruditissimis scriptis sibi laudem comparavit. Edidit *Dissertationes Cyprianicas, de Cyclis, Annales Thucidides, Vellei, Statii, Quinctiliani, Plinii Junioris*, & alia, quorum nonnulla speciatim iterum prodierunt. Etiam duas *Exercitationes* dedit: alteram *de ætate Phalaridis*: alteram *de ætate Pythagoræ*, Philosophi, *Londini 1704, 8.* (Hæc jam exposita est pluribus Dissertatione III. de Cyclis.) Vtraque autem contra Bentlejum scripta est. Hic enim cum Cl. Lloydio, Episcopo Asaphensi, Pythagoram natum esse putabat Olymp. XLIII. ¾. At Dodvvellus nativitatem ejus inchoat ab anno decimo octavo Olymp. XLIII. ita, ut hic ab illo discrepet integro XXXVI. annorum spatio.

8. Petrus Needham S. T. B. Coll. D. Johannis Cantabr. Socius, claret editione Hieroclis, Philosophi Alexandrini *Commentarii in aurea carmina Græca*, in qua *cum MSS. conlata castigavit, versionem recensuit, notas & indicem adjecit, Cantab. igiæ, 1709, 8.* In cujus præfatione Hieroclis Historiam persequitur, deque vero auctore Commentarii, (quoniam plures recensentur Hierocles) disserit. Hanc excipiunt Pearsonii Prolegomena; hæc aurea carmina, quæ sub Pythagoræ nomine circumferuntur, cum notis Frid. Sylburgii, Theod. Marcilii, & suis, quas p. 324. 326. & 355. legimus. Carmina sequitur Hieroclis Commentarius in ea, cum notis Merici Casauboni, Dacerii, & suis, pag. 357. His addidit ex Photii Bibliotheca Hieroclis librorum de providentia & fato excerpta cum fragmentis aliis, quæ sparsim apud Stobæum leguntur, quibus tandem Facetias, quæ Philosopho adscribuntur, adjunxit. Vide Acta Erud. Lips. ad annum 1710. p. 348. seq. & 1711. p. 24.

9. Etiam Guilielmus Batesius non prætermitti debet. Hujus variæ eruditorum hominum Orationes & narrationes de vitis clarissimorum virorum in unum fasciculum conlectæ sub titulo: *Vitæ selectorum aliquot virorum, qui doctrina, dignitate, pietate, claruerunt*, recusæ prodierunt Oxonii 1704. Has inter nonnullorum etiam φιλοσοφικωτάτων vitæ exhibentur, ut Joh. Francisci Mirandulani, Hieron. Savano-

vanorolæ, Jo. Pici, Mirand. Hug. Grotii. confer pluribus Struvium in Introd. p. 319. Prodiit & denuo anno 1707. Londini in 4.

10. Thomas Smith; cujus *Vitæ eruditissimorum quorundam & inlustrium virorum* vitas exhibent Henrici Brigii, Geometriæ in Academia Oxoniensi Professoris, Joh. Bambridgii, Astronomiæ in eadem Academia Prof. & Johannis Dee, summi Anglorum Mathematici.

11. Claudit hoc caput Anonymus, qui edidit *The Lives of the antient Philosophers*, hoc est, *veterum Philosophorum vitas & varias illorum sectas atque dogmata, dicta & facta, Londini 1702, 8.* Auctor hoc libro in compendium redegit ea omnia, quæ Laertius, Casaubonus, Menagius, Stanlejus, Gassendus, Charletonius, aliique de hoc argumento pluribus tradiderunt.

CAPUT XXXIX.

1. Madame de Scudery convivium dedit septem sapientum. 2. Fr. Carpenterius vitam Socratis e Xenophonte edidit. 3. Charl. Perraut caussam dissidii inter eruditos præbuit, quia recentiores prætulit antiquioribus. 4. Anonymus extollit antiquiores. 5. N. Boileau contra novatores in philosophia. Homonymi. 6. Parallele des anciens & des moderns. 7. Cum Perrotto facit Fontenellius. 8. Auctores libri de la guerre des auteurs. 9. Dacierius commendatur. 10. P. D. Huetius, philosophiæ Cartes. oppugnator. 11. Ejusdem propugnatores. 12. Philagrius le Roi.

I.

IN Gallia eodem Ludovico M. Rege, locum inter eruditos homines meruit Magdalene de Scudery. Fuit soror Georgii de Scudery, qui nomen consequutus est libro des femmes illustres, atque aliis. Ea vita decessit CIƆ IƆ CCI. ætatis anno XCIV. atque scripsit *Banquet de sept sages.*

2. Huic anno sequenti successit in altera vita nobilissimus ille Gallorum orator, Franciscus Carpenterius, vir multis libris elegantissimis

mis clarus. Hic edidit *la vie de Socrate, & les choses memorables*; quod utrumque ex Xenophonte translatum, tertia vice *Amstelodami* prodiit *1699, 12.* Hunc librum ex Gallico iterum in vernaculam linguam trans tulit incomparabilis Christ. Thomasius, sub titulo: *Beschreibung der merckwürdigen Dinge des Socratis, Hala 693, 4.*

3. Carolus Perrottius, sive Charles Perraut, poema edidit anno 1687. cujus titulus: *Le siecle de Louis le Grand,* in quo probavit, recentiores scriptores, Germanos videlicet, Anglos, Gallos, Italos & Hispanos, in nullis cedere antiquioribus, hoc est, Græcis & Latinis; sed illis in plurimis, imo in omni scientiarum genere longe præripere palmam. Hic liber lectus anno CIↃ IↃ CLXXXVII. in pleno Academiæ Regiæ consessu, magnam dissidii caussam præbuit inter magni nominis viros, quorum nonnulli pro veteribus, nonnulli pro recentioribus pugnarunt. Alii & veterum & recentiorum in litteris merita laudarunt.

4. Ex illis qui antiquioribus studuerunt, Anonymus edidit: *Histoire Poetique de la guerre nouvellement declarée entre les anciens & les modernes, à Amsterdam 1688, 12.* In hoc recentioribus auctoribus prætulit antiquiores. Ex his primas decrevit Homero. De his lectu digna sunt ejus verba, quæ Mr. Mezeaux in vita du Mr. Boileau adducit p. 178. *Apollon s' étant rendu* scribit ille, *sur le Parnasse, pour y mettre la paix, & ayent d' abord fait appeller Homere, qui étoit le General des anciennes. He bien! mon Pere lui dit-il, ces jeunes gens en montrant les modernes, ont entrepris de vous faire la guerre, il faut que vous leur pardonniés, s' ils ne vous rendent pas tout ce qu' ils vous doivent; c' & qu' ils ne vous entendent pas, & je sçai, que la plûs part d' entr. eux parlent de vo.. sans vous connoître; je vous ferai justice, & je les mettrai dans le devoir à vôtre égard, &c.* Auctor hujus libri fuit Franciscus Callierius, Christianiss. R. legatus, Academiæ R. membrum, confer l'état de la France de l'an 1699. T. III. p. 437. ubi ita adducitur: *François de Callieres, Sr. de la Rochellai & de Gigny, Conseiller du Roi ordinaire en ses Conseils, Secretaire du Cabinet de Sa Majesté cidevant Plenipotentiaire pour la paix de Ruwik,* &c.

5. Huic accessit Nicolas Boileau des Preaux, ille, cujus vitam elegantissime descriptam dedit modo laudatus Mr. des Mezeaux, à Amsterdam 1712, 12. Hic inter alia elegantissima, (quæ auctor vitæ recenset) libellum dedit anno CIↃ IↃ CXXXIII.: *Arrêt donné en la grande chambre*

bre du Parnasse, en faveur des Maîtres es arts, Medecins & Professeurs de l'Université de Stagyre, au païs de Chimeres, pour le maintien de la doctrine d'Aristote. In hoc Aristotelicos Philosophos laudaverat, eosque recentioribus doctoribus longe prætulerat. Quo de libro idem laudatus Mezeaux in ejus vita: *Dans ce temps-là* (hoc est, anno supra dicto CIↃ IↃ C XXXIII.) *plusieurs vieux Docteurs de l'Université de Paris, appuyés sous mains de Jesuites travaillerent à obtenir un arrêt du Parlament, contre ceux, qui enseigneroient dans les écoles de Philosophie d'autres principes, que ceux d'Aristote. Un procedé si ridicule, engagea Mr. Despreaux à composer un arrêt bourlesque en faveur d'Aristote, & contre la nouvelle Philosophie, dont l'effet fut si heureux, qu'il obligea l'Université à supprimer la Requete, qu'elle alloit presenter au parlament.* Simile Edictum contra philosophiam Cartesianam efflagitare voluerunt, memorantibus Menagianis Tomo II. p. 9. his verbis: *On songoit tout de bon à donner un arrêt contre la Philosophie de Descartes, lorsque Mr. Despreaux fit paroître le sien*, & cætera. Post, edidit etiam *Reflexions sur Longin*, cum versione Gallica, quibus merita antiquorum scriptorum præ recentioribus probare atque extollere volebat. Hoc loco Boiloos noli confundere: fuerunt enim fratres tres: Gilles, Jâques, (Sorbonnicus Doctor) & Nicolas, omnes scriptis clari. Monf. l'Abbé Boileau defunctus est anno CIↃ IↃ CCIV. Conf. Maizeaux c. L. p. 59. seq.

6. Perrottus postea aliud opus adversariis opponebat. Fuit hoc ejus *Parallele des anciens & des modernes*, quæ prodiit anno 1688. cujus primum volumen artes & scientias concernit, alterum eloquentiam, ultimum poesin. Hæc nos supra laudatus auctor vitæ du Mr. Boilean Despreaux p. 165. & seq. docuit.

7. Ex his, qui cum Perotto faciunt, est Fontenellius. Hic in Digressione sua sur les anciens & sur les modernes, quæ legenda in volumine poeseos pastoralis, cum tractatu eruditissimo sur la nature de l'eclogue, de natura eclogæ, solidis itidem argumentis recentiores antiquioribus præfert. Idem in suis *Dialogues des morts*, multa notatu digna de vitis & mortibus philosophorum antiquorum & recentiorum consignavit. Parte I. Dialogo 4. Aristotelem mirum in modum perstringit, eique adeo voluptuosissimum præfert Anacreontem, &c.

8. Ad hunc locum spectat etiam Monf. Gueret, Parlamenti Parisiensis Advocatus, qui scripsit *Parnasse reformé & de la guerre des Auteurs*

Auteurs, & cætera. Hic liber ad modum libri Callierii de l'Histoire Poetique, confectus est. (Si modo Gueretus auctor hujus anonymi libri est; citatur quidem a Bailleto in Jugemens, Tom. I, p. 85. Sed alius etiam auctor, libri de la guerre des auteurs, cui nomen Mr. Boisrobert laudatur ab Ancillonio, dans la Melange Critique, P. IV. p. 309.)

9. Laudanda sunt etiam merita in historiam philosophicam Dacierii. Hic inter alios doctissimos libros, quibus inclaruit, vitam & philosophiam Pythagoræ, ex Græco in Gallicum traductam commentariisque instructam dedit. Libri titulus est: *La vie de Pythagore, ses symboles, ses vers d'orés: la vie d'Hierocles & ses Commentaires, sur les vers de Pythagore, retablis sur les manuscrits & traduits en François, avec des Remarques, &c. Parisiis anno 1706. voluminibus II. in 12.* quorum primum philosophi vitam cum ejus symbolis, vitamque Hieroclis cum versibus aureis continet; alterum Hieroclis commentarium in hos versus, cum Dacierii observationibus in hunc commentarium, quibus Jamblichi vita Pythagoræ inlustratur egregie. Recensionem hujus operis instituerunt Acta Lipsiensium ad annum 1708. p. 240. Fuit idem, qui anno 1702. dedit ibidem in 12. *Parallele de la morale Chrétienne avec celles des anciennes philosophes*, qua Enchiridion Epictetico-Christianum complexus est. Occupatus quoque fuit doctissimus auctor in edendo Platone. Promisit etiam novam versionem Gallicam omnium vitarum Plutarchi.

10. In Gallia his etiam temporibus floruit P. Daniel Huetius, qui sub finem seculi superioris edidit *Censuram Philosophiæ Cartesianæ, Lutetiæ Parisiorum, anno 1689.* in forma minore. In hoc vir eruditissimus id potissimum fecit, ut principia Cartesii Philosophiæ examinaverit, eaque tanquam orthodoxæ ecclesiæ noxia atque periculosa damnaverit. Conferat, qui plura volet, Acta Lips. ad annum 1689. p. 380. & seq. item les Journaux des sçavans, & cætera.

11. Vix autem liber iste lucem viderat, inter Gallos Silvanus Regius contra ipsum edebat *Reponse au Livre, qui a pour titre: Petri Danielis Huetii, Episcopi Suessionensis designati, Censura Philosophiæ Cartesianæ servant d'eclaircissement à toutes les parties de la Philosophie, & sur tout à la Metaphisique*, quæ eadem forma *Parisiis* prodiit, in qua auctor Cartesium secundum omnes partes optime contra Huetium, modeste tamen defendit, confer du Journal des sçavans annum 1691. p. 316. Inter

Germanos in Cartesiana Philosophia contra Huetium defendenda, in nostra præsertim Academia vires suas expertus est, Andr. Petermannus, celeberrimus Anatomiæ Professor. Hic edidit *adversus Censuram P. D. Huetii Philosophiæ Cartesianæ vindicationem, Lipsiæ 1690, 8.* Hunc sequutus Joh. Eberhardus Schvvelingius, Juris atque Philosophiæ naturalis in Bremensi Gymnasio Professor, qui adversus ejusdem Suessionensis Episcopi Censuram *Exercitationes Cathedraticas* edidit *Bremæ 1690, 8.* Hunc excepit Jo. Schottanus a Sterringa, celebris Philosophiæ in Lyceo Franequerano Professor, qui Huetii scriptum suo libro inseruit, strictiusque rem omnem absolvit, *in Exetasi quadam Censuræ, qua P. D. Huetius Philosophiam Cartesianam inique vexavit, edita Franequeræ 1691, 8.* His accessit Burcherus de Volder, qui adversus P. D. Huetii Censuram *Defensionem Philosophiæ Renati Cartesii Amstelodami* edidit *1695, 8.*

12. Gallis adnumerari quoque vult Philagrius le Roi, qui ante aliquot annos librum edidit sub titulo: *Philosophia Radicalis Eclectica*, in quem ex antiquorum & recentiorum philosophorum nonnullorum placitis quendam commentarium congessit, *Antwerpiæ 1713. f.* Confer Acta Erud. Germ. P. XIII. p. 1. & seq.

Atque hæc de præcipuis Historiæ Philosophicæ scriptoribus, de quorum constat ætate, dicta sufficiant!

Alios historicorum plures, qui hunc in numerum referri potuissent, indicabunt Acta, Diaria & Ephemerides eruditorum, quæ hinc inde variis idiomatibus in Germania, Gallia, Italia, Belgio & Anglia a quinquaginta & amplius annis tenus hac eduntur. De his vide Excellentiss. Struvium in Introd. toto capite sexto.

FINIS LIBRI TERTII.



IOAN-

231

IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati

DE

SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ

LIBER III.


Recognitus, emendatus, & ad hæc usque tempora continuatus
a
I. C. DORNIO.

IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati

DE SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ

LIBER IV.

Recognitus & emendatus
a
I. C. DORNIO.



IOANNIS IONSII
Rensburgensis Holsati
DE
SCRIPTORIBUS HISTORIÆ PHILOSOPHICÆ.
Liber Quartus,
Qui est
De incognitæ ætatis scriptoribus.

Quemadmodum perfectus Philosophus, Physicus, Orator & Christianus: perfecta item Resp. sanitas, & pulchritudo describi quidem & delineari possunt, reperiri in orbe non item. Fatetur hic Physicus oportere Physicum qua talem, habere omnium rerum naturalium scientiam & rationem omnium nosse; sibi vero qualitates quasdam esse occultas & incognitas. Agnoscit & pulcherrimus quisque suos nævos & suam imbecillitatem Christianus. Eodem modo perfectus Antiquarius, qui plena antiquitatis notitia instructus, soliciti & curiosi lectoris desiderio in omnibus satisfacere possit, optari magis quam sperari potest. Impediunt alium in pleniore antiquitatis notitia comparanda veterum scripta deperdita & mutila: alium negotia a superstitibus libris necessaria cura atque diligentia legendis avocant: alii scripta notha imponunt: alium felicitas conjecturæ in dubiis destituit: alium lin-

linguæ Græcæ ignorantia moratur: alium temeritas & audacia in errores agit præcipitem. Nos remotis, quantum fieri potuit, impedimentis antiquitatem ſcrutati nihilominus tantas aliquando offendimus tenebras & difficultates, ut hunc librum de incertæ ætatis ſcriptoribus velut teſtem imbecillitatis Tibi, Lector Benevole, dare coacti fuerimus. Utere hoc, ſi placet, quem ut mutilum infantem exponere æquitas vetuit: & quantum diligentia noſtra in iſtis dubiis poſt hac enodandis valeat, exſpecta.

2. Aben Nedin, librum de philoſophis Arabibus ſcripſit, teſte Merſennio præfat. in Apollonii Conica.

Aetius in hiſtoria philoſophica locum aliquem ſibi vendicat, quod dogmata ſingulorum philoſophorum conſignaverit. Teſtatur hoc Theodoretus θεραπ. Serm. II. Πλούταρχος δὲ καὶ Ἀέτιος, τὰς τῶν φιλοσόφων ἐκπαιδεύουσι δόξας. Τὸν αὐτὸν δὲ καὶ ὁ Πορφύριος ἀνεδέξατο πόνον, τὸν ἑκάστου βίον ταῖς δόξαις προστεθεικώς. *Plutarchus vero atque Aetius multorum philoſophorum opiniones conlegerunt. Quem ſibi laborem Porphyrius quoque ſumpſit, ita ſane diligenter, ut opinionibus ſingulorum quoque philoſophorum vitam moresque adjungeret.* Iterum ſermone IV. εἰ δέ τις οἴεται κἀμὲ συκοφαντῆσαι τοὺς ἄνδρας, τὴν παμπόλλην αὐτῶν διαφωνίαν ἐλέγξαντα, ἀναγνώτω μὲν Ἀετίου τὴν περὶ ἀρεσκόντων ξυναγωγὴν, ἀναγνώτω δὲ Πλουτάρχου τὴν περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις δοξάντων ἐπιτομήν. Καὶ Πορφυρίου δὲ ἡ φιλόσοφος ἱστορία, πολλὰ τοιαῦτα διδάσκει. *Si quis tamen opinatur, & me calumniam viris illis afferre, dum illorum diſſidia contentionesque coarguo, legat Aetii de philoſophorum placitis collectanea, legat & Plutarchi de rebus eisdem compendium. Ipſa quoque philoſophorum hiſtoria, quam Porphyrius ſcripſit, hujus generis multa nos docet.* Tandem Serm. V. ἃ δέ γε ξὺν θεῷ λέξω, ἐκ τῶν Πλουτάρχῳ, καὶ Πορφυρίῳ, καὶ μέν τοι καὶ Ἀετίῳ ξυγγεγραμμένων ἐρῶ. Θαλῆς τοίνυν κέκληκε τὴν ψυχὴν ἀκίνητον φύσιν. Ἀλκμὰν δὲ (Ἀλκμαίων legendum eſt) αὐτὴν αὐτοκίνητον εἴρηκεν. Ὁ δέ γε Πυθαγόρας, ἀριθμὸν ἑαυτὸν κινοῦντα. *Quæcunque autem divino auxilio fretus dicam, ea ex Plutarchi, ex Porphyrii & ex Aetii monumentis promam. Thales igitur, animam eſſe inquit immobilem naturam: Alcman vero, eam inquit ſponte ſua mobilem: Pythagoras autem, numerum, qui ſeipſum moveat.* Poſſevinus lib. XII. *Biblioth. Tract.* IV, cap. 1. ex his locis probare vult, hiſtoriam illam philoſophicam, quæ Galeni nomine

mine circumfertur, esse Aetii. *Aetius*, ait, *scripsit in Historia Philosophica, quæ falso est adscripta Galeno, id quod Theodoretus lib. III.* (secundum nominare debebat) *IV. & V. Græcarum affect. docet.* Verum licet non negemus, Aetium esse istius Historiæ auctorem, e Theodoreto tamen id probari posse propterea negamus, quod Galeni nullam Theodoretus mentionem faciat. Nisi forte ad excusandum Possevinum dicere velis, verba illa *id quod* &c. non ad proxima, sed ad remotiora verba esse referenda, quod nimirum Aetius in Historia Philosophica aliquid scripserit; si ejusmodi excusatio valere potest. Ætatem hujus Aetii indicare non licet, cum nulla ejus supersint indicia, nisi quæ posterior dies suppeditabit. Distinguendus ab hoc Aetio est Aetius ille Hæreticus, patria, secundum Socratem *Hist. Eccles.* II, 28. Antiochenus, Syrus, circa A. C. CCCL. celebris, qui Medicinam prius exercuit, teste Sozomeno *Hist. Eccl.* III, 14. Edoctus eam a Sopoli, medico celeberrimo, ut auctor est Nicephorus Callistus *Hist. Eccl.* IX, 17. Alius item est Aetius, Medicus, patria Amidenus, ex Mesopotamia, Justiniani ætate celebris, cum priore nonnunquam hactenus confundi solitus.

Agresphon περὶ ὁμωνύμων, *de ejusdem nominis viris inlustribus* scripsit, teste Suida Ἀπολλ. Ἀπολλώνιος ἕτερος Τυανεὺς φιλόσοφος νεώτερος, γεγονὼς ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως, ὡς Ἀγρέσφων ἐν τῷ περὶ ὁμωνύμων. *Apollonius alter Tyaneus philosophus junior, qui Adriano Augusto vixit, ut auctor Agresphon, libro de ejusdem nominis hominibus.* Indicavit proinde Agresphon, alium ejusdem nominis & philosophum, præter illum celebrem Apollonium Tyaneum Magum, qui sub Nerone vixit, exstitisse.

3. Ambryon, vitam scripsit Theocriti Chii illius, qui Metrodori Isocratici discipulus erat, & Theopompo Historico adversabatur, de quo Suidas Θεοκρ. Sed de Theocrito plura diximus, cum de Theopompo agebamus. Laertius L. V. *Arist.* ἀπέσκωψε δὲ εἰς αὐτὸν ἐπίγραμμα καὶ Θεόκριτος ὁ Χῖος, οὑτωσὶ ποιήσας ὥς φησιν Ἀμβρύων ἐν τῷ περὶ Θεοκρίτου.

Ἑρμείου εὐνούχου ἠδ' Εὐβούλου ἅμα δούλου
Σῆμα κενὸν κενόφρων τεῦξεν Ἀριστοτέλης.

Lusit in eum epigrammate Theocritus Chius, ut ait Ambryon in libro de Theocriti vita, in hunc sensum:

Hermiæ eunuchi simul Eubulique sepulchrum,
Mente vacans vacuum struxit Aristoteles.

Cæterum hujus scommatis, quod hic mutilum a Laertio adducitur, alteram partem habet Plutarchus libro περὶ φυγῆς: integrum vero exstat apud Eusebium lib. XV. *præp. Evang.* cap. 1. ex lib. VII. Aristoclis de Philosophia. Vossius lib. III. *de Hist. Græc.* ubi de Ambryone hoc agit, addit: *Apud Etymologum in* ὁμοκλήσασκεν *citatur* ὁ Ἀβρων: *fortasse idem est.* Etymologo citatur Ἀμβρων, sed legendum Ἀβρων. Abron autem ab Ambryone distinguendus est & virum notat Atheniensem, qui de feriis & sacrificiis scripsit. Stephanus βατή. βατὴ, δῆμος τῆς Αἰγηίδος φυλῆς, ὅθεν ἦν Ἀβρων ὁ Καλλίε ἐξηγητὴς, περὶ ἑορτῶν καὶ θυσιῶν γεγραφώς. Andronem quendam περὶ θυσιῶν πρὸς Φίλιππον scripsisse auctor est Apollonius *Hist. mir.* cap. 8. Diversus autem hic Andron sit ab Abrone illo nec ne, non facile dixerim, scriptura sane distinguit. Scripsit quoque Abron περὶ παρωνύμων. Stephanus αἰλιά. Ἀπὸ γὰρ τῦ Ἀντιόχος Ἀντιοχεὺς, καὶ τῦ Σελεύκε τὸ σελευκεὺς, ὡς Ἀβρων περὶ παρονύμων. Idem opus alibi citat in ἀγάθη, ἄργος, ἀθῆναι. Atque hoc περὶ παρωνύμων Opus Abronis citare videtur Etymologici auctor, non Ambryonis. Alius est Abron pictor ille apud Plinium XXXV, 11. Vixit noster Ambryon intra Theocriti Chii & Plutarchi tempora, hoc est, intra Olymp. CXVI. & CCXVI, ut e dictis conligimus.

4. Anaxilides aliquot libros *de Philosophis* scripsit, ut auctor est Laertius lib. III. *Plat.* & Hieronymus lib. I. *contra Iovin.* quorum verba supra in Speusippi Historia lib. I. c. 10. citavimus.

Androcydes Pythagoricus fuit, quem de litteris Ephesiis magicis egisse docet Clemens Alex. lib. V. *Strom.* Edidisse quoque eum librum περὶ πυθαγορικῶν συμβόλων, docet Jamblichus L. *de vita Pythag.* diversus procul dubio est ab illo Alexandri M. Medico, & ab illo Cyziceno pictore, apud Plinium lib. XXXV, cap. 9. Athenæum lib. VIII, c. 5. & Plutarchum in sympos. 4. quæst. 2. & 4.

Anonymus quidam de vitis Philosophorum scripsit, cujus operis hoc initium est: *Thales philosophus Asianus, ut ait Laertius, in libro de vitis Physicorum,* & cætera. Latet iste liber in Bibliotheca Canonicorum Lateranensium Sancti Joannis in Viridario Patavii, teste doctissimo Tho-

Thomasino, Bibliothecis Patavinis Manuscriptis publicis & privatis pag. 40.

Anonymus quidam Pythagoræ vitam scripsit, quam se legisse testatur & egregio fragmento probat Photius Bibl.Ecl. CCXLIX. Hunc notis eruditis inlustravit Lucas Holstenius.

Anonymi cujusdam historica conlectio inlustrium virorum, eorum præsertim, qui scriptis aliquid commendarunt: & recensio operum, quæ posteritati reliquerunt. Incipit ab Abaride Scytha, & desinit in Choerilum per omnes alphabeti litteras exceptis duabus postremis Ψ & Ω. Exstat hodienum, teste Phil. Labbæo parte I. MSS. Librorum Græcorum fol. LXXII.

Anonymi opusculum de ordine librorum Platonis Manuscriptum exstat in Bibliotheca Veneta ad S. Antonium, teste eodem P. Labbæo Bibl. novæ fol. CXII.

Anonymi Vitæ Philosophorum, Oratorum, Vatum Mscriptæ exstant in Bibl. Regis Christianissimi, teste Labbæo fol. CCLXXXVII.

Anonymi vitæ variorum philosophorum & poetarum Græcorum & Latinorum ex Laertio & aliis supersunt Mscriptæ ibidem, teste eodem fol. CCCVII.

Anonymi nomina rhetorum & indicem eorum, quæ scripserint, servat Bibliotheca eadem inter Manuscripta, numero MDCCVIII. & MMXXII.

Anonymi de septem Sapientum patria & dictis liber Manuscriptus superest ibidem num. MDLXXVI. MDXCVI. MDCCXXVII. MCCXVI.

Anonymus de vita & morte Senecæ Manuscriptus exstat cum hujus librorum catalogo ibidem, num. MDI.

Anonymus de vitis variorum philosophorum & poetarum adservatur ibidem, num. MMCCCXIV. inter Manuscripta.

Anonymi vitas Philosophorum Manuscriptas fovet Bibliotheca Gottorpiana Holsatiæ inter Manuscripta littera E.

Anonymus de vita Hesiodi, Theocriti & Oppiani, itidem inter Manuscripta ibidem exstat, litera O.

Anonymus vitas Pythagoræ, Empedoclis, aliorumque philosophorum Arabice scripsit, ad quarum editionem Elichmannum hortatur inlu-

inlustris ille eruditorum fautor, Nicolaus Fabricius de Peiresc, teste Encomiaste ejus P. Gassendo L. de vita ejus ad A. MDCXXXVI.

Anonymi liber de vitis philosophorum & poetarum prodiit A. MDX. Hagenoæ.

Anonymi liber, qui inscribitur: *Veterum Philosophorum Historia ac dicta*, exstat inter Arabicos scriptores Bibliothecæ Leidensis pag. 6.

Anonymi liber *de philosophorum veterum & recentiorum scriptis quædam ex libro, qui inscribitur, Historia Philosophorum*, exstat in eadem Bibl. inter Arabicos scriptores fol. XIX.

Anonymus quidam de vita & morte Aristotelis Leoninos barbaros versus cum commentariis edidit impressos olim in 4. cum problemasi Aristotelis teste Gesnero.

Anonymus quidam de vita omnium philosophorum & poetarum scripsit. Exstat in Bibliotheca Hamburgensi.

Anonymi vitæ philosophorum & poetarum cum quæstionibus Quodlibeticis Fr. Simonis de Leontino exstant Parisiis in Bibliotheca Regia.

Antiochus Alexandrinus, περὶ τῶν ἐν μέσῃ τῇ κωμῳδίᾳ, κωμῳδυμένων Ποιητῶν, *de poetis* egit, *qui in media comœdia perstringuntur*, Athenæus XI, 9. ὅταν δὲ Ἔφιππος ἐν Ἐφήβοις λέγει·

Οὐ κύλικ' ἐπὶ τὰ δεῖπνα Χαιρήμων φέρει
Οὐ κυμβίοισι πεπολέμηκ' Εὐριπίδης,

ὐ τὸν Τραγικὸν λέγει ποιητὴν, ἀλλά τινα ὁμώνυμον αὐτῷ ἤτοι φίλοινόν τινα, ἢ αἰτίαν ἔχοντα ὐ χρηστὴν, ὥς φησιν Ἀντίοχος ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ περὶ τῶν ἐν τῇ μέσῃ κωμῳδίᾳ κωμῳδυμένων ποιητῶν.

Ephippus cum in Ephebis ait:

Calicem ad cœnam non fert Charemon,
Cymbiis non prœliatur Euripides,

id de Tragico poeta non intellexit, sed alio quodam cognomini, aut vinoso, vel qui ob aliam caussam male audiebat, ut censet Antiochus Alexandrinus libro de poetis, qui in media comœdia perstringuntur. Qui labor Antiochi ut recte intelligatur vide quæ lib. I. c. 5. dicta sunt. Cum vero mediæ

comœdiæ poetæ poetarum priſcorum hiſtorias & fabulas caperent, Antiochus de his ita vellicatis atque traductis poetis egit, indicans bene an ſecus comœdia media de iis judicaverit. Et cum ejusdem nominis plures vixiſſent poetæ, de quo quodque intelligendum eſſet, indicavit: cujus rei exemplum ex Athenæo vidimus.

5. Antiphon quidam, ſcripſit librum, *περὶ τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων*, ***de viris virtute inluſtribus***, e quo Laertius lib. VIII. Pythagoræ vitam inluſtrat. Citat eundem, ſed *περὶ τοῦ βίου τῶν ἐν ἀρετῇ πρωτευσάντων*, Porphyius vita Pythagoræ & ex illa Cyrillus lib. X. contra Julianum. Glauci Rhegini de poetis, liber Antiphoni, (non ***Antiphonti*** Latine ut judicant Grammatici Soſipater lib. I. *Gram. inſtit.* Priſcianus lib. VI. Gram. ſervatur tamen Græca flexio a Cicerone aliisque, quos imitamur) adſcriptus eſt a quibusdam, de quo ſupra in Glauco. Idem autem ſit Antiphon nec ne, non facile dixerim, cum multi ejus nominis fuerint.

Antiphon (1) avus fuit Antiphontis illius, qui in Parmenide Platonis loquens introducitur, pater vero Pyrilampis, teſte Platone ***Parmenide***. Pyrilampen Antiphontis F. memorat etiam Plutarchus lib. de Socratis Genio.

Antiphon (2) quidam Rhamnuſius, apud Thucydidem ad Olym. XCII, 1. laudatur. Thucyd. lib. VIII. *Ο μέντοι ἅπαν τὸ πρᾶγμα ξυνθεὶς, ὅτῳ τρόπῳ κατέστη ἐς τοῦτο, καὶ ἐκ πλείστου ἐπιμεληθεὶς, Ἀντιφῶν ἦν, ἀνὴρ Ἀθηναίων τῶν καθ' ἑαυτὸν ἀρετῇ τε οὐδενὸς ὕστερος, καὶ κράτιστος ἐνθυμηθῆναι γενόμενος, καὶ ἃ γνοίη, εἰπεῖν. καὶ ἐς μὲν δῆμον οὐ παριὼν, οὐδ' ἐς ἄλλον ἀγῶνα ἑκούσιος οὐδένα, ἀλλ' ὑπόπτως τῷ πλήθει διὰ δόξαν δεινότητος διακείμενος. Τοὺς μέντοι ἀγωνιζομένους, καὶ ἐν δικαστηρίῳ καὶ ἐν δήμῳ πλεῖστα, εἷς ἀνὴρ, ὅστις ξυμβουλεύσαιτό τι, δυνάμενος ὠφελεῖν, καὶ αὐτός τε, ἐπειδὴ τὰ τῶν τετρακοσίων ἐν ὑστέρῳ μεταπεσόντα ὑπὸ τοῦ δήμου ἐκακοῦτο, ἄριστα φαίνεται τῶν μέχρις ἐμοῦ ὑπὲρ αὐτῶν τούτων αἰτίας, ὡς ξυγκατέστησε θανάτου δίκην ἀπολογησάμενος.* ***Sed qui hanc rem totam ad eum modum factum compoſuit, diuque præmeditatus fuit, Antiphon erat, vir ſuæ ætatis Athenienſium nulli virtute inferior, optimus in conſiliis capiendis, & quæ ſentiebat exponendis. Is in populi quidem concionem non prodire ſolebat, nec alii cuidam certamini ſponte ſe offerebat, plebi ob facundiæ opinionem ſuſpectus: veruntamen eos, qui aut in judicio aut apud populum cauſſam***

agebant, vir unus consilio plurimum juvabat. Ipse etiam, posteaquam deinde mutato quadringentorum statu a populo supplicio sunt affecti, optime mihi ad mea usque tempora de hoc ipso crimine capitis caussam orasse videtur. Rhamnusium hunc adpellat Plutarchus *Nicia* & quod Nicias, (qui Olymp. XCI, 4. cum Demosthene itidem duce Atheniensium a Siculis occisus est, teste Thucyd. lib. VII. Diodoro Sic. XIII, 19. 33.) Antiphonis eloquentiam populo jam suspectam fuisse observaverit, tradit. Atque hic Antiphon, qui Olymp. XCII, 1. unus e Quadringentis fuit, sequente anno Olymp. XCII, 2. quo Quadringentis illis imperium est ademptum, & Thucydides historiam suam finiit, damnatus egregia oratione se defendit. Testatur præter Thucydidem, quem modo audivimus, Cicero de claris Orat. *Antea neminem solitum via nec arte, sed accurate tamen & de scripto plerosque dicere: scriptasque fuisse & paratas a Protagora rerum inlustrium disputationes, qua nunc communes adpellantur loci. Quod idem fecisse Gorgiam, cum singularum rerum laudes vituperationesque conscripsisset, quod judicaret hoc Oratoris maxime proprium, rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere. Hinc Antiphontem Rhamnusium similia quadam habuisse conscripta, quo neminem unquam melius ullam oravisse capitis caussam, cum se ipse defenderet, se audiente locuples auctor scripsit Thucydides.* Addit Cicero de suo, habuisse Antiphonta locos quosdam communes rhetoricos conscriptos, quibus uteretur. Alii fingunt hunc orationes complures scripsisse. Vide Plutarchum L. de X. Rhetoribus. Clemens Alexandr. L. I. *Strom.* ex Diodoro primum eum scholastiças declamationes & rhetoricas figuras atque proprietates invenisse & judicialem orationem scripsisse tradit. Quod si verum esset, Thucydides in Antiphontis laude minime reticuisset. Contradicit Cicero *Bruto* huic sententiæ, ubi inter antiquos rhetores, quos enumerat, eum præterit, post tamen de eo illa tradit, quæ supra adduximus, quibus addit, Lysiam, Theodorum, Isocratem ea invenisse, quæ Antiphonti alias tribuuntur e Plutarcho & Clemente. Occisus tandem Antiphon hic est a populo Atheniensi Olymp. XCII, 2. De cujus morte Theramenes Cothurnus ille Olymp. XCIV, 1. interfectus apud Xenophontem lib. II. Ἑλλην. Ἀλλὰ μὲν καὶ Ἀντιφῶντος ὑφ' ὑμῶν ἀπολλυμένε, ὃς ἐν τῷ πολέμῳ δύο τριήρεις εὐπλεύσας παρείχετο. *Item cum Antiphon, qui in bello duas aluisset triremes, a vobis interficeretur.* Erant igitur, qui Antiphonta hunc ante Triginta viros Olymp. XCIII,

XCIII, 4.. conſtitutos occiſum, ſub iisdem adhuc vixiſſe contendunt, Vide Plutarchum de viris X. Rhet. Errat Cæcilius apud eundem, qui hunc Antiphonta Thucydidis diſcipulum eſſe ſcripſit. Veroſimilius eſt, quod habet Suidas Ἀντιφῶν præceptorem ejus ignorari, diſcipulum fuiſſe Thucydidem: quod Marcellini quoque teſtimonio Thucydidis vita comprobatur. Error quoque in Plutarcho lib. de X. Rhet. hic notandus poſtremo eſt, ubi de Antiphonte agit: ἔγραψε δὲ καὶ κατὰ Ἱπποκράτους τοῦ ἰατροῦ στρατηγοῦ λόγον. *Scripſit quoque orationem contra Hippocratem Medicum* (hanc vocem Xylander in verſione ſua recte omittit & in annotationibus vocem ἰατρὸν bene tanquam gloſſema expungendam eſſe judicat) *ducem.* Vox ἰατρὸν ab imperito librario vel lectore, qui Hippocrati Medico famam quandam inde & gloriam conciliare voluit, margini, credo, prius adſcripta, poſt in textum recepta eſt. Verum ἰατρὸς hic & ex Photii Ecloga rejiciendum eſſe multa probant. Hippocrates ille στρατηγὸς apud Plutarchum Athenienſis fuit & Athenienſium militum dux, Ariphronis filius, qui Megaram proditione fruſtra tentavit, poſtea longos ejus muros cepit, Niſæam occupavit, Delium in Bœotia munivit, cum Bœotis acie conflixit & cecidit Olymp. LXXXIX, 1. teſte Thucydide lib. IV, bel. Pelop. confer Diodorum XII, 66. Pauſaniam *Lacon.* Quæ omnia in Hippocratem Medicum non convenire, nemo inficias ibit. Sed ad Antiphonta noſtrum Rhamnuſium: qui ob ſuam prudentiam & facundiam Neſtor dictus eſt, teſte Plutarcho de X. Rhet. aliis. Omnes viri ſapientes dicti ſunt Rhamnuſii propter Antiphontis Rhamnuſii ſummam ſapientiam, teſte Suida Ῥαμνούσιος. Hujus vitam ſcripſit Cæcilius, eumque ſequutus Plutarchus, ſed ſapienti Rhamnuſio plurima tribuunt aliis tribuenda. Sed jam ante Cæcilii ætatem multa Antiphonti falſo fuerunt ſuppoſita. Hic enim apud Plutarchum e LX. Antiphontis orationibus XXV. ſpurias eſſe dicit. Plurimas ſane etiamnum Antiphonti orationes ab antiquis tribui obſervamus, de quibus jure dubites Antiphontis ſint nec ne. Antiphontis λοιδορίας & convitia in Alcibiadem ſcripta, citat Plutarchus *Alcib.* ἐν ταῖς Ἀντιφῶντος λοιδορίαις γέγραπται, ὅτι παῖς ὢν ἐκ τῆς οἰκίας ἀπέδρα πρὸς Δημοκράτη τινὰ τῶν ἐραστῶν. *In Antiphontis maledictis ſcriptum eſt, quod cum puer adhuc eſſet, domo profugerit ad annum e ſuis amatoribus Democratem.* Athenæus XII, 5. περὶ δὲ τῶν Ἀβυδηνῶν Ἀντιφῶν ἐν τῷ κατ' Ἀλκιβιάδου λοιδορίας οὕτως. *De Abidenis Antiphon oratione de convitiis in Alcibiadem ſic*

scribit. ubi de mollitie Abydenorum oratione soluta egit. Alcibiades autem hic Cliniæ filius (quatuor Alcibiades enumerat Meursius *Lect. Att.* VI, 12.) Antiphontis Rhamnusii sapientis æqualis & Quadringentis infensus erat. Unde in scholis Sophistarum vel ab alio quodam Alcibiadis inimico potius quam ab Antiphonte Rhamnusio sapiente hæc nomine Antiphontis scripta esse judico. Ejusdem omnino Antiphontis nomine orationes quædam supersunt, quæ tamen scholasticæ sunt atque fictæ declamationes, & Antiphontis nil præter nomen habent. Antiphontis orationem *de coede Herodis*, citat Harpocration Φροῦδος. Ejus περὶ ὁμονοίας memorat Etymologicum in θεαιδέστατος. Ejusdem πολιτικὸν Athenæus X, 6. Etymologicum in Εὐσύμβολος. Priscianus lib. XVIII. Gram. quorum hic loco cit. ejusdem ὀλιγαρχικὸν citat. Ejus περὶ πρυτανέων εἰ γνήσιος, adducit Varinus in ῥητορικὴ: & περὶ τῆς μεταστάσεως, idem in voce στασιώτης. Ejus τέχνην laudat Ammonius de diff. voc. in σημεῖον, & forte etiam Galenus *præfat. Glossarum.* Qui ipse comm. 1. in Hippocr. de offic. Med. §. 3. laudat Antiphontis primum περὶ ἀληθείας.* Secundum ejusdem περὶ ἀληθείας, citat Etymologicum in γρυποῦσθαι. Antiphontis περὶ ἀληθείας Hesychius voce ἄβιος citat. Ejus Φοινικικὰ adducit Ammonius de diff. vocab. in ἐνθύμημα istas credo, Pollux & Etymologicum Antiphontis orationes respiciunt, cum multa ex Antiphonte adducunt. Eidem Antiphonti tribuuntur quædam sententiæ. Antiphon Rhetor dixit γηρωτροφία προσέοικε παιδοτροφίᾳ apud Clem. Alex. L. VI. *Strom.* Aliud Antiphontis dictum citat Plutarchus *Antonio* τὸ πολυτελέστατον ἀνάλωμα χρόνος, *pretiosissimum impendium, tempus.* Eidem tribuendæ sententiæ Antiphontis apud Stobæum, quamplurimæ; forte & hunc Rosciana imitatio apud Cic. II. de orat. signat.

Antiphon (3) quidam τερατοσκόπος fuit, de quo Suidas. Ἀντιφῶν, Ἀθηναῖος, Τερατοσκόπος καὶ ἐποποιὸς, καὶ σοφιστής. Ἐκαλεῖτο δὲ λογομάγειρος. *Antiphon, Atheniensis, prodigiorum interpres, Poeta Heroicus*

---

* Πολιτικὸν *illud, itemque* περὶ ὁμονοίας, *&* περὶ ἀληθείας *Libros Menagius Antiphonti* τῷ Τερατοσκόπῳ *adtribuit in Animadversionibus suis ad L. II. Laertii, quod ex Hermogenis quodam loco ostendit.*

roicus & Sophista. Dicebatur autem verborum coquus. Atque hunc ceu distinctum ab Antiphonte Rhamnusio recenset Suidas, de quo postea agit. Laertius lib. II. *Socrat.* Τούτω τις κατά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτω περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντίοχος Λήμνιος καὶ Ἀντιφῶν ὁ Τερατοσκόπος. *Fuit ei* (Socrati) *ut refert Aristoteles libro tertio de Poetica, cum Antiocho Lemnio & Antiphonte prodigiorum interprete contentio.* Hic omnino est, cujus Clemens lib, VII. *Strom.* meminit, χαρίεν τὸ τοῦ Ἀντιφῶντος οἰωνισαμένου τινός, ὅτι κατέφαγεν ὗς τὰ δελφάκια, θεασάμενος αὐτὴν ὑπὸ λιμοῦ διὰ μικροψυχίαν τοῦ τρέφοντος κατισχναμένην, χαῖρε, εἶπεν, ἐπὶ τῷ σημείῳ, ὅτι οὕτω πεινῶσα, τὰ σὰ οὐκ ἔφαγε τέκνα. *Lepidum est illud Antiphontis: nam, cum quidam malum omen haberet, quod sus porcellos suos devorasset, ille conspicatus eam ob sorditiem hominis fame emaciatam, lætare, inquit, hoc signo, quod sus illa fame adeo pressa tuos non devoraverit liberos.* Eadem fere habet Theodoretus serm. VI.

Antiphonta (4) quendam divitem cum Socrate disputantem introduxit Xenophon L. I. ἀπομνημ. Quis vero Antiphon ille fuerit, non indicat. Plutarchus vita Antiphontis & Photius Ecl. CCLIX. Cæcilium, ut apparet, sequuti, Antiphontem Rhamnusium in Xenophonte intelligendum putant.

Antiphonem (5) quendam pauperem Andocydæ F. memorat Aristophanes σφηξί. ἰὼ χελῶναι & πολλάκις δὴ & cætera. ubi Scholiastes addit: Ἀντιφῶν τοῦ Ἀνδοκίδου περὶ οὗ προείρηται. καὶ οὗτος δὲ πένης ἦν ὁ Ἀντιφῶν. *Antiphon Andocydæ F. de quo prius dictum. Hic autem Antiphon pauper erat.*

Antiphon (6) quidam itidem Rhamnusius, rhetor ineptus fuit. Testis est Socrates apud Platonem *Menexeno.* ἀλλὰ καὶ ὅστις ἐμοῦ κάκιον ἐπαιδεύθη, μουσικὴν μὲν ὑπὸ Λάμπρου παιδευθείς, ῥητορικὴν δὲ ὑπ' Ἀντιφῶντος τοῦ Ῥαμνουσίου. *Quin etiam si quis deterius, quam ego, doctus fuerit, Musicam quidem a Lampro, Rhetoricam vero ab Antiphonte Rhamnusio.* οἱ περὶ Θεόδωρον καὶ Θρασύμαχον καὶ Ἀντιφῶντα σπουδῆς ἄξιον οὐδὲν εὗρον, ait Dionysius *epist. ad Ammæum de Demosthene.* Ἀντιφῶν ὁ Ῥαμνούσιος τὸ αὐστηρὸν ἔχει μόνον καὶ ἀρχαῖον ἀγωνιστὴς δὲ λόγων οὔτε συμβουλευτικῶν οὔτε δικανικῶν ἐστι, idem Isæo. ubi eum cum Thrasymacho Chalcedonio, Polycrate Atheniensi, Critia Trigintaviro & Zoilo, qui contra Homerum scripsit, Rhetoribus enumerat. Forte

 idem,

idem, quem cum Isocrate & Isæo pueros rhetoricam in scholis docuisse scribit Plutarchus L. *de gloria Athen.* nisi propterea de alio Antiphonte hæc accipienda videntur, quod post Isocratem nominatur. Carpit Deipnosophista apud Athenæum XI, 15. quod male de Antiphonte & Lampro loquatur Socrates apud Platonem. Hermogenes L. II περὶ ἰδεῶν ubi duos Antiphontes Rhetoras eorumque unum Rhamnusium ἀρχηγὸν τοῦ τύπου τοῦ πολιτικοῦ facit, alterum omnino nostrum duriore dicendi genere usum fuisse tradit.

Antiphon (7) quidam Antiphontis primi nepos, Pyrilampis filius, Platonis, Adimanti & Glauconis ὁμομήτριος frater erat, teste Platone *Parmen.* νεώτατον adpellat Plutarchus L. *de fratrum amore.* Pythodoro Zenonis Socio familiariter usus memoria putabatur tenere, quæ quondam Socrates, Zeno & Parmenides inter se disseruerant. Rogatur ea a Cephalo apud Platonem *Parmenide.* Pythodorus autem, e quo Antiphon ista audiverat, Aristoteli uni e XXX. Tyrannis Olymp. XCIX. σύγχρονος erat, & post hæc tempora Antipho floruisse videtur. Vide Platonem *loco citato.* Forte Pyrolampes hic est idem cum illo ὀνιθο[illegible], qui avibus & præcipue pavonibus delectabatur. Taxat eum pro[illegible] Aristophanes σφηξί. Plutarchus *Pericle* Pyrilampen, qui Periclis familiaris erat, a Comicis propterea traductum scribit, quasi mulieribus, quibus Pericles miscebatur, pavones subjiceret. Antiphon rhetor, orationem *de pavonibus* habuit, teste Athenæo IX, 12. in qua Δῆμον τὸν Πυριλάμπους (sic legendum, non Περιλάμπους) *Demum Pyrilampis filium*, varias aves nutrire scribit, quæ a multis spectentur. Memorat eandem orationem Eustathius il. β fol CCLXI. Forte hic est Antiphon noster Pyrilampis filius, qui patrocinium parentis sui adversus poetarum convitia oratione illa suscepit. Certum tamen id adfirmare nolim: potuit enim & hæc oratio esse scholastica, sive in schola ad exercitium ficta & facta, ut pleræque aliæ, Senecæ controversiæ, Quintiliani declamationes, Himerii & cætera. de quibus Hieronymus in epistolam ad Gal. cap. 2. *aliquoties cum adolescentulus Romæ controversias declamarem & ad vera certamina fictis in litibus exercerer.* confer Meursium *Lect. Attic.* IV, 5.

Antiphonta (8) Critobuli filium memorat Hippocrates in Epidemiorum libris apud Galenum L. II. *de diebus Criticis* c. 5.

Anti-

Antiphon (9) circuli quadraturam tradidit, ut auctor est Aristoteles lib. I. *de soph. El.* c. 10. & lib. I. *Phys.* c. 1. Idem forte, cujus sententiam de rerum naturalium fictione (liceat in vocem γένεσις interpretari, ut γένησις generationem notat) memorat Aristoteles lib. II. *Phys.* c. 1. ubi Simplicius eum Sophistam adpellat.

Antiphon (10) quidam poeta fuit, quem Dionysius senior, Siciliæ Tyrannus, qui Olymp. XCIII, 3. teste Diodoro Sic. XIII, 94. imperium obtinuit, e medio sustulit, quod tragœdias ipsius vituperaverit, vide Plutarchum lib. de X. Rhet. Dionysii vero senioris tragœdias laudat Plutarchus *Timoleonte* & cætera. alii aliam adferunt rationem, ut ex Plutarchi de X. Rhet. constat. Plutarchus L. *de discr. adul. & am.* Κακῶς δὲ καὶ Ἀντιφῶν, παρὰ Διονυσίῳ ζητήσεως οὔσης καὶ λόγου, ποῖος χαλκὸς ἄριστος, ἐκεῖνος εἶπεν ἐξ οὗ κατεσκεύασαν Ἀθηναῖοι τὰς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος εἰκόνας. Οὔτε γὰρ ὠφελεῖ τούτων τὸ λυπηρὸν καὶ πικρὸν, οὔτε τέρπει τὸ βωμολόχον καὶ παιδιῶδες, ἀλλ' ἔστι κακοήθεια καὶ ὕβρει μεμιγμένης ἀκρασίας μετ' ἔχθρας τὸ τοιοῦτον εἶδος, ᾧ χρώμενοι προσαπολλύουσιν αὐτοὺς, τὴν περὶ τὸ φρέαρ ὄρχησιν ἀτεχνῶς ὀρχούμενοι. Καὶ γὰρ Ἀντιφῶν ἀπέθανεν ὑπὸ Διονυσίου. ***Male etiam Antiphon: qui cum apud Dionysium quareretur ac disputaretur, quodnam as optimum esset, id pronunciavit omnibus præstare, ex quo Athenienses Harmodii ac Aristogitonis statuas paravissent. Id genus dicta acerbitatem habent inutilem, & scurrilitatem jocumque non delectantem, sed incontinentium est, odium malitia ac contumelia permixtum gerentium, quo utentes sibi ipsis exitium conflant, saltantes (quod in proverbio est) circum puteum. Nam & Antiphonem interfecit Dionysius.*** Confer eundem *de contradict. Stoic.* Antiphontis hujus procul dubio moribundi dictum adfert Aristoteles L. II. *Rhet.* c. 6. Ἀντιφῶν ὁ ποιητὴς μέλλων ἀποτυμπανίζεσθαι ὑπὸ Διονυσίου, εἶπεν, ἰδὼν τοὺς συναποθνήσκειν μέλλοντας ἐγκαλυπτομένους ὡς ᾔεσαν διὰ τῶν πυλῶν, τί ἐγκαλύπτεσθε, ἔφη; ἢ μὴ αὔριόν τις ὑμᾶς ἴδῃ τούτων; ***Antiphon poeta cum tympano torquendus esset a Dionysio & videret una morituros se obnubere & velare, ut egressi sunt ex portis, quid inquit velamini? an cras aliquis horum vos videat?*** Forte hic est ὁ τραγῳδοποιὸς Athenæo sic dictus lib. XV, c. 4. cujus πλήξιππον Aristoteles *Rhet.* II, 2. & Athenæus loco citato. Ἀνδρομάχην auctor Ethicorum Eudemiorum lib. VII. c. 4. citant. Hunc Antiphontem cum Rhamnusio confundit Plutarchus L. *de X. Rhet.* Rhamnusius enim ille a populo Atheni-

ensi

ensi, hic poeta a Dionysio fuit interfectus, & quidem diversis temporibus. Minus conveniunt, quæ de loco tradit Plutarchus iste. Scribit enim, quod Antiphon Rhamnusius disertus Corinthi pone forum extructa taberna, morbos atque dolores omnes verbis se levaturum professus sit, auditisque ægritudinum caussis, ægros consolatus sit. Quem artem cum se minus dignam arbitraretur, ad Rhetoricam se contulerit. Ita Plutarchus iste, quæ tamen in Antiphonta secundum sapientem minime conveniunt, Antiphonti inepto rhetori potius tribuenda.

Antiphon (II) quidam Atheniensis somniorum interpres fuit & de sua arte librorum scripsit. Suidas Ἀντιφῶν. Ἀντιφῶν, Ἀθηναῖος, ὀνειροκρίτης, περὶ κρίσεως ὀνείρων ἔγραψεν, *Antiphon Atheniensis somniorum conjector, de somniis intelligendis scripsit.* Meminit hujus omnino Cicero lib. II. de divin. *Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi, mane ad conjectorem, at ille: Vinces inquit; id enim celeritas significat & vis equorum; Post idem ad Antiphontem: Is autem vincare, inquit, necesse est. Annon intelligis quatuor ante te cucurrisse. Ecce alius cursor,* & quæ sequuntur. confer eundem lib. I. *de divin.* de eodem Seneca controv. IX. *Otho Iunius edit quidem IV. libros colorum, quos belle Gallio noster Antiphontis libros vocabat, tantum in illis somniorum est.* Tertullianus L. *de anima*, ubi de somniis agit. *Quanti autem*, inquit, *commentatores & adfirmatores in hanc rem: Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, Cratippus, & Dionysius Rhodius, Hermippus tota seculi litteratura.* Sed & alii sunt e Græcis ὀνειροκριτικῶν, hoc est, somniorum interpretandorum scriptores: * Geminus Tyrius, Panyasis Halicarnasseus, Alexander Myndius, Phœbus Antiochenus, Demetrius Phalereus, Nicostratus Ephesius, Astrampsychus, Artemidorus Daldianus, Antipater, Apollonius Attalensis, Aristander Telmessensis, Aristarchus, Cassius Maximus, Dionysius Heliopolita, juxta Andr. Schottum ad Senecæ locum citatum, & Nicol. Rigaltium ad Artemidorum p. 11. ** itemque Pappus Alex. apud Suidam. Me-

* *Confer Lambec. Prodrom. H. L. p. m. 48.*

** *Is Onirocritica τοῦ Achmet, filii Seirim, Medici cujusdam Arabis, cum Daldiani & Artemidori* Ονειροκριτικῶν *Libris, suisque eruditissimis notis, Græce & Latine edidit Lutetiæ 1603, 4.*

Meminit Antiphontis nostri & Fulgentius L. I. *Mythol.* ubi male *Antiphon Philocrus* dicitur, cum *Antiphon, Philochorus* legi debeat; horum enim uterque somniorum interpres fuit. Verum hunc Antiphonta a τερατοσκόπῳ isto tertio Antiphonte minime diversum esse puto.

Antiphon quidam (12) a Demosthene coram Areopago proditionis accusatur, quasi Philippo Macedoni navalia Atheniensium se concrematurum clam pollicitus esset, & captis damnatur. De eo Demosthenes Orat. pro Ctesiphonte Olymp. CXII, 3. habita & Plutarchus *Demosthene.*

Antiphonta quendam (13) Georgicorum scriptorem laudat Athenæus XIV, 17. Atque hæc de Antiphonte eo prolixius tradere volui, quo magis intricate de Antiphonte agit Plutarchus L. *de X. Rhet.* de Antiphonte autem nostro primo nihil habeo dicere, neque de ejus ætate neque de genere. De viris doctis eum egisse supra audivimus.

6. Antisthenes quidam scripsit τῶν φιλοσόφων διαδοχὰς, *Philosophorum successiones,* quas citat Laertius lib. I. *Thal.* lib. II. *Socr. Aristip. Mened.* lib. IV. *Crat.* lib. VI. *Diog.* lib. IX. *Heral. Zen.* Diversus autem est hic Antisthenes ab Antisthene Cynico illo, de quo L. I. c. 8. egimus. Hic enim Cynicus præsente Diogene Cynico mortuus est, teste Laertio lib. VI. *Antisth.* Diogenes Cynicus mortuus est eodem die Corinthi, quo Alexander Babylone Olym. CXIV. teste Laertio L. VI. *Diog.* Sed Antisthenes noster διαδοχῶν auctor, vitam Diogenis Cynici & posteriorum scripsit. Probanda hic est Vossii conjectura, qui Antisthenem eum hic intelligit, quem *Rhodium* * & *Historicum* ** adpellat Laertius L. VI. Antisth. *Peripateticum* Phlegon *Mirab.* c. 3. ut huic philosopho pariter & Historico bene conveniat Historia Philosophica *de successionibus,* quam civis ejus Sosicrates Rhodius itidem tradidit. Forte hujus est liber ille Μαγικὸς, quem Antistheni Cynico tribuit Suidas Αντισθ. *** cujusmodi argumentum Eudemus Rhodius civis ejus quoque tractavit. Vixerit itaque hic Antisthenes post A. U. C. DLXIII. & Antiochum Magnum & ante A. U. C. CM. quo Phlegon florebat.

* *a patria.*
** *quia patria eum Historiam scripsisse Polybius memorat.*
*** *& Aristoteli Laertius proœmio I.*

7. Apollodorus quidam λογιστικὸς & ἀριθμητικὸς dictus fuit, e quo *Thaletis* vitam inlustrat Laertius lib. I. Thal. *Pythagoræ* Athenæus X, 4. & Laertius lib. VIII. *Pyth.* Verum hic Apollodorus Mathematicis potius, quam Historicis adnumerandus est.

8. Aristocles Messenius, Peripateticus, συνέταξε περὶ Φιλοσοφίας βιβλία δέκα. Καταλέγει δὲ ἐν τούτοις πάντας φιλοσόφους καὶ δόξας αὐτῶν, immediate enim hæc cohærere debent in Suida. *Scripsit de Philosophia libros decem; enumerat vero in illis omnes Philosophos eorumque opiniones*, verba sunt Suidæ Ἀριστοκλῆς. *Sextum* ejus operis librum citat Suidas Σωτάδης. Σωτάδης Βυζάντιος φιλόσοφος, ὡς ἐν τῷ περὶ φιλοσοφίας Ἀριστοκλῆς. *Sotades Byzantius erat philosophus, ut Aristocles scribit lib. VI. de Philosophia. Septimum* librum citat Eusebius, & ex eo egregia fragmenta servat lib. XV. *de præp. Evang. cap.* πῶς γάρ. ubi de adversariis Aristotelis agit. Et quæ ex Lycone de Aristotele ibi Aristocles adduxit, eadem ex Aristocle non tamen citato libro, adducit Theodoretus serm. VIII. & XII. Eundem librum Eusebius *cap.* Στοιχεῖον, ubi de Stoicis agit. Neque alium librum citat lib. XI. *præp. Evang. cap.* τριχῆ f. his verbis: ταῦτα μὲν ὁ Ἀττικός. ἐπιμαρτυρεῖ δὲ τοῖς αὐτοῖς καὶ ὁ Περιπατητικὸς Ἀριστοκλῆς ἐν ἑβδόμῳ συγγράμματι, ὧν περὶ Φυσιολογίας (legendum Φιλοσοφίας) συνέταξεν, ὧδε λέγων πρὸς ῥῆμα. *Octavum* operis ejus librum laudat idem Eusebius & multa inde adfert lib. XIV. *præp. Evang. cap.* ἄλλοι δὲ & sequentibus. Quibusdam Alexandri Aphrodisei præceptor fuisse dicitur, quod si ita est, jam de ejus ætate constaret. Alius forte est Aristocles ille Musicus, cujus meminit Athenæus. Apollonii ad Aristoclem sententiam laudat Stobæus serm. XX. qui est *de ira.* vivebat autem quidam Apollonius & Aristocles sub Evergete II. Itemque sub Augusto, & tandem sub Antonino Pio, ut incertum sit, qui Apollonius & Aristocles hic intelligantur. Ad Aristoclem Phrynichus librum scripsit teste Photio Ecl. CLVIII.

9. Artemon Cassandreus, περὶ συναγωγῆς, vel ut aliis placet, ἀναγωγῆς βιβλίων scripsit. Docet hoc Athenæus XII, 3. Λυδοὶ δὲ εἰς τοσοῦτον ἦλθον τρυφῆς, ὡς καὶ πρῶτοι γυναῖκας εὐνουχίσαι, ὡς ἱστορεῖ Ξάνθος ὁ Λυδός, ἢ ὁ εἰς αὐτὸν τὰς ἀναφερομένας ἱστορίας συγγεγραφὼς Διονύσιος ὁ Σκυτοβραχίων, ὡς Ἀρτέμων φησὶν ὁ Κασσανδρεὺς ἐν τῷ περὶ συναγωγῆς βιβλίων, ἀγνοῶν ὅτι Ἔφορος ὁ συγγραφεὺς μνημονεύει αὐτοῦ ὡς παλαιοτέρου ὄντος καὶ Ἡροδότῳ τὰς ἀφορμὰς δεδωκότος.

τ☉-. *Lydi adeo luxu corrupti sunt, ut primi fœminas castraverunt, quod refert Xanthus Lydus, vel Auctor historiarum quæ ipsi adscribuntur, Dionysius Scythobrachion, ut ait Artemon Cassandreus, in Opere de librorum collectione, nescius tamen Ephorum scriptorum ejus meminisse, ut antiquioris, & qui Herodoto argumentum scribendi dedisset.* Unde intelligimus Artemona hunc historiam librorum, deque eorum veris auctoribus scripsisse. Eundem quoque citat lib. XV, c. 14. Ἀρτέμων Κασσανδρεὺς ἐν δευτέρῳ βιβλίων χρήσεως, uti illa verba legenda puto. *Artemon Cassandreus libro secundo de usu librorum.* Quæ librorum historia philosophicæ nostræ Historiæ maximam lucem fœnerari potuisset.

10. Artemon Clazomenius, *de Homero* scripsit, ὡς λέγει ὁ Κλαζομένι☉- Ἀρτέμων ἐν τῷ περὶ Ὁμήρε, ait Suidas Ἀρκτῖν☉-. Sed de aliis quoque Musicis scripsisse videtur. De Timotheo Milesio, Musico, locum e primo Artemonis libro περὶ Διονυσιακῶ ἐπιςήματ☉-, adfert Athenæus XIV, I. & ex eodem paullo post de Tripode, organo quodam Musico nonnihil adducit. Vivebat ætate Periclis, Olymp. LXXXIV, 4. teste Plutarcho *Pericle* & Anonymo Olympiadographo Artemo quidam Mechanicus dictus περιφόρητ☉-. Si Servio ad IX. Æn. fides habenda est, Clazomenius hic fuit. Hunc de Homero scripsisse cur Vossius statuat, caussæ nihil sane video, præter patriam, quam habuere communem. Artemona Pergamenum de Pindaro egisse, docet Scholiastes Pindari ad Pyth. od. I. λέγεται δὲ ὁ Πίνδαρ☉- ὕτως ἐπιβεβλῆσθαι κατὰ Ἀρτέμωνα τὸν ἱςορικὸν, ὅτι δὴ αὐτῷ ὁ ἱέρων χρυσῆν ὑπέχετο κιθάραν. Mentio ejus iterum fit ad Olymp. od. II. & V. Pythion. od. III. & Isthm. od. I. Itemque apud Tzezen ad Lycophrona fol. XXXVIII. Idem autem hic Artemo sit cum priorum altero non facile dixerim. Neque enim diversæ patriæ nomina localia diversos statim scriptores arguunt. Antiphanes mediæ comediæ poeta, Larissæus Thessalus ortu, Atheniensis civis factus est, teste Anonymo περὶ κωμῳδίας, Aristophani præmisso. Anonymus Ὀλυμπ. ἀναγρ. Olymp. XCIII, 1. & Suidas Ἀντιφ. Smyrnæum vel secundum Dionysium, Rhodium eum faciunt, sed vide quæ L. I. c. 2. diximus.

11. Carystius, Pergamenus, Grammaticus, περὶ διδασκαλιῶν scripsit, & in iis notavit Alexin Parasiti primum meminisse. Athenæus VI, 7. Τὸν δὲ νῦν λεγόμενον παράσιτον Καρύσι☉- ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῷ περὶ διδασκαλιῶν εὑρεθῆναί φησιν ὑπὸ πρώτυ Ἀλέξιδ☉-. Indicavit

 quo-

quoties quisque poetarum vicerit. Auctor vitæ Sophoclis νίκας ἔλαβεν εἴκοσιν, ὥς φησι Καρύστιος. Scripsit quoque περὶ Σωτάδου, teste Athenæo XIV, 4. & in eo opere Sotaden Jonico carmine nomen sibi parasse tradidit. Scripsit quoque ὑπομνήματα ἱστορικὰ, quæ crebro citat Athenæus XII, 11. XIII, 5. 7. 9. XIV, 10. XV, 9. Scholiastes Theocriti Idyll. XIII.

12. Celsus quidam sex libris philosophorum opiniones atque placita est complexus. Docet hoc Augustinus præfatione libri de hæresibus ad quod vult deum. *Opiniones*, inquit, *omnium Philosophorum, qui sectas varias condiderunt usque ad tempora sua (neque enim plus poterat) sex non parvis voluminibus quidam Celsus absolvit. Nec redarguit aliquem, sed tantum quid sentiret, aperuit ea brevitate sermonis, ut tantum adhiberet eloquii, quantum rei nec laudanda nec vituperanda, nec affirmanda aut defendenda, sed aperienda indicandaque sufficeret, cum ferme centum Philosophos nominasset, quorum non omnes instituerunt hæreses proprias: quoniam nec illos tacendos putavit, qui suos magistros sine ulla dissensione sequuti sunt.* Sed plures fuerunt Celsi. Celsum Epicureum quendam sub Nerone vixisse, auctor est Origenes lib. I. *contra Celsum:* δύο δὲ παρειλήφαμεν Κέλσους γεγονέναι Ἐπικουρείους, τὸν μὲν πρότερον, κατὰ Νέρωνα. Τοῦτον δὲ κατὰ Ἀδριανὸν καὶ κατωτέρω. *Duos accepimus Celsos fuisse eosdemque Epicureos: unum quidem sub Nerone, alterum vero Adriani ætate & post.* E quibus verbis alterum quoque vixisse Celsum Epicureum intelligimus, & quidem ætate Adriani. Hic posterior licet Epicureus fuerit, Platonem tamen plerumque sequutus est, observante Origene lib. I. & IV. *contra Cesum.* Librum scripsit contra Judæos & Christianos, cui titulus λόγος ἀληθής, teste eodem Origene locis citatis. Isto libro Marcionis hæretici, qui sub Antonino Pio & Marco Vero potissimum floruit, errores Christianis objecit, teste eodem Origene lib. VI. unde sequitur, Celsum sub Augustorum dictorum altero vel post illa tempora librum suum contra Christianos scripsisse. Huic Celso libro Origenes postea octo libros opposuit, teste Eusebio *Hist. Eccl.* lib. VI. c. 36. Marianus Scotus ad annum II. Gordiani: *Origenes contra quendam Celsum Epicureum Philosophum, qui contra nos libros scripserat, octo voluminibus respondit.* Hic forte Celsus ille est, ad quem Luciani Epicurei dialogus Ἀλέξανδρος ἢ ψευδομάντις, scriptus est, cujus hoc initium: Σὺ μὲν ἴσως, ὦ φίλτατε Κέλσε. Ubi Lucia-

nus

nus simul indicat, hunc Celsum *κατὰ μάγων* scripsisse. Horum utri an neutri historia ista philosophica vere tribui debeat, quærendum porro erit. Cornelium Celsum, qui de re Medica, militari & rustica scripsit, memorant Columella III, 17. Quintilianus, alii. Sed hic Celsus antiquior est. ***Iulius Atticus & Cornelius Celsus ætatis nostræ celeberrimi auctores***, ait Columella l. c. qui Claudii temporibus floruit. Celsos JCtos norunt legum Romanarum studiosi; Celsum adloquitur Flavius Vopiscus ***Probo.*** reliquos hic mittamus.

13. Cleomenem quendam *περὶ Ἡσιόδου* egisse docet Clemens Alex. lib. I. ***Strom.*** sed Grammaticum potius quam Historicum opus fuisse reor. Verba Clementis hæc sunt: *Τὸ δὲ ἐγγύα. παρὰ δ᾽ ἄτα. Κλεομένης μὲν ἐν τῷ περὶ Ἡσιόδου, Ὁμήρῳ φησὶ προειρῆσθαι διὰ τούτων.*

Δειλαί τοι δειλῶν τε καὶ ἐγγυάασθαι·

Οἱ δὲ περὶ Ἀριστοτέλη, χίλωνος αὐτὸ νομίζουσι. Δίδυμος δὲ Θαλοῦ φησιν εἶναι τὴν παραίνεσιν. Aristoteles nimirum proverbium illud ***Spon de prope est damnum***, tribuit Chiloni, Didymus vero parœmiographus Thaleti. Forte idem est Cleomenes, cujus *παιδαγωγικὸν* citat Laertius L. VI. ***Diog.*** Et si idem esset, cujus epistolam ad Alexandrum citat Athenæus IX, 11. jam de ætate ejus constaret.

14. Damas vitam Eudemi, Philosophi Peripatetici, scripsit, notante Simplicio præfat. ad L. VI. *περὶ φυσ. ἀκροασ.* Aristotelis: nisi forte ***Damascius*** integre legendum, quanquam & ***Damas*** nomen notum est ex lib. CLXII. ff. de verb. signif.

15. Damon, Cyrenæus, *περὶ τῶν φιλοσόφων*, ***de Philosophis*** scripsit, teste Laertio lib. I. ***Thal.*** verbis: *Δάμων ὁ Κυρηναῖος, γεγραφὼς περὶ τῶν φιλοσόφων, πᾶσιν ἐγκαλεῖ, μάλιστα δὲ τοῖς ἑπτά.* ***Damon, Cyrenæus, qui de philosophis scripsit, omnes insimulat, præcipue vero septem illos sapientes.**** Alius ab hoc est Damon, Damonidis filius, Atheniensis, apud Stephanum *ὄα*.

16. Demosthenes, Thrax, *περὶ διθυραμβοποιῶν*, ***de Poetis dithyrambicis*** scripsit, teste Suida *Δημοσθ.* quo opere non vitam modo eorum, sed fabularum quoque eorum historiam omnino tradidit.

* ***de quorum scilicet fama plurimum detrahere videtur.***

17. Diocles Magnes, περὶ βίων φιλοσόφων, *de vitis Philosophorum* scripsit: quibus libris suam Historiam sæpe numero Laertius illustrat: quippe quos citat lib. II. *Xenoph. Aristip.* lib. VI *Antisthene bis, Diog. bis, Crat. bis, Menippo, Menedemo,* lib. VII. *Zenone, Chrysippo bis,* lib. IX. *Pyrrhone bis,* lib. X. *Epic.* Omnino idem est Diocles ille Magnes, cujus libros ἐπιδρομὴν τῶν φιλοσόφων, citat Laertius lib. VII. Zen. *Tertium* eorum laudat lib. X. Epic.

18. Diogenes Tarsensis, Epicureus, scripsit ἐπιτομὴν τῶν Ἐπικούρου Ἠθικῶν δογμάτων, *Epitomen dogmatum Ethicorum Epicuri*, teste Laertio lib. X. Idem qui ἐπιλέκτους σχολὰς scripsit, quarum librum I. V. & XX. citat Laertius libro citato, ut ita viginti libris minimum ea πραγματεία constiterit. Idem omnino Diogenes ille Tarsensis, qui juvenis Tragica carmina scripsit, juxta Strabonem lib. XIV. περὶ ζητημάτων ποιητικῶν scripsisse tradit Laertius lib. VI. *Diog.* uti & Zenodotum Alexandrinum λύσεις ὁμηρικῶν ἀπορημάτων, scripsisse auctor est Suidas Ζηνοδ. Puto ζητήματα ejusmodi fuisse, qualia circa poetarum explicationem movere consveverant Grammatici, de quibus alibi.

19. Dionysius Phaselites, librum *de Poesis* edidit, ut ex auctore vitæ Nicandri, Theriacis hujus præfixæ cognoscimus, qui etiam *de Antimachi poesi* eum egisse ibidem nos docet. Sed hoc præstitit omnino opere illo *de Poetis*. Quoniam vero Nicandrum Poetam patria Ætolum fuisse asseruit, hinc post Nicandri tempora eum vixisse colligimus. Meminit ejus quoque Schol. Pindari Pyth. II.

20. Dionysius, Ephesius, τὴν τῶν ἰατρῶν ἀναγραφὴν, *Medicorum descriptionem* reliquit & in ea tradidit a Theocrito ἐπιγραμμάτιον Erasistrati Milesii Medici, qui Niciam Medicum itidem Milesium familiarem habebat, scriptum esse, teste auctore hypotheseos Theocritei idyllii ια. Eodem autem tempore vivebat & Erasistratus Ceus, Medicus, qui forte idem est, ut & Ceus patria, & Milesius habitatione fuerit. Sed potuerunt esse diversi Medici Erasistrati, & quidem eodem tempore. Cum Erasistratum Sicyonium Medicum & Niciam Nicopolitam Medicum in antiquorum monimentis reperiamus.

21. Evagoras, Lyndius, Historicus, scripsit vitam Timagenis aliorumque celebrium virorum, teste Suida Εὐαγ. Forte hic Timagenes est Rhetor ille Alexandrinus, qui i, qui ejus vitam scripsit, Evagoras, rhetoricos commentarios & historiam Ægyptiacam edidit, sed de Timagene

gene alibi. Diversus autem hic est Evagoras ab Evagora illo L... Cleobuli patre, apud Laertium lib. I. *Cleob.* Alius item e... agoras Cyprius Nicocratis illius librorum studiosi apud Athenæum I, 1. filius, juxta Isocratem *Evag.* & Pausan. *Att.* alius item, qui Nicoclem prioris Evagoræ patruelem patrem habuit, Pythagoram vero Nicoclem & Protagoram filios, apud Xenophonta Ἑλλ. II. IV. Pausan. *Att.* Evagoras quidam Cinesiæ pater fuit, teste Platone Comico apud Galenum. comm. VII. *in Aphorismos Hipp.* §. XLIV. de Evagora Thasio vide Vossium. de aliis alios.*

22. Herodorus quidam scripsit τὴν Ὀρφέως καὶ Μυσαίυ ἱστορίαν, *Orphei & Musæi historiam*, teste Photio Ecl. LXXX. Erant autem Orpheus & Musæus antiqui Poetæ & Theologi satis celebres, de quibus in *Scriptoribus sacris* agemus fusius. Idem est Herodorus ille, qui ἀργοναυτικὰ scripsit, teste Scholiaste Apollonii ad α & β λόγον. quæ eadem e Græcis quoque tradidere Cleon & Dionysius Milesius teste eodem Scholiaste. Omnino est idem Herodorus, quem ut Grammaticum frequenter cum Apione conjungit Eustathius. Ἀπίων καὶ Ἡρόδωρος, ὧν βιβλίον εἰς τὰ τῦ Ὁμήρυ φέρεται, inquit Eustathius il. α fol. XXI. Τὰ Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρυ εἰς τὸν Ὅμηρον ὑπομνήματα, idem ibidem fol. XXXV. Plerumque autem ita conjunctim citantur ab eodem il. α sæpius: β sæpius. Idem est Herodorus credo, qui de Hercule scripsit teste Scholiaste Pindari Olympion. V. Clemente Alex. lib. I. Strom. & Athenæo lib. IX. ubi liber ejus *decimus septimus* de gestis Herculis citatur. *Decimum* laudat Stephanus γλῆτες. adde quæ Vossius conlegit. Quod si Apion ille, qui cum sæpe apud Eustathium citatur, esset Apion ille Alexandrinus,

* 23. *Flavianus librum* de philosophorum vestigiis *exaravit, teste Saresberiensi L. II. C. 26. de Nugis Curial. ex quo etiam nonnulla adducit L. VIII. 11. 12. In eo forte philosophorum dicta resque gestas exposuit, confer Vossium L. de Hist. L. III. fol. m. 703. 704.*

24. *Guilielmus quidam opus* de vita & moribus philosophorum ad Gunthelacum *scripsit, quod in Bibliotheca Paulina Londini extare dicitur a Johan. Lelando in Commentariis de scriptoribus Britann. Tom. I. p. 216.*

...s Grammaticus, eique æqualis fuisset, jam ætatem ejus certam haberemus, ... n alias ignoramus. Alius autem est Herodorus ille Tubicen Megarensis inusitatæ magnitudinis & voracitatis homo, qui tanta spiritus vehementia tubam inflare solitus fuit, ut circumstantes tanquam turbo summo veret, vide Athenæum X. 3.

25. Herodotus quidam Homeri vitam litteris prodidit, etiamnum superstitem, quam laudat Stephanus νέον τεῖχος, ὡς Ηρόδοτος ἐν Ομήρου βίῳ, itemque Suidas Ομηρος. Ηρόδοτος ἱστορικὸς ἔγραψε βίον Ομήρου. Et vix mentio ejus alibi facta occurret. Sunt, qui Herodoto illi Halicarnassensi prisco historico eam tribuant, nominis similitudine decepti, cui quo minus adscribi debeat, obstant non levia. Herodoti illius antiqui si fuisset, dudum ejus vel celerrima facta fuisset mentio, atque ex isto auctorum silentio non infirmum hic ducitur argumentum. Auctor hic præterea contradicit Herodoto Halicarnassensi de ætate Homeri, quem annis CLXVIII. post bellum Trojanum & DCXXII. ante expeditionem Xerxis in Græciam vixisse Herodotus noster tradit. Halicarnasseus vero eum se quadringentis annis antiquiorem saltem esse scribit *Euterpe*, ut recte observat Vossius.

26. Heron, Rhetor Atheniensis, scripsit περὶ τῶν Αρχαίων Ρητόρων, καὶ τῶν λόγων, οἷς ἐνίκησαν πρὸς ἀλλήλους ἀγωνιζόμενοι, ut auctor est Suidas Ηρων. Cujus sane operis jacturam eo iniquiore ferimus animo, quo nobilior fuit labor, & pauciores supersunt, e quibus damnum resarciri potest. Poetarum autem more ipsi quoque rhetores inter se committebantur & certabant.

27. Hippobotus, τὴν τῶν Φιλοσόφων ἀναγραφὴν scripsit, qua crebro utitur Laertius lib. I. *Thal.* lib. V. *Heracl.* lib. VI. *Crat. Mened.* lib. VII. *Zen.* lib. VIII. *Pyth. Emp.* lib. IX. *Heracl. Tim.* lib. X. *Epic.* de Pythagora ex eo locum adferunt Porphyrius *vita Pythagoræ*, Jamblichus itidem *vita Pythagoræ* c. 31. Clemens Alex. lib. I. *Strom.* Scripsit quoque de Sectis Philosophorum, ut ex Laertio intelligimus, qui proœmio: Ιππόβοτος ἐν τῷ περὶ αἱρέσεων, ἐννέα φησὶν αἱρέσεις καὶ ἀγωγὰς εἶναι πρώτην Μεγαρικὴν, δευτέραν Ερετρικὴν, τρίτην Κυρηναϊκὴν, τετάρτην Επικούρειον πέμπτην Αννικέρειον, ἕκτην Θεοδώρειον, ἑβδόμην Ζηνώνειον, τὴν καὶ Στωϊκὴν, ὀγδόην Ακαδημαϊκὴν τὴν ἀρχαίαν, ἐνάτην Περιπατητικὴν· οὔτε δὲ Κυνικὴν, οὔτε Ηλειακὴν, οὔτε Διαλεκτικήν. *Hippobotus in libro de sectis, novem ait fuisse sectas atque instituta. Ex his Megaricam*

primo

primo loco constituit, secundo Eretricam, tertio Cyrenaicam, quinto Anniceriam, sexto Theodoream, septimo Zenoneam, eandemque Stoicam, octavo Academicam veterem, nono Peripateticam; Cynica autem & Eliaca atque Dialectica nullam mentionem facit. Iterum lib. II. *Aristippo.* εἶναι δὲ τὴν ἡδονὴν ἀγαθὸν κἂν ἀπὸ τῶν ἀσχημοτάτων γένηται, κατά φησιν Ἱππόβοτος ἐν τῷ περὶ τῶν αἱρέσεων. *Esse autem voluptatem* (ex sententia nimirum Aristippi) *etiamsi a turpibus oriatur rebus, bonum quid, ut ait Hippobotus L. de sectis.* Hinc itaque colligimus Hippobotum dogmata quoque philosophorum simul in illo opere exposuisse, ut φιλοσόφων ἀναγραφὴ pars operis περὶ αἱρέσεων fuerit. Memorat hoc de sectis opus etiam Varinus voce ἅρεσις. confer & Suidam in αἵρεσις & Ἱππόβοτος. Supervacanea itaque & inanis est illa Rittershusii notis ad Porphyrii citatum locum querela: *De Hippoboto quaerendum amplius, quis fuerit.*

28. Hugo quidam librum διδασκαλιῶν scripsit, quem inter *ἀνέκδοτα* littera K servat optima bibliotheca patriae meae Gottorpiana, itemque bibliotheca Mertonensis Oxoniae.

29. Istomachi *de Hippocratis secta* libri, quos Soranus vita Hippocratis laudat, Medico potius quam Philosopho fuissent profuturi. Istomachi nomen alias ignotum est. Ischomachum Histrionem Nymphodori imitatorem novimus ex Athenaeo X, 20.

30. Laetum quendam Tatianus λόγῳ πρὸς ἕλληνας Theodoti, Hypsicratis, & Mochi scripta, quibus res Phoenicum lingua patria consignaverant, in Graecam linguam traduxisse affirmat. Vitas quoque philosophorum diligenter scripsit, unde τοὺς βίους τῶν φιλοσόφων ἐπ' ἀκριβὲς πραγματευσάμενος, eidem Tatiano loco citato dicitur. Id autem notandum, esse in Tatiano signum defectus, & verba sic legi: λαῖτος --- καὶ ὁ τοὺς βίους τῶν φιλοσόφων ἐπ' ἀκριβὲς πραγματευσάμενος. Quoniam vero Philo Byblius Sanchuniathonis Phoenicum Theologiam in Graecum idioma transtulit, teste Theodoreto Θερ. II. & de inlustribus viris itidem scripsit, teste Suida Φιλ. investigandum est ulterius, annon idem Philo caeteros quoque Phoenicios scriptores quos Laetus, transtulerit, ut ita legi possit *Laetus & Philo, qui accurate de Philosophis scripsit.* Quam vero Laeti nomen corruptum saepe legatur, de eo vide Cl. Reinesii libellum *de lingua Punica* c. 12. §. 6. Diversus ab hoc Laeto est Quintus Aelius Laetus, praefectus sub Commodo, apud Herodianum Commodo §. II, ubi

 pra-

præfectibus exercitibus, & Lampridium Commodo §. 5. ubi *Præfectus prætorio* dicitur. Lætum Ægypti præfectum sub Severo Imp. laudat Herodianus *Severo*, Eusebius *Hist. Eccl.* VI, 2. Niceph. *Hist. Eccl.* V, 3. Mentio quoque fit Præfecti Lætorum Teutonicorum, & Præfecti Lætorum gentilium Suevorum, Præfecti Lætorum Suevorum, in Notitia Imperii. Lætorum item meminit Ammianus lib. XXI. & lib. X. C. Theod. de veteranis.

31. Leander, Græce Λεάνδρος & Λέανδριος, Milesius, de Thalete & Græciæ sapientibus egit, ut constat ex Laertio lib. I. *Thal.* Meminit ejus quoque Cyrillus lib. X. *contra Iulianum* & Macrobius L. I. *Saturn.* c. 17. ubi male *Meandrius* vulgo legitur, Mæandrium scriptorem alias novit Athenæus X, 20. & Polybius L. XII. sed forte idem ac noster Leandrius. De Mæandrio hoc ut dubitet Vossius vide L. IV. *de Hist. Gr.* fol. DXVIII. editionis secundæ A. MDCLI. quam sequimur. Ætatem ejus ignoramus, nisi quod ante Callimachum Jambographum vixit, teste Laertio Lib. I. *Thal.* Clemens lib. VI. Strom. eum ante Anaximenem & Hellanicum conlocat, licet vero ex nuda ista conlocatione nil firmi concludi possit, opinamur tamen eum vixisse Aristotelis ætate.

32. Lobon, Argivus, περὶ ποιητῶν scripsit, unde Laertius lib. I. de Epimenide adfert, quod apud Athenienses ἱερὸν τῶν σεμνῶν θεῶν extruxerit. Thaletem ad ducentos versus scripsisse ex eodem tradit idem lib. I. *Thal.*

33. Lycon, Jasensis, de *Pythagora* scripsit. Athenæus X, 4. Πυθαγόρας ὁ Σάμιος μετρίᾳ τροφῇ ἐχρῆτο ὡς ἱστορεῖ Λύκων ὁ Ιασεὺς ἐν τῷ περὶ Πυθαγόρου, *Pythagoras Samius modico cibo usus est juxta Lyconem Iasensem L. de Pythagora.* Erat autem Jasus Peloponnesi oppidum intra Laconiæ fines situm, teste Pausania *Achaicis*. Cæterum Ιασσὸς, *Iassus* (unde gentile Ιασσεὺς Jassensis) Cariæ fuit oppidum juxta Stephanum Ιασσὸς. Qui Choerillum inde ortum tradit. Suidas eum non Ιασσέα, sed corrupte Ιασέα adpellat, siquidem differentia aliqua inter Ιασος & Ιασσὸς juxta Stephanum est servanda. Absque dubio autem idem est Lycon ille Pythagoricus, cujus meminit Laertius lib. V. *Lycone*, qui nonnullis conviciis Aristotelem maculare conatus est. Laertius L. V. *Aristot.* καὶ Λύκωνα λέγειν, ὡς ἐν πυέλῳ θερμοῦ ἐλαίου λούοιτο, καὶ τοὔλαιον διαπωλεῖτο. Aristocles Peripateticus lib. VII. *Phil.* eadem refert, & sermonem suum his orditur verbis: Πάντα δ' ὑπερπαλαίει μωρία

τὰ ὑπὸ Λύκωνος εἰρημένα. Exstant ea apud Eusebium *de præp. Evang.* lib. XV. quem sequitur Theodoretus, Serm. XII. qui antea Serm. VIII. ex eodem Lycone commemorat, Aristotelem uxori suæ defunctæ rem divinam eo ritu facere solitum, quo Athenienses Deæ Cereri faciebant. Ut ita Lycon non de Pythagora modo, sed etiam de Aristotele & forte de aliis quoque philosophis scripserit. Ætatem ejus aliam non novimus nisi quod ante Aristoclem Messenium & post Aristotelem vixerit.

34. Megacles *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν* scripsit. Locum inde adfert Athenæus X, 4. de Curii Romani raporum esu. nisi forte pro *Megacles* qui semel tantum quod sciam, occurrit, legendum *Megaclides*, cujus crebrior fit mentio. Et licet lectio *Megacles* retinenda sit, dubitari posset recte an secus hic adducatur, qui de viris inlustribus universum scripsit.

35. Megaclides, alius ab illo Protagoræ æquali apud Laertium, lib. IX. *Prot.* Peripateticus fuit, teste Tatiano *λόγῳ πρὸς ἕλληνας*. Ejus *τὰ περὶ Ὁμήρου* citat Suidas Ἀθηναίας. idem opus respexit Eustathius ad il. *α* fol. LXIII. Neque aliud signat Hesychius Ἀθηνᾶ, *εἶδος αὐλοῦ Μεγακλείδῃ.* Tria inde promit loca Athenæus XII, 1. idem opus intelligit Tatianus loco supra L. I, c. 3. citato, ubi inter eos qui de Homeri ætate, genere, poesi scripserunt, Megaclides & Chamæleon Peripatetici recensentur. Sed corrupta sunt Tatiani verba: *Μεγακλείδης τε — ὁ Χαμαιλέων οἱ Περιπατητικοί.* quæ ex Eusebio *præp. Evang.* X, 2. ubi locus ille integer citatur, ita restitui & sanari possunt: *Μεγακλείδης τε καὶ ὁ Χαμαιλέων οἱ Περιπατητικοί.* Gesnerus interpres corrupta ista verba sequutus, & *Megaclides Chamaleensis* interpretatus, recte propterea notatur a Cl. Reinesio L. III. *var.* cap. 2. qui mutilum istum locum pro integro habet & ex Megaclide & Chamæleonte unum facit, Megaclidem, qui cognomine dicatur Chamæleon. Sed quod pace doctissimi & amicissimi Viri dixerim argumenta, quibus id probare conatur, non sunt tanti, ut quemquam movere possint. Nulla enim est consequentia: *Chamaleon scripsit de Homero, Megaclides scripsit de Homero. Ergo Megaclides est Chamaleon.* Verum non urgebo hæc operose, cum non credam, quemquam, qui Eusebii locum legerit, Megaclidem & Chamæleontem post hac unum eundemque hominem esse habiturum, hoc enim forte inventis frugibus glandibus vesci.

36. Meleager, περὶ δοξῶν, *de opinionibus* aliquot libris egit, e quorum *secundo* Cyrenaicos Physicam & Dialecticam æque aspernari probat Laertius lib. II. *Aristip.* Quis vero & cujus ætatis hic fuerit Meleager, non liquet. Meleager quidam Cynicus fuit Menippi, Cynici,* qui σπουδογέλοιος juxta Strabonem lib. XVI, & Stephanum γάδαρα dicebatur æqualis. Uterque Gadarensis fuit, teste Strabone *l. citato*. Uterque eorum συμπόσιον scripsit. Menippi Cynici συμπόσιον citat Athenæus XIV, 7.** Meleagri, Cynici, συμπόσιον citat idem XI, 14. Utriusque libri ridiculis multis referti erant, teste Laertio L. VI. 99. *Menippo.* Gesnerus Bibl. Meleagrum Cynicum & Meleagrum Gadarensem distinguit. Verum Meleagrum Gadarenum Cynicum fuisse, docet Nicium Scortum istud, quod Cynulcum illum Carneum Megarensem & reliquos Cynicos Deipnosophistas apud Athenæum IV, 14. ita adloquitur: ὁ πρόγονος ὑμῶν Μελέαγρος ὁ Γαδαρεὺς ἐν ταῖς χάρισιν ἐπιγραφομέναις ἔφη τὸν Ὅμηρον Σύρον ὄντα τὸ γένος κατὰ τὰ πάτρια ἰχθύων ἀπεχομένους ποιῆσαι τοὺς ἀρχαίους δαψιλείας πολλῆς οὔσης κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἢ μόνον ἀνέγνωτε σύγγραμμα αὐτοῦ τὸ περιέχον λεκίθου καὶ φακῆς σύγκρισιν. *Avus vester Meleager Gadarenus in opere quod Gratias vocavit, antiquos heroas piscibus abstinuisse more patrio finxisse, cum eorum magna copia in Hellesponto sit: an vero ejus opus, tantum legistis, quod lentis & leguminum comparationem continet.* Meleager itaque hic Garensis Cynicus fuit: quem propter verba citata interpretibus Homeri adnumerare nolim cum Gesnero Bibl. Meleagrum *Græcum auctorem volumen singulare scripsisse lecitbi & phaces comparationem continens ex Hermolao* refert idem Gesnerus ibidem. Verum Hermolaus Meleagri non meminit, & pro Hermolao rectius Athenæus substituitur, ut vidimus.

37. Menodotus de Timone tradit, successorem eum habuisse neminem, ejusque scholam defecisse, donec eam Ptolemæus Cyrenæus restauraret, apud Laertium lib. IX. *Tim.* Cujas autem ille Menodotus fuerit Nicomediensis an alterius patriæ, prorsus est incertum. Menodotus quidam Nicomediensis Medicus fuit Empiricus, teste Galeno & Laer-tio

* *Cui etiam a Nostro p. 246. refertur.*

** Συμπόσιον *hoc tacet Laertius, III. ejus vita, ipsum vero de Epicuro egisse, idem indicat VI, 101.*

tio lib. IX. *Tim.* ubi hunc Menodotum inter Timonis discipulos citat. Quem si quis Timonis præceptoris vitam & historiam vel seorsim scripsisse vel alicubi tetigisse, statuere velit, probabili, puto, conjectura nitetur. Fuit & alius, qui de *pictoribus* scripsit, teste Laertio lib. II. *Theod.* Menodotus Corinthius libris XIV. τὰ ἑλληνικὰ complexus est, ut auctor est Diodorus Sic. Ecl. L. XXVI.

38. Nicander, Alexandrinus, librum περὶ τῶν Ἀριστοτέλους μαθητῶν vulgavit, teste Suida Αἰσχρίων, quo ægre caremus, inprimis propter eos, qui Aristotelicam scholam exiguam semper fuisse aliis persuadere conantur: sed ecce Tibi eorum nuda nomina Peripateticorum, quorum apud antiquos mentio fit: Adrastus Aphrodiseus, Adrastus Philippensis, Anesias, Megalopolita, Agatharchides Cnidius, Agathocles, Alexander Ægeus, Alexander Aphrodiseus, Alexander Damascenus, Ammonius Alexandrinus, Ammonius Hermeæ F., Andronicus Rhodius, Antisthenes, Apollonius, Aristo Julietes Ceus, Aristo Alexandrinus, Aristobulus, Aristocles Messenius, Aristoxenus Tarentinus, Aspasius, Athenæus Seleuciensis, Athenio, Baliardus,* Boethus, Callisthenes, Chamæleon, Claudius Severus, Clearchus Solensis, Cleodemus Clitus, Crates, Cratippus, Critolaus, Demetrius Phalereus, Demetrius Byzantinus, Dicæarchus Messenius, Diodorus, Dioteles, Dorus, Echecratides Methymnæus, Egidius, Erasistratus Julietes, Erymneus, Eudemus Rhodius, Euthydemus, Eurytheus, Flavius Boethus, Heraclides Ponticus, Herminus, Hieronymus Rhodius, Leo Byzantius, Lycon, Lycus, Megaclides, Menedemus Rhodius, Menelaus Æneus, Menephilus, Menon, Metrocles, Mnason Phocensis, Neleus Scepsius, Nicolaus Damascenus, Olympiodorus, Palæphatus, Pasicrates Rhodius, Phaniades Phalanæus, Phanias Eresius, Philo, Philostratus, Phocio, Phormio, Phrasidemus Phocensis, Plato Junior, Prosenes, Ptolemæus, Rufinus Cyprius, Satyrus, Socrates Bithynus, Sotion, Staseas Neapolitanus, Straton Alexandrinus, Straton Lampsacenus, Themistius, Theodectes, Theogeton, Trageates, Theophrastus Eresius, Timarchus Uranius, Xenarchus Seleuciensis.**

* *Erit forte Petrus Abalardus, quem Ioan. Sarisberiensis sub nomine Peripatetici Palatini prodit, confer Thomasium in Observ. Select. T. VI. Observ. 20. §. 3. p. 157.*

** *Peripateticorum plures commemorant Francisc. Patricius T. I. toto*

39. Nicias, Nicenus, *τὴν περὶ τῶν Φιλοσόφων ἱστορίαν* consignavit, e quo opere de Persæo Stoico testimonium petit Athenæus IV, 17. Nisi forte ejus *περὶ τῶν Φιλοσόφων διαδοχῶν*, *liber de successionibus philosophorum* intelligitur, e quo de Estiæo Pontico lib. VI, c. 21. de Dionysio Metathemeno lib. X, c. 10. de Bione Borysthenite lib. XIII. cap. 6. Athenæus loca adfert. Ætatem ejus adhuc ignoramus, nisi quod post Estiæum Ponticum, Dionysium Metathemenum, Bionem Borysthenitem & Persæum Stoicum vixisse eum inde colligamus, quod eorum vitam scripserit. At Histiæus Amisenus Ponticus, qui reliquis posterior fuit, vixit sub Ptolemæo Physcone sive Evergeta secundo. Magister quippe fuit Tyrannionis Theophrasti, teste Suida *Τυραννίων*. Diversus ab hoc est Histiæus ille Milesius laudatus Gothofrido Viterbiensi Chron. Part. II, fol. XXXII. & XLIX, itemque Histiæus, Colophonius Musicus, apud Nicomachum L. II. *ἁρμον. ἐγχειρ.* & Boethium lib. I. *de Musica* c. 20. ubi Hestiæus adpellatur. Sed hos non moramur. Vixerit itaque Nicias noster inter Olymp. CLXXX. & CCXL. eumque apud Strabonem & Stephanum inter Nicenos frustra quæsiveris. Fuit præter hunc Nicias, Milesius, Medicus, Erasistrati condiscipulus, quem adloquitur Theocritus Idyll. XI. Nicias, Nicopolita, Medicus, cum Protogene Grammatico colloquitur apud Plutarchum Sympos. VII, 1. Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piræea apud Ciceronem lib. VII. *ad Att. epist. IV.* Nicias Smyrnæus memoratur apud eundem lib. I. *ep. ad Qu. Fr. 2.*

40. Phanocritus, librum de Eudoxo scripsit. Testis est Athenæus VII, 2. *φιλόσυκος ἦν Πλάτων ὁ φιλόσοφος ὡς ἱστορεῖ Φανόκριτος ἐν τῷ περὶ Εὐδόξου*, *ficubus libenter vesci solitus est Plato Philosophus, ut refert Phanocritus L. de Eudoxo.* Erat autem Eudoxus Platonicus philosophus, Cicero lib. II. de divin. *Eudoxus Platonis auditor, Astrologus insignis.* Plutarchus contra Colotem: Εὔδοξος Κνιδίοις καὶ Ἀριστοτέλης Σταγειρίταις Πλάτωνος ὄντες συνήθεις νόμους ἔγραψαν. *Eudoxus Cnidiis & Aristoteles Stagiritis leges tulerunt, uterque Platonis familiaris.* confer eundem lib. *de Genio Socratis* & *Sympos.* VIII, 2. Laertium L. VIII. *Eudox.*

41. Py-

L. X. Discuss. Peripateticarum, & sæpius laudatus laudandusque I. A. Fabricius, in Bibliotheca Græca III.

41. Pythagoras quidam *de Homero* scripsit, teste Laertio lib. VIII. *Pyth.* si exstarent libri de variis Pythagoris aliisque homonymis, quos adeo cavillatur Gellius XIV, 6. inter incertæ ætatis scriptores hic Pythagoras non foret numerandus. Sed audi ejus cavillationem: *Homo nobis familiaris, in litterarum cultu non ignobilis magnamque ætatis partem in libris versatus. Adjutum, inquit, ornatumque volo ire Noctes tuas, & simul dat mihi librum grandi volumine, doctrinis omnigenis, ut ipse dicebat, præscatentem, quem sibi elaboratum esse ait ex multis & variis & remotis lectionibus: ut ex eo sumerem quantum liberet rerum memoria dignarum. Accipio cupidus & libens, tanquam si copiæ cornu nactus essem: & recondo me penitus, ut sine arbitris legam: at quæ ibi scripta erant (pro Iupiter!) mera miracula. Quo nomine fuerit, qui primus Grammaticus est appellatus, & quot fuerint Pythagoræ nobiles, quot Hippocratæ.* Frustra hanc operam exagitat Gellius, quam & ante ipsum Demetrius Magnes, & post Laertius historiæ personarum inlustrandæ dederunt, quorum exemplum nos ut alibi ita & hic imitamur. Fuerunt Pythagoræ quatuor, eodem fere tempore & vicinis in locis viventes, juxta Laertium.

Vnus quidem Crotoniata, homo Tyrannicus.

Alter Phliasius, corporum exercitator, alipta, ut quidam ajunt. Puto hunc esse Pythagoram illum Eratoclis filium, Pythagoræ philosophi æqualem, cujus *ἀλειπτικὰ συγγράμματα* & constitutionem, athletas ejus temporis concernentem de esu carnium loco caricarum memorat Jamblichus lib. I. *de Pyth.* c. 5. Laertius hoc quoque indicat lib. VIII. Pyth. *Fertur &* (Pythagoras ille Samius Philosophus) *primus athletas aluisse carne & primum quidem Eurymenem, teste Phavorino lib. III. Commentariorum, cum antea caricis ficcis & caseis recentibus & tritico corpora nutrirent, teste eodem Phavorino lib. VIII. Historia omnifaria.* Eundem athletis victum tribuit Plinius lib. XXIII. cap. 7. hordeum vero idem lib. XVII. c. 7. fabas & ptisanam Galenus lib. I. *de alim. fac.* Atque ista quidem Pythagoræ philosopho tribuit Diogenes, addit tamen: *Alii vero alium quendam Pythagoram alipten athletas ita nutrire solitum dicunt non hunc. Quo enim pacto, cum hic necare vetuerit animalia, eadem gustasse credi potest?* Malchus tamen *vita Pyth.* Samio nostro philosopho hanc constitutionem tribuit. Meminit hujus rei & Plinius lib. XXIII. *Hist. Nat.* c. 7. ubi de siccis ficis agit: *corpus, ait, & vires adjuvant: ob id ante athletæ hac cibo pascebantur. Pythagoras exercitator primus ad carnes*

eos transtulit. Plinius quoque Valerianus lib. IV, cap. 47. Plinium secundum sequutus *Athleta*, ait, *antea ficis alebantur, priusquam eos Pythagoras exercitator ad carnis usum, qui fortior cibus est, transtulisset.* Quæ de Pythagora nostro Samio perperam intelligit atque explicat Barthius, quanquam & olim fuisse, qui Pythagoram Samium & Phliasium hunc eundem esse crediderunt, ex Lyco apud Malchum *vita Pyth.* discimus. Oribasius lib. I. *collect. Med.* c. 40. ex Rufo de ficubus sic loquitur: *Carica satis alere corpus queunt, quam ob rem veteres permittebant, ut athleta caricis vescerentur. Pythagoras* (versio Baptistæ Rasarii MDLV, 8. Paris. truncate *Goras* pro *Pythagoras* legit) *primus Eurameni* (Eurymeni legit Laertius) *Samio carnem adferens hunc usum antiquavit, atque ita illa vivendi consuetudo est sublata.* Suidas quoque ἰσχὰς hujus consvetudinis meminit.

Tertius Pythagoras Zacynthius est apud Laertium, cujus τἀπόρρητα τῆς φιλοσοφίας sint, quæ ipse docuerit, a quo item illud proverbium, αὐτὸς ἔφα fluxisse dicitur, quod tamen Pythagoræ Samio fere tribui solet. Non facile dixerim, idem sit necne Pythagoras ille Zacynthius, cujus meminit Aristoxenus lib. II. ἁρμον. στοιχ. ubi de Musicis eum scripsisse obscure indicat. Verisimile est hunc Zacynthium a Scholiaste Hesiodi in Θεογ. intelligi, qui ubi de Musicis agit, Pythagoram quendam & Ptolemæum Philadelphum lib. III. ἁρμονικῶν advocat. Idem omnino est, de quo Athenæus XIV, 9. περὶ τοῦ τρίποδος καλουμένου (ὄργανον δὲ καὶ τοῦτο μουσικὸν) ὁ προειρημένος Ἀρτέμων γράφει οὕτως. Ὅθεν πολλὰ τῶν ὀργάνων οὐδ' εἰ γέγονέ ποτε γινώσκεται, καθάπερ ὁ Πυθαγόρου τοῦ Ζακυνθίου τρίπους.

Zacynthium hunc apud Diogenem excipit Rheginus, Statuarius, qui Olymp. LXXXVII. vixit: Olymp. LXXXVII. *Polycletus Miron, Pythagoras*, Plin. XXXIV, 8. *Vicit eum* (Myronem) *Pythagoras Rheginus ex Italia, pancratiaste Delphis posito — suffragiis ipsorum* (artificum, qui compositis voluminibus condidere ista) *aquatur* (Tisicrates Lysippi æmulus) *Polycleto, Myroni, Pythagora* Plinius loco cit. Laertius L. VIII. *Pyth.* Pythagoram Rheginum quendam primum numerorum & modorum inventorem recenset, quem eundem fuisse credo. *Euthymi* (Locrus hic fuit, qui Olymp. LXXVI. pugilatu vicit, de quo Plin. VII. 47.) *Statua Rhegini Pythagora opus fuit cum primis, qua spectetur dignissima*, ait Pausan. El. II. Persea Pythagoræ cujusdam Statuarii laudat Dio orat.

XXXVII.

XXXVII. Imaginem Europæ & Tauri, quo ipsa avecta, quam Tarenti ex ære Pythagoras fecit, memorat Varro lib.IV. de L.L. Meminit hujus Tauri & Tatianus *adversus Gentes*. Atque hæc opera huic Rhegino Pythagoræ tribuenda censeo.

Fuit & Samius quidam Pythagoræ Statuarius, quem initio pictorem fuisse tradit Plinius lib. XXXIV, c. 8.

Sextus Laertio est Pythagoras Rhetor quidam ineptus, cujus & Philostratus lib. I. *Soph. Niceta*, meminit, ubi eum Cyrenæum fuisse indicat.

Septimus Laertio Medicus est, qui περὶ κήλης, *de hernia* scripserit.

Octavus est noster, qui de Homero scripsit.

Nonus Dorica scripsit apud Laert. loco cit. Male Ambrosius interpres. *Dorice scripsit*.

Decimus est Pythagoras, philosophus Samius celeberrimus. Atque hos habet Laertius.

Undecimus est Pythagoras Lacon, qui Olymp. XVI. stadio vicit, teste Dionysio lib. II. *Antiquit. Rom.* Anonymo ὀλ. ἀναγρ. & Plutarcho *Numa*, *p.* Hujus Pythagoræ æqualis fuit Numa, qui anno III. hujus Olympiadis ad regnum vocatus est, teste præter modo citatos Eusebio in *Chronicis*.*

Duodecimus est Pythagoras Samius, pugil, in quem exstat Epigramma in Anthologia, a quo illud proverbium: ἐν Σάμῳ κομήτης, cujus meminit Appendix Vaticana Cent. I. prov. LXXXVII. quod Pythagoræ philosopho ab aliis falso tribui Hesychius statuit ἐν Σάμῳ κομήτης. Verum Pythagoræ decimo Philosopho celeberrimo hoc tribuit Laertius lib. VIII. Jamblichus lib. I, c. 2. & 6. &, si recte conjicio, Anonymus quoque Ολ. ἀναγρ. Olymp. XLVIII. Hinc Lucianus Pythagoram decimum κομήτην vocat, *Auctione vitarum*. Confer Athenæum IV, 17. Augustinus Tom. II, epist. III. *ad Volus*. Pythagoram athletam prius fuisse indicat. Potuit autem Pythagoras Olymp. XLVIII. esse puer XIV. annorum & Olym. LX. secundum Anonymum Ολυμπ. ἀναγρ. & Laertium: vel Olymp. LXV, secundum Eusebium florere & Olymp. LXX, 4. mori secundum Eusebium, si vixit CIV. annos secundum Photium Ecl. CCXLIX. si Auctoris L. *de medic. par. fac.* sententiam de Pythagora CXVII. annos nato quis probaverit, facilius hic progredietur. Si vero Olymp. LXX, 4. mortuus est, anno

* *Confer Acta philosophorum, p. 8, 9.*

anno ætatis XCIX. secundum Tzetzem: vel XCV. secundum Eusebium: vel XC. juxta alios plurimos apud Laert. vel LXXX. secundum Heraclidem, Sarapionis filium: vel LXXV. secundum alios apud Eusebium, non potuit Olymp. XLVIII. pugil fuisse, nisi forte anno ætatis nono palmam illam ex Tzetzæ hypothesi eum reportasse existimes. Pugilatus sane puerorum Ol. XLI. institutus teste Anonymo ὀλ. ἀναγρ. minime a nobis negatur: potuit autem ex quorundam hypothesi Pythagoras ille philosophus Olymp. XLVIII. jam vixisse & puer pugilatu vicisse. Verum si Pythagoras hic Samius pugil alius fuit a Pythagora, Samio philosopho decimo secundum Hesychium, non est quod de illo valde laboremus. Certius autem quid de his statui posset, si exstarent, qui de Olympionicis viri docti scripserunt. Sic Adespoti Chronologiam veterem cum Catalogo Olympiadum & Olympionicarum servat bibliotheca Regia Parisiis num. MCCXCVI. Agriopas Olympionicas scripsit teste Plinio lib. I, & lib. VIII. cap. 22. Ubi pro *Apriopas* in quibusdam codicibus vitiose Copas legitur. Et hinc Simlerus & Mallincrot in paralipomenis Copam historicum faciunt, qui de Olympionicis scripserit. *Aristarchus* dicitur ὁ τῶν ὀλυμπιάσιν ἐξηγητής, Pausan. El. I. sed omissum forte νικητῶν, vel ὀλυμπιάδων legendum. Aristoteles Olympionicarum Elenchum scripsit, teste Laertio lib. V. *Arist.* & lib. VIII. *Emped.* & Plutarcho *Lyc. p.* Eratosthenes itidem ὀλυμπιονίκας contexuit, teste Laertio lib. VIII. *Pyth.* & *Emp.* *Primum* ejus operis librum citat Athenæus lib. IV, c. 13. Hippias Eleus itidem ὀλυμπ. ἔλεγχον edidit, quem Plutarchus *Numa* citat. Meminit ejus quoque Scholiastes Theocriti Idyll. IV. & inde probat Ægonem Olympia non vicisse, quod ejus nomen in Olympionicarum catalogo non exstiterit. Hippostratus ὀλυμπιάδων ἀναγραφὴν scripsit. Julius Africanus σταδιονικῶν, Elenchum texuit, a primo Chorœbo Eleo ad suæ ætatis ultimum Heliodorum Atheniensem, qui Olymp. CCXLIX. stadio secundum vicit. Confer de eo Scaligerum ad Eusebium num. MMCCXXXVII. Philochori Olympiadum libri duo huc etiam forte pertinerent. Phlegon Trallianus, ἀναγραφὴν Ὀλυμπιάδων καὶ ὀλυμπιονικῶν scripsit: Μέχρι τούτου Φλέγων Τραλλιανὸς ἀπελεύθερος Ἀδριανοῦ Καίσαρος ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις, ις, ait Anonymus ad Olymp. CCXXIX, 4. Confer Scalig. ad Euseb. fol. CLXX. CLXXI. CLXXIII. Olympiadographiæ hujus fragmentum superest. Stesiclidis Atheniensis ἀρχόντων καὶ ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφὴ citatur Laertio L. II.

Xenoph.

Xenoph. de Olympionicis quoq; Timæus Siculus scripsit, teste Suida Τίμ. e quo ejus opere sunt, quæ citat Schol. Pindari ad Olymp. V. Pyth. I, 1. Nem. 1. Qui Olympionicarum catalogi si superessent, certius quid mea quidem sententia de dubiis illis Pythagoris statui posset.

Decimus tertius Pythagoras Ephesius fuit, Tyrannus acerbissimus, vixitque ante Cyrum, teste Bathone apud Suidam Πυθ. ἐφέσ. scripsit autem Batho librum de *Tyrannis Ephesi*, quem citat Athenæus lib. VII.

Decimus quartus incerta patria est, qui equo desultorio vicit Ol. LXXI, teste Anonymo ὀλ. ἀναγρ.

Decimus quintus fuit Parius pictor, cujus Charites laudat Pausanias *Bœoticis*.

Decimus sextus Monarcha Selinuntorum erat tempore Darii Histaspis apud Herodotum lib. V.

Decimus septimus Mileti procurator fuit, teste eodem ibidem l.

Decimus octavus Pythagoras, Leontinus, Myronem vicit Plin. XXXIV, 8. Ol. LXXXVIII. Libyn puerum tenentem tabellam fecit, & Astyllon Stadiodromum, teste eodem ibidem & Pauf. El. II. qui Astyllus cum secundum vicisset Ol. LXXIV. in Hieronis gratiam Syracusanum se esse professus est, quanquam ortu Crotoniata erat, teste Pausan. II. El. Hinc Astyllum Crotoniatam stadio vicisse Ol. LXXIII. dicit Dionys. Halic. lib. VIII. A. R. quem Syracusanum post adpellat & stadio Ol. LXXIV. vicisse dicit. Meminit illius Astyli & Plato lib. VIII. *de Leg.* Diod. Sic. lib. XI, Clemens Alex. lib. III. *Strom.* Eusebius *Chronicis*, Meursius *Archont. Ath.* II, 5.

Decimus nonus Lacedæmonius, Navarchus XXXV. navium Peloponesiacarum apud Xenophont. *de expedit. Cyri.* lib. I.

Vigesimus Evagoræ Cypriorum Regis filius, apud Diodorum lib. XV. *Bibl.* c. 4. Meminit ejusdem & Curtius IV, 3. 19. ubi tamen in quibusdam codicibus Pythagoras dicitur, ut & Arrhiano II, 4. & Duridi lib. VII. *Macedonicorum* apud Athenæum IV, 19.

Vigesimus primus Pythagoras, Rheginus, Statuarius, qui Olymp. CVIII. vixit. Fecit Protolaum Mantinensem pugilem, Mnaseam Cyrenæum cursorem, cognomento Libyn, Cratisthenem hujus filium curru victorem & Leontiscum Messanium Siculum, Ol. CIV. lucta victorem, teste Pausan. El. II. Suida Λεοντίσκος & Σώστρατος. Credo hunc po-

potius esse præceptorem illum Sostrati & Lysippi. *Rhegini discipulus & filius Sororis fuisse Sostratus* (traditur) *Lysippum Sicyonium Duris negat, Tullius fuisse discipulum affirmat* apud Plin. XXXIV, 8. Floruerunt vero Lysippus & Sostratus Ol. CXIV, teste Plinii loco citato.

Vigesimus secundus erat Μάντις τῆς ἀπὸ σπλάγχνων μαντείας, *Extispex*, qui mortem Alexandri, Hephæstionis, Perdiccæ & Antigoni prædixit apud Arrhianum *de expedit. Alex.* lib. VII. f. Appianum *de bell. civ.* lib. II. f. ubi de Alex. & Hephæstionis morte vaticinatus dicitur. Plutarchum *Alex.* f. Verum hic Vates apud Arrhianum loco cit. Πειθαγόρας dicitur.

Vigesimus tertius, Regis Ptolemæi præfectus erat apud Plin. XXXVII, 2.

Vicesimus quartus, Magnes, Stadio vicit Ol. CXX. & CXXI, teste Anonymo ολ. ἀναγρ. & Eusebio *Chronicis*.

Vicesimus quintus, Nabis, Lacedæmoniorum Tyranni gener & uxoris ipsius frater Laconum præsidio præfectus, Antiocho M. regnante, A. U. C. DLIX. contra Romanos bella gessit, teste Livio lib. XXXIV, c. 25. vel Dec. IV, lib. IV.

Vicesimus sextus, incerta patria est, qui *de rubro mari* scripsit cit. Athenæo lib. IV. & XIV. c. 8. Æliano lib. XVII. *Hist. an.* c. 8.

Vicesimus septimus, Neronis maritus fuit. *Pythagoram pro marito, Sporum pro uxore habebat Nero*, teste Dione lib. LXIII. *Nero nupsit Pythagoræ liberto, dotemque ei per Syngrapham constituit: quas nuptias populus Romanus celebravit una cum cæteris gentibus*, Xiphilinus *Nerone. Duo simul cum Nerone coibant, Pythagoras pro viro, Sporus pro uxore* ibidem. *Pythagoræ cuidam Neronem in modum solennium conjugiorum denupsisse* refert Tacitus lib. XV. *Annal.* aliique.

Vigesimus octavus Rhodius est, e quo Porphyrius lib. I. *de Responsis* apud Eusebium lib. V. *præp. Ev.* c. 6. refert invocatos deos non sponte sed necessitate quadam impulsos accedere. Quanquam vero Latina Basileensis editio anni MDXLII. Pythagoram sine mentione patriæ nominat, Græca tamen Parisiensis editio anni MDXLIV. Pythagoram Rhodium expresse adpellat.

Vndetrigesimus Pythagoras, Sinopensis fuit Episcopus, qui subscripsit relationi Episcoporum ad Joannem Patriarcham indictione XI. Consule Magno A. C. DXVIII, teste Act. I. Syn. V. Constantinopolit. Colonienses

nienses Tom. II. Concil. fol. XXXV. hic errant in notis marginalibus, hunc Magnum Consulem cum Magno illo A. CDLX. Consule confundentes. Atque hæc de Pythagoris variis dicta sunto, quibus etsi in nostri Historici ætate cognoscenda parum juvamur, non sine usu tamen ea fore in aliis historiæ partibus existimamus.

42. Rufus, musicam historiam aliquot libris complexus est, quorum *primo, secundo & tertio* Tragicorum & Comicorum Historiam tradidit; carmina Epithalamia, Hymenæa, & in saltationibus adhibita exposuit: itemque de saltatoribus, aliisque in Græcorum theatris usitatis certaminibus; unde item & quo genere nati fuerint, qui apud ipsos sive viri, sive fœminæ in hac scientia celebres fuerunt. Quinam etiam singulorum auctores & principes studiorum exstiterint: & qui horum Regibus aut Imperatoribus in deliciis atque amici fuerint. Certaminum item varia genera & origines, & qui in quoque certamine excelluerint. Tandem etiam de festis a toto Atheniensium cœtu celebrari solitis. Inde mutuatus est Sopater Apameensis ea, quæ libro quinto tradidit: libro *quarto* vero & *quinto* de Tibicinibus eorumque carminibus, Homero, Hesiodo, Antimacho, Vatibus fœminis, Sibyllis quæ, & unde dictæ. Ex his Sopater sextum suorum librum confecit, teste Photio Ecl. CLXI. Forte eadem erat *Historia* ejus Dramatica, e cujus libro octavo nonnulla de Comicis & Tragicis libro suo quarto inseruit Sopater, teste eodem ibidem. Erant autem *Musici quondam iidem Poetæ*, teste Cicerone lib. III. de Oratore.

43. Serenius, sive Ælius Serenus, Grammaticus, scripsit epitomen, τῆς Φίλωνος πραγματείας περὶ πόλεων καὶ τίνες ἐφ' ἑκάστης ἔνδοξοι, *operis Philonis de urbibus & inlustribus in earum quaque viris*, teste Suida. Citat hoc opus auctor Etymologici M. in ἀρσινόη & βυκέρας, sed corrupte ibi legitur Σερῖνος. quod nomen ita etiam frequenter apud Stobæum occurrit, qui ex Serini istius (pro *Sereni*) memorabilibus pluscula citat. Photius Ecl. CLXVII. ubi auctores, e quibus Stobæus sua conlegit, enumerat Serenum Σερῆνον nostrum adpellat, & Serinum in Stobæo ignorat. Corrigendum est etiam παρόραμα istud Vossii, qui ex Sereno hoc fecit, Severum lib. II. *de Hist. Gr.* c. O. Credo non alium esse Serenum illum Grammaticum, cujus Photius meminit Ecl. CCLXXIX. Ætatem hujus Sereni adhuc ignoramus, non homonymos. Serenum Granianum virum clarissimum sub Adriano novimus ex Eusebii *Chron.*

ad A. MMCXLII. & *Historia ejus Ecclesiastica* IV, 8. 9. sed variat ejus nomen, ut Serenum Herennium Granianum Consulem sub Trajano, & Herennii Philonis Byblii patronum esse intelligendum non male conjiciat Reinesius Var, III, 2. p.347. Aulum Serenum Lyricum poetam laudant Terentianus lib. de Metris, Diomedes L. III. Gram. Nonius. Sed forte hic Aulus Serenus idem est qui noster Ælius Serenus. Anneum Serenum, præfectum Neronis vigilum laudat Plinius *Histor. Nat.* XXII, 23. Q. Serenus Sammonicus pater a Caracallo occisus pluscula edidit. Serenus Sammonicus, ejus filius, Gordiani præceptor, patris libros Gordiano moriens reliquit, teste Capitolino *Gord.* Serenus Antinsensis Geometra, de sectione Cylindri duos libros ad Cyrum scripsit, qui Latine versi supersunt. Duos Serenos inter Origenis discipulos numerat Eusebius *Hist. Eccles.* VI, 4.

44. Simaristus περὶ συνωνύμων egit, eumque Casaubonus ad Laert. *Thal.* cum Demetrio Magnete atque Dionysio Sinopensi recenset, qui itidem περὶ ὁμωνύμων, *de viris doctis ejusdem nominis* scripserint. Certum quidem hoc est de Demetrio Magnete, ut supra indicavimus; Dionysius Sinopensis quid scripserit, supra itidem jam diximus. Quod autem Simaristum vir doctus iis addidit, non eo accipiendum, ac si liber ejus περὶ συνωνύμων, *de viris doctis ejusdem nominis* egerit, & Historiam Philosophicam inlustraverit: sed Simaristi περὶ συνωνύμων liber Grammaticus fuit & argumenti prorsus diversi, quippe quo voces adpellativas ad fines exposuit, & de synonymis grammaticis egit, de quo alibi.

45. Soranus, Ephesius, Medicus junior, βίους ἰατρῶν καὶ αἱρέσεις, scripsit teste Suida Σωρανός. Sed & hic ad Historiam Medicam facit, ad Philosophicam non item, nisi forte, quatenus Medici sunt Philosophi, & medicina est philosophia quædam, scilicet effectiva, ita Galenus peculiari libro ostendit *optimum quemque Medicorum esse Philosophum.* Non tamen eos, qui de Medicis scripserunt, hic sollicite recensere conamur.

46. Sosicratem, Rhodium, ἐν ταῖς διαδοχαῖς, laudat Laertius lib. I. *Thal. Sol. Pittaco Myf.* lib. VI. *Monimo, Crat.* lib. VII. *Zen. f.* lib. VIII. *Pyth.* Athenæus lib. X, c. 5. cujus hæc sunt verba: καὶ Κράτης ὁ Κυνικός, ὥς φησι Σωσικράτης ἐν ταῖς διαδοχαῖς, ἐπερράπισε Δημήτριον τὸν Φαληρέα, σὺν τῇ πήρᾳ τῶν ἄρτων, καὶ λάγηνον πέμψαντα οἴνου, εἴθε γὰρ ἔφη τὰς κρήνας καὶ ἄρτους ἦν φέρειν, ubi interpretis Dalechampii error

error notandus, cujus hæc est versio: *Crates Comicus, ut ait Sosicrates in successionibus, Demetrio Phalereo colaphum impegit, quod in pera cum pane lagunculam vini misset, ac utinam, ait, mihi liceret fontes gestare.* Verum hic Cratetis Cynici non Comici mentionem facit Athenæus. Sequutus est hunc interpretis errorum auctor Catalogi Scriptorum, quibus Athenæus usus est, & eorum quæ quisque scripserit, qui in quibusdam exemplaribus Athenæo præmitti solet, in quo Cratetis mentionem Athenæus loco citato fecisse dicitur. Vossius quoque *L. de Poetis Græcis* cap. 5. ad Ol. LXXXII. qua recte antiquum illum Cratetem Comicum vixisse notat, Athenæum lib. X, c. 26. Cratetis Comici *γείτονας* citare scribit. At L. X. Cratetis Comici *λαμίας*, non *γειτόνων* fit mentio, neque iste liber in tot capita divisus est. Ita Catalogus ille Athenæo præmissus plurimis scatet erroribus errareque alios facit. Sed ad Sosicrates de successionibus libros revertamur, quorum *primum* citat Laertius lib. VI. Diog. *Tertium* L. VI. Antisth. Athenæus lib. IV, c. 18. Crebro alias sine mentione libri Sosicrates a Laertio ad Historiam Philosophicam inlustrandam adducitur lib. I. *Anach.* lib. II. *Aristip.* lib. VII. *Zenone.* judicavit de libris philosophorum genuini essent an spurii. Laertius lib. VII. *Zenone:* Παναίτιος καὶ Σωσικράτης μόνας αὐτοῦ τὰς Ἐπιστολὰς φασί· τὰ δὲ ἄλλα τοῦ Περιπατητικοῦ Ἀρίστωνος. *Panætius & Sosicrates solas epistolas ejus* (Aristonis Chii) *esse dicunt: cætera esse Aristonis Peripatetici.* Idem lib. II. *Aristip.* Ἔνιοι καὶ διατριβῶν αὐτὸν φασὶν ἓξ γεγραφέναι· οἱ δ᾽ οὐδ᾽ ὅλως γράψαι. ὧν ἐστι καὶ Σωσικράτης ὁ Ῥόδιος. *Quidam sex diatribarum libros eum* (Aristippum) *scripsisse volunt: alii vero nil omnino ab eo scriptum esse tradunt, in quibus est Sosicrates Rhodius.* Vixit post Hermippum. Dicitur enim Ἕρμιππον παρατιθέμενος Laertio lib. I. *Mysone.* Antiquior item fuit Athenæo & Laertio. Videtur tamen non diu post Hermippum vixisse, si is est, quem Diodorus Sic. V, 81. citat.

47. Tascius Victorianus, *Apollonii Tyanei Pythagorici vitam* e Nicomachi Senecio exscriptam edidit teste Sidonio L. VIII. epist. 3.

48. Theodorus inter eos, quos Laertius lib. II. *Aristipp.* recenset, quintus *de legislatoribus* egit, exorsus a Terprandro teste Laertio l. c.

49. Theodorus quidam περὶ ποιητῶν, *de poetis* scripsit, teste eodem ibidem.

Theodo-

50. Theodori cujusdam liber, περὶ αἱρέσεων, *de sectis*, Philosophorum puta,* citatur apud Laertium *Aristipp.* L. II, 65.

51. Timotheus, Atheniensis, nomen sibi peperit opere περὶ βίων, *de vitis*, e quo Diogenes multa depromsit, vide lib. III. *Plat.* lib. IV. *Speusip.* lib. V. *Arist.* lib. VII. *Zen.*

52. Timotheus, Pergamenus, περὶ τῆς τῶν φιλοσόφων ἀνδρείας, *de philosophorum fortitudine* scripsit, indicibus Clemente Alex. L. IV. *Strom.* & Theodoreto Θεραπ. VIII. ubi de Anaxarchi, Zenonis Eleatæ, Theodoti Pythagorei, Pauli Lacydæ familiaris fortitudine in tormentis tolerandis egisse eum indicatur.

53. Tribonianus Sidetes *vitam Theodoti* Philosophi tribus libris exposuit, teste Suida.

54. Zosimus, Alexandrinus Philosophus, βίον Πλάτωνος, *vitam Platonis* litteris mandavit, notante Suida Ζώσιμος, de cujus tamen ætate nondum liquet.

Hæc sunt, quæ de scriptoribus Historiæ Philosophicæ notæ pariter atque ignotæ ætatis dicere constituimus!

---

* *Nam Aristippum aliosque in eodem perstringit.*

55. *Vitas Philosophorum & testamentum XII. Patriarcharum, librum MStum exstare in Bibliotheca Trajectina ad Rhenum, testatur Sanderus in Bibliotheca Belg. MSta.*

FINIS LIBRI QVARTI.



INDEX

INDEX
AVCTORVM ET RERVM.

Nomina minuſculis typis expreſſa, notant ipſos Auctores, de quibus agimus.

Numerus Primus notat *Librum.*
Secundus *Caput.*
Tertius *Paragraphum.*

A.

Alexan-

B.

 Betro-

Bur-

ad

INDEX.

o o Criton

Γ.

D.

Dares

E.

Eica-

de Eu-

F.

G.

de

H.

Scheur-

Hypero-

Judæus,

K.

L.

 Lamp-

M.

Megacles

INDEX.

N.

Numenii

O.

 inlu-

Peri-

Pytha-

S.

Schola

Stobæus

Theo-

INDEX.

Valla

V.

INDEX.

F I N I S.

EMEN-

EMENDANDA.

Libro I. pagina 122. in notula pro *antiquiorum* lege: antiquiorem.
Libro II. pagina 4. linea 6. pro *Bachomius* lege: Pachomius.
Libro III. p. 109. linea 9. *Historicus, is* pone comma post *is*, & lege: Historicus is,
Libro III. p. 114. linea 3. debuissent ista verba (qui primo admodum, *usque ad* secretis) parenthesi includi.

p. 114. lin. penultima pro *trasmissas* lege: transmissas.
p. 117. lin. 24. pro *videntur* lege: videtur.
p. 136. lin. 14. pro *ad finem* lege: affinem.
p. 141. lin. 19. dele verba: *inter se*.
p. 142. lin. 17. pro *Gisalinus* lege: Cigalinus.
p. 148. lin. 4. pro *Balduanus* lege: Bolduanus.
p. 149. lin. 25. pro *Cermanorum* lege: Germanorum.
p. 150. lin. 4. pro CIↃ IↃ C XXII. lege: CIↃ IↃ XXV. & lin. 8. pro *cæperit* lege: ceperit.
p. 152. lin. 6. pro *Sioppii* lege: Scioppii.
p. 164. lin. 19. pro *in in qua* lege: in qua.
p. 186. lin. 26. dele vocabulum superfluum: *Latine*.
p. 187. lin. 23. pro *Byssæus* lege: Bissæus.
p. 191. lin. 18. pro *ἐτιμολογιῶν* lege: *ἐτυμολογιῶν*.
p. 208. lin. 10. dele *Julium Caspar.* & post sive pone: Julium Cæsarem.
p. 213. lin. 13. pro *Mariavellensis* lege: Mariavallensis.
p. 212. l. 17. pro *vocareretur* lege: vocaretur.
p. 223. lin. 5. dele: *sive Ludwellus*.
p. 224. lin. 26. pro *Demonios* lege Devonios.

Cætera B. L. emendabit.

Sequun-



Sequuntur addenda nonnulla

Ad Libri I. Cap. XIX. pag. 122. adde tanquam notulam:

Hecatæum quoque *de Abrahamo* integrum ſcripſiſſe librum memorat Euſebius Præpar. Evangelica L. VIII. Cap. 4. Hujus mentionem quoque faciunt Beroſus, Alexander Eupolemus, Nicolaus Damaſcenus, & alii, quos idem Euſebius laudat L. IX. C. 4. Sed vereor, ne Liber ſit Operis iſtius librorum, quos περὶ τῆς Αιγυπτίων φιλοσοφίας adornaſſe Laertio dicitur Hecatæus noſter, Abderita. Magnum enim nomen fuiſſe Abrahami apud Orientales fere omnes, teſtantur Joſephus, laudatus Euſebius L. IX. C. 2. itemque Hydeus L. de Religione veterum Perſarum Cap. III. Contra hæc tamen dubia ſua movet Burnettus, Archæologia Philoſoph. C. XIV. Hoc ergo Libro *de Abrahamo*, doctrinam forte & ſapientiam, qua alias inſtruxerit gentes, Hecatæus inluſtraſſe videtur.

Ad L. III. Cap. XVI. pag. 666. ad verba in Bibliotheca Regia adde:

Generalis ſcilicet eſt titulus Librorum IV. Jamblichi, uti membranæ Chriſtianiſſimi Regis præ ſe ferunt: Ιαμβλίχȣ Χαλκιδέως περὶ τῆς Πυθαγορικῆς αἱρέσεως λόγοι, quorum

α Περὶ τȣ̃ Πυθαγορικȣ̃ βίȣ, quæ eſt vita Pythagoræ, poſt Arcerii editionem innumeris mentis commaculata, haud ita pridem elegantiſſime a Küſtero edita.

β Προτρεπτικὸς εἰς φιλοσοφίαν, Adhortationes ad Philoſophiam, quem itidem Arcerius primo cum vita anno 1596. apud Commelinum, in quarto, publici juris fecit.

γ Περὶ

ADDENDA.

γ Περὶ τῆς κοινῆς μαθηματικῆς Ἐπιςήμης, καὶ περὶ Γεωμετρίας, καὶ περὶ Μȣσικῆς, τῆς παρὰ Πυθαγορείοις, quod adhuc ineditum conſervatur.

δ Περὶ τῆς Νικομάχȣ ἀριθμητικῆς ἐπιςήμης, quem L. eruditiſſimus Samuel Tennulius, una cum libello de fato, anno jam 1667. Dauendriæ cum orbe erudito communicavit.

Potuiſſet & Sextus Empiricus ſæpius a Jonſio adlegatus, locum inter ſcriptores Hiſtoriæ Philoſophiæ occupare, ob Libros, quos *contra Mathematicos* Græce dedit. Imo optandum eſſet, ut perrarus iſte Liber ab ingenio quodam felici recognitus ederetur. Manuſcriptum hujus operis codicem poſſidet in inſtructiſſima bibliotheca ſua Reverendus Gabriel Spizelius, Auguſtanus Theologus, Theophili Spizelii filius.

ad ejusdem L. Cap. XX. pag. 110. §. 7. poſt verbam excoluerunt adde:

Nunquam enim majore cum ſucceſſu Philoſophiæ ſcolaſticæ doctores floruerunt, quam hoc ſeculo, tertio decimo.

item poſt finem hujus §. adde:

Magnus autem dictus fuit hic ob ſcientiam in Theologicis & Juridicis, imo & mathematicis:

ad ejusdem L. Cap. XXII. pag. 125. poſt §. 7. adde:

Inter Italos tum celebris fuit Franciſcus Cigalinus, Comenſis, Medicus & Philoſophus, qui inter ſcriptores hiſtoricos referri potuiſſet ob *Dialogum*, quem *contra Aſtrologos* edidit.

pag. 124. poſt §. 4. adde:

Vergilium hunc in Anglicam linguam traduxit Johannes Langlejus. Circa annum CIↃ IↃ LXXIX. clarus fuit Alexander Sardus, Ferrarienſis patria, philoſophus non ignobilis, qui itidem librum *de rerum inventoribus* edidit.

ad

ad finem hujus Capitis addi potuisset pag. 128. post §. 15.

His additur Andreas Lacunas, Segoviensis Medicus, Carolo V. gratus, qui profuit libro *de Philosophia historica Galeni.*

ad ejusdem L. Caput XXIII. pag. 132. post §. 7. adde:

Circa annum CIↃ IↃ LV. ejusdem Henrici II. Gallorum Regis imperio vixit Berengarius, Turonensis, qui scripsit, *Le siecle d' or des Philosophes, seculum aureum philosophorum.*

ad ejusdem L. Cap. XXVI. pag. 145. §. 4. linea 12. adde post verbum Delrio:

Belga & idem, qui eodem quo Lipsius anno decessit. Obiit &c.

& pag. 149. post finem §. 12. adde post verbum Cigalinus:

Paulus Cigalinus fuit, itidem Comensis, sive Novocomensis. Is *de patria Plinii*, senioris, libellum, sive *Praelectiones* editioni suae operum Plinii adnexerat, quae (opera) cum notis Delechampii, & anonymi cujusdam prodierunt Francofurti, 1608. 8. In istis autem praelectionibus probaverat, veram Plinii, senioris, patriam Comum, siue Novum Comum esse. Contra quem igitur suum librum adornavit postea Polyc. Palermus, qui id negavit. Nonnulla docet etiam celeberrimus Fabricius in Bibl. Lat. pag. 405. in notis.

ad ejusdem L. Cap. XXVIII. p. 156. post §. 5. adde:

Adscribitur ille Catalogus, paucis constans plagulis, ab aliis P. Gassendo; sed Bodlejanae Bibliothecae Catalog. eum inter alia Golii scripta retulit.

ad ejusdem L. Cap. XXVIII. pag. 162. §. 22. post verbum obuius. adde:

Doctissimum hunc (de Diis Germanorum) librum notis instructum dare voluit Johannes Nicolai, teste M. Rudolpho Meelführero in Accessionibus ad celeberrimi viri Jansonii ab Almeloveen Bibliothecam promissam & latentem, pag. 73.

ad ejusdem L. Cap. VXIX. pag. 164. post §. 7. adde:

Occupamur nunc in Gaudentii scriptis rarioribus colligendis, quae conjunctim aliquando in lucem edituri sumus.

ad ejusdem L. Cap. XXX. pag. 172. post §. 7. adde:

Joh. Christophor. Steebus, Philosophus & Medicus Doctor, recensendus ideo, quod in præfatione Cœli Sephirotici Hebræorum, Moguntiæ datum 1679, fol. promiserit *Novam Atlantis Insulam*, sive *Hieroglyphicam Antiquorum Philosophiam*. Sed lucem non vidit. Vt autem ejusmodi scripta promissa licet non edita, notemus, id etiam interest.

& pag. 173. post §. 9. adde:

Neque non locum hic mereri potuisset Georgius Hieronymus Velschius, si ejus opere de litteratura Orientali eruditis frui licuisset. Promiserat is historiam doctam Turcarum, in qua ex MSto Constantinopolitano agitur de institutione ipsorum puerili de studiis Gymnasticis & Academicis, sacris, profanis, Theologicis, Scholasticis, Juridicis, Medicis, Mathematicis, Astrologicis, Stipendiis item, honoribus, præmiis, exercitiis spiritualibus, & gradibus profectionis. Præmittuntur nonnulla ad scriptores veteres pertinentia, quibus singula inlustrantur, & plura etiam adjiciuntur de precibus illorum, orationibus, liberis, bibliothecis, aliisque ad litteras pertinentibus, &c. Vide de hoc Meelführer. pag. 122. qui hujus operis sciagraphiam ad calcem accessionem suarum adjecit.

& pag. 174. post §. 17. adde:

Apud eosdem floruit etiam Joh. Gottl. Mœllerus, Philosophus & Theologus D. ejusdemque Athenæi Professor, qui spem fecerat libelli, quo vitas philosophorum Rostochiensium complecti voluerit.

ad ejusdem L. Cap. XXXI. pag. 176. §. 2. adde:

Fuit autem Bonciarius origine Italus non Gallus, συγχρονος doctissimis hominibus M. Ant. Mureto, F. Ursino, Aldo Manuccio, J. Lipsio, Hor. Tursellino, Fab. Pontano, aliis.

ad ejusdem L. Cap. XXXII. pag. 188. post §. 4. adde:

His etiam temporibus præcelluit Joh. Seldenus, vir egregie doctus, qui rebus profuit nostris libro, de Jure Naturali & Gentium juxta disci-

disciplinam Hebræorum. In eo enim præcepta [illegible] Noachida-rum, hoc est, eorum, qui in altero mundo post diluvium [illegible] commentario exposuit. Vix ergo adducor, ut credam, Seldenum ex æmulatione hunc scripsisse librum, ut vel majora præstaret Grotio, qui opere de Jure Belli & Pacis nomen immortale tum meruerat. Hic enim toti orbi: ille solis Hebræis scripsit. Ideoque ex fine utriusque scribentis hic judicari debet. Prodiit hic liber recusus etiam cura celeberrimi Bœcleri Argent. 1665. 4. Iterum per compendium eum exhibuit incomparabilis Buddeus, *in octavo.*

ad ejusdem L. Cap. XXXIII. pag. 194. §. 6. notat:

Gerhardus d' Uries vitam Cartesii non perscripsit; ideoque delenda sunt ista verba: *Renati Cartesii vitam exposuit, atque* quæ mihi aliud cogitanti exciderunt.

& ad §. 8. adde:

Promisit idem quoque corpus Argonauticorum scriptorum, quo complecti voluit Orphei Ἀργοναυτικὰ, Apollonii Rhodii Ἀργοναυτικῶν Libros IV. C. Valerii Flacci Argonauticorum Libros VIII. itemque excerpta ex Strabonis Lib. I. Palæphati L. περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν, &c. confer adlegatum Meelführerum pag. 65.

ad ejusdem L. Cap. XXXV. pag. 201. §. 6. post verba: quæ adhuc in Manuscripto latent.

Tradidit eas per scriptores Hebræos, Arabicos, Græcos, Latinos, Italos, Hispanicos, Gallicos, Germanicos, Anglicos, Danicos & Islandicos.

ad ejusdem L. Cap. XXXVI. pag. 211. §. 24. adde:

Et Noribergæ apud Endterum edidit anno 1701. 8. Andr. Christ. Eschenbachius *Epigenem*, sive *de poësi Orphica in priscas Orphicorum carminum memorias Commentarium*, quo libello historiæ philosophiæ fabulosæ prodesse voluit. Huic adde dissertationem ejus, quam Jenæ habuit *de consecratis gentilium lucis.*

A D D . . . D A.

. . . ejusdem L. Cap. XXXVI. pag 216. post §. 39. adde:

Minime hic etiam tacendus vir elegantissime doctus, Johannes Mollerus, Flensburgo-Cimber, cujus Homonymoscopia historia nostra variis locis adjuta fuit. Hic inprimis *Cimbriam Litteratam* editurus est. Id opus erit magnum: eo enim ultra 1500 scriptores ducatuum Sleswicensis & Holsatiæ, urbiumque amplissimarum istarum Lubecensis & Hamburgensis, indigenas pariter & adoptivos complecti promisit. In eo etiam vitam Ionsii, a nemine hactenus traditam exspectamus. Adhuc se editurum promisit Historiam vitæ & fatorum H. Grotii, itemque historiam vitæ & fatorum Tychonis Brahei, sub forma spicilegii cujusdam ad elegantissimum P. Gassendi de vita hujus Mathematici L. Idem promisit Biographias scriptorum complurium hujus & superioris seculi, & his etiam vetustiorum. Ut alia taceam, de quibus citatus Meelführerus videndus: pag. 67. sequ.

Ad ejusdem L. Cap. XXXVII. p. 222. post §. 11. adde:

Etiam non tacitus præteriri debet Johannes Tolandus. Fuit is, qui anno CIƆ IƆCC IX. *Origines Judaicas una cum Adeisidæmone in octavo* dedit. In hoc L. multa nova docet, sed sæpe etiam ridicula, imo & perversa. Inter alia sic velit homines sibi persvadeant, Mosen pantheismum, sive, ut nunc loqui amant, Spinozismum fovisse. Probat id potissimum ex loco Strabonis quodam L. XII. pag. 711. edit. Basil. 1549. f. quia Cosmographus de Mose scribit: Ægyptios eum docuisse, id solum esse Deum, quod nos omnes contineat, terram ac mare, quodque cœlum & mundum, & rerum omnium naturam adpellemus, & reliqua. Sed Strabo ex mente Peripateticorum hic scripsit. Peripatetica autem philosophia imbutus fuit, notante Vossio L. de Historicis Gr. II. 16. p.m. 185. ibi enim ipse præceptorem suum, Xenarchum, Peripateticum nominat, laudatque eum, cum quo in ista doctrina sese exercuit, Boëthum, scil. Confer Strabonem ipsum L. XIV. p. 637. & XVI. p. 719. editionis adlegatæ, Peripatetici autem Deum formam hujus universi faciebant. Plura suppetidabunt ii, qui contra Tolandum scripserunt. Sunt isti D. Fay, qui contra eundem *Defensionem religionis, nec non Mosis & gentis Judaicæ*

Judaica dedit, *1700.* inprimis Monsieur Ellies Bennon, [illegible] edidit *Melange de Remarques contre Monsf. Toland, Delph. Bat. 1712. 8.* cujus [illegible] censionem dedit auctor Actorum Germ. P. XIX. p. 607. & ejus continuationem P. XXIII. p. 959. seqq. Historiæ philosophicæ cultor notabit hoc loco etiam alios, qui res Judæorum consignarunt, deque eorum sectis instruxerunt. Huc facit Drusius de tribus sectis Judæorum. Ex antiquis Flavius Josephus in Historia Antiquitatum Judaicarum, qui licet commenta sæpe scribat, varie tamen historicum philosophum judicio præditum juvabit. Hujus pleniorem editionem promiserunt Messieurs Boivin, l'ainé, & Monf. Hudson, confer le Catalogue des Principaux Historiens revuë & augmenté par Mr. Mencke a Leipsic, 1714. 8.

Hinc & locus erit doctissimo Jacobo Basnagio, qui Josephum sequutus est, deque Judæorum rebus egregie nos instruxit. Edidit is *Histoire de la Religion des Juifs depuis I. C. jusqu' à present pour servir de continuation à l'Histoire de Josephe, Rotterdam 1707. 5. vol. in 12.* Auctor laudati Catalogi pag. 30. des principaux Historiens vocat illud opus: Livre très-instructif, plein d'une vaste & immense erudition, tres-utile pour la connoissance des Dogmes & des Ceremonies Judaïques. Parte prima de omnibus hæresibus, deque desolatione Hierosolymæ agit; parte secunda Judæoum Patriarchas, Talmudistas & Cabbalistas pertractat. Parte tertia dogmata Judæorum modernorum tradit; parte quarta Historiam dispersionis complexus est; quinta reliquam absolvit historiam, quæ ad Judæorum religionem, ceremonias & vitam facit. Prostat nitidissima hujus libri editio quoque recusa in Gallia.

Ad ejusdem L. Cap. XXXVIII. p. 223. post § 1. adde:

Traduxit Telluris Theoriam postea e Latio in idioma Germanicum M. Joh. Jac. Zimmermannus 1689.

Thomæ Burnetto optime jungi potuisset ob affine argumentum Guilielmus Whistonius, acutissimi vir ingenii; Libro, quem idiomate Anglicano dedit sub titulo: *A new Theorie of the erth,* hoc est, Nova Telluris Theoria. Hunc ex Anglico in Germanicam linguam vertit M. M. S. V. D. M. Francof. 1713. 4. Confer Bücher-Saals P. XXII. p. 681. & seqq.

A[illegible] NDA.

Ad ejusdem L. Cap. XXXIX. p. 229. post §. 9. adde:

D'acierio debemus etiam elegantissimam M. Aurelii Antonini, Imperatoris, Philosophi vitam ab eo, & aliis auctoribus excerptam, veterumque testimoniis firmatam. Hanc in fronte gerit editio nitidissima Thomæ Gatakeri, Londinatis, secunda, aureorum prorsus Librorum XII. M. A. Imperatoris de rebus suis, sive de iis, quæ ad se pertinere censebat, quæ Londini prodiit 1697. 4. Vitam hanc excipit in ea editione Præloquium, in quo de Disciplina Stoica, cum sectis aliis, Peripatetica, & Academica vetere, Epicurea vero præcipue conlata; deque eorum, qui hanc sequuti sunt, quæ supersunt, Senecæ, Epicteti, Marci hujus cumprimis, scriptis differitur: operisque hujus totius ratio atque institutum exponitur. Plura addere penuria temporis prohibet; quæ restant, industrius Lector facile supplebit!



345